Orcades seu rerum orcadensium historiae libri tres. Quorum primus, præter insularum situm numerumque, Comitum, Procerum incolarumq(ue) origines ... exhibit, secundus primos Orcadum Episcopos eorumq(ue) successores & ... Comites sub Regibus Norvegiæ fiduciarios ... complectitur, ... tertius ... Regum Daniae Norvegiæq(ue) studia in jure suo pacificè repetendo continet ... / auctore Thormodo Torffæo.

Contributors

Þormóður Torfason, 1636-1719.

Publication/Creation

Havniæ [København] : Apud H.C. Paulli, 1715.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/j6dmfsbk

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

HONI·SOIT·QVI·Y·PENSE

8. F. 11.
17249.
51732/D
9. C. 31.

TORFAEUS. Thormodus

S.
11.0

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30448682

ORCADES

Seu

RERUM ORCADENSIUM HISTORIÆ

Libri tres,

Quorum primus,

Præter insularum situm numerumqve, Comitum, Procerum, incolarumq; origines, familias, gesta & vicissitudines, â primis Monarchiæ Norvegicæ incunabulis ad annum M. CCXXII. continuâ ferè serie exhibet,

Secundus

Primos Orcadum Episcopos eorumq; successores, &, qvi postea vixerunt, Comites sub Regibus Norvegiæ fiduciarios, tum etiam, qvæ de rebus Orcadensibus & Hæbudensibus exinde ad Annum M. CD. LXIX annotata, complectitur, Utróq;

Firmiter asseritur Regum Norvegiæ Jus Dominii in insulas illas,

Tertius

Indefessa Potentissimorum Regum Daniæ Norvegiæq; studia in jure suo pacificè repetendo continet, variis documentis ex Archivis Regiis asserta,

AVCTORE
THORMODO TORFFÆO,
Historiographo rerum Norvegicarum Regio.

HAVNIÆ,
apud Hieron: Christ: Paulli Universit: Bibliopolam Anno 1715.

17249

Res Orcadenſium, paucis hactenus perſpectas, ex reconditis Hiſtoriæ Patriæ theſauris pari fide & induſtriâ productas, publico recognoſcendas heic ſiſtit Clariſſimus & Celeberrimus AUTHOR, non minorem ſibi famam, qvàm genti antiqviſſimæ lucem apud poſteros conciliaturus. Havniæ d. XXX. Sept. Anno M. DC. XCIII.

P. VINDINGIUS.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

CHRISTIANO QVINTO

Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumqve Regi; Duci Slesvicæ, Holsatiæ, Stormariæ, & Ditmerschæ; Comiti in Oldenburg & Delmenhorst,

Domino meo Clementissimo,

QVamvis, Regum Clementissime, Sapientissimi optimiqve Regis, immortalis memoriæ, Patris Tui, ab ipsa juventute liberalissimis, Tuis etiam duplicatis stipendiis sustentatus, ipse Regiæ clementiæ & bonitatis tuæ perspicuum exemplum constitutus, & me ipsum sortemqve præsentem, secundùm Deum Optimum Maximum, Tuæ Majestati debeam, laboresqve omnes & lucubrationes meæ, utpote Tuis impensis Regiisqve sumptibus promotæ, non

non jure tantùm Regiô, ſed etiam, ſi qvid in Rege privatum eſt, privato, Tuæ ſint, audaciùs tamen an rectiùs præſenti libro Auguſtiſſimæ Majeſtatis Tuæ nomen inſcripſerim, ipſum argumentum, in qvantum res provinciæ Principumqve ejus & civium, non regni aut Regum geſta tractat, ambiguum facit. Talis enim materia, modò rectè elaborata, Regio faſtigio nuncupari non reformidat, fervet illa jam, ſed imperio Tuo & auſpiciis aliqvot annos ſub manibus, Regumqve Norvegiæ, Avorum Tuorum Prædeceſſorumqve acta, regniqve illius ſtatum & viciſſitudines exponit. Sed diffuſior eſt, qvàm ut etiam longiore annorum ſpatiô abſolvi; intricatior, qvàm qvæ ſine diuturna meditatione explicari qveat. Dum tamen ad maturitatem properans, offendiculis haut paucis aut levibus impeditur, opuſculum hoc præmittere viſum eſt, Tuæqve Majeſtati eâ fiduciâ conſecrare, qvòd, licèt provinciam, tamen Tuam, eandemqve amplisſimi Regni Tui coloniam, à prima etiam obſcurioris notitiæ origine ad ea tempora deſcribat, qvæ uſum ejus & uſumfructum jure hypothecario, inq; æternum revocabili, non proprietatis ſeu dominii, ad Scotos, gentem nativâ lingvâ diſcretam, fatô qvôdam detulerunt. Neqve id ſine cauſſa, cùm non modò ad gloriam Regni Norvegici, unde hæc colonia inter nobiliſſimas ejus propagines ſub ipſius Monarchiæ initia, partu, ſed minùs qvàm illæ, laborioſo enata eſt, verùm ad juris etiam in eam Tui, Regniqve Tui Norvegiæ, tot annorum intervallô paſſim obliterati, memoriam renovandam, ejusqve evidentiam monſtrandam omnino faciat. Et qvidem ad originem gentis qvod attinet, Normanniæ Gallicæ æmula eſt: ab eodem qvippe Parente, gens utraqve Rectores ſortita, ab eadem

dem Matre Norvegia populus uterqve profluxit. Hinc cognatio illi cum Anglis, Gallis, Italis, Siculisqve, præclaris orbis nationibus, qvibus ſe haut indignam, anguſtis qvantumvis limitibus circumſcripta, factis glorioſis oſtendit. Namqve, victoriarum ſuarum tropæis, in Scotiâ, Hiberniâ, Hæbudisqve paſſim poſitis, eò potentiæ provecta eſt, ut infeſta Matri ſuæ Norvegiæ arma qvoqve inferre, nec ſine ingenti ſucceſſu, licet non diuturno, auſa fuerit. Qvo etiam nomine animadverſionem, ut par erat, non effugit, ſubjectâ ſibi Hialtlandiâ, Jurisqve parte multata. Jus autem Tuæ Majeſtatis, in omnes has inſulas, ejusq; origo & proceſſus hìc accuratis Auctorum teſtimoniis deſcribitur, convelliturqve error vulgi, qvi id jure proprio illi genti ſubjectum exiſtimat, à qvâ jam proximos ducentos, & qvod excurrit, annos regitur; compertò: nullâ unqvam temporis diuturnitate dominium in illud ab occiduis gentibus præſcribi poſſe. Diffuſa jam per univerſum Orbem ſecundiſſima Nominis Tui Fama etiam Gentem illam haut dubiè implevit, movitqve, ut ſpero, deſiderio, ſub Clementiſſimum Imperium Tuum redeundi, dulciſſimæqve patriæ ſocietatem repetendi. Cui enim ignotum, qvâ PIETATE, qvâ JUSTITIA, duo ampliſſima Septentrionis Regna, extenſasqve in immenſum ſpatium, Provincias regas, qva FORTITUDINE & PRUDENTIA, ab omni vi externa defenderis, defendasqve qvotidiè contra novas Danicæ Salutis hoſtium molitiones. Taceo, cum præconio meo longé majores ſint, Novas, easqve æqviſſimas Leges, ſingulis Regnis, ſubjectisqve gentibus abs Te datas, Monumentum perpetuum regnantis in Septentrione CHRISTIANI QVINTI. Qvod Te Legislatoribus omnibus, tum Danis, tum

Norvegis, Frothonibus, Canutis, Valdemaris, Halfdanis, Haconibus, Olafis, Magnis, & in ipſa literarum clariſſima luce regnantibus Chriſtianis, multis nominibus palmam præripuiſſe evidenter monſtrabit. Qvid Tuum erga Literas, literarumqve ſectatores, favorem & liberalitatem, ubi res ipſa loqvitur, prolixius memorem. Teſtis eſt recens in Urbe Regia Havnienſi fundata, veteriqve adjecta Eqveſtris Academia, inſtructiſſima laudum Tuarum, magnificentiæ & gloriæ, per orbem & ad poſteros diſpergendæ, officina, Monumentumqve perpetuum regnantis in ſeptentrione CHRISTIANI QVINTI. Illa enim non modo indigenam, ſed & exterarum terrarum Nobilem pubem, Generoſasqve animas ad ſua hoſpitia jamtum allexit. Adeo ut hac in parte, Primum illum veteris Academiæ Fundatorem, Familiæqve Regiæ Oldenburgicæ Propagatorem, & Tuæ Majeſtatis Tritavi Patrem, Tibiqve cognominem, non tam æqvaveris qvam ſuperaveris. Qvam non modo incruentum, ſed mite qvoqve & placidum imperium geras, omnes nôrunt. Nec livor ipſe dicere poterit, Te, tot annis ſumma cum poteſtate Regem, uni ſubditorum vitam vel bona niſi delictis eorum promerentibus, eripuiſſe. Etenim Tibi, ſupra ſubjectarum terrarum leges conſtituto, naturæ Bonitas, innatusqve Æqvitatis amor Lex eſt. Hinc munificentia Tua in egentes, in afflictos miſericordia, in ſingulos Clementia. Me ipſum qvod ſpectat, tot tantaqve beneficia, Te largitore, accepi, ut, ſi ea vel ſtrictiſſimè recenſere vellem, liber non epiſtola, ſcribendus eſſet. Inter minima eorum non reputo, qvod Hiſtoriæ Norvegicæ conſcribendæ munus (in qvo jam complures annos verſor) adjecto largo ſtipendio, Clementiſſimè mihi demandaveris. Hanc igitur lucubratio-

tionum mearum partem humillimé nunc offero, exiguum qvidem ſubjectiſſimi in Tuam Majeſtatem Domumqve Regiam affectûs, animiqve Tantis Nominibus obſtrictiſſimi pignus ; ſed beneficiorum Tuorum, Glorioſiſſimiqve Patris Tui, in me collatorum, certiſſimum teſtem præconemqve, haut iisdem mecum mortalitatis terminis concludendum. Hunc ipſum, qvaliscunqve eſt, Sereno vultu ut accipias, meqve porrò Clementiæ Regiæ Gratiæqve, tantis experimentis teſtatiſſimæ, participem fieri velis, nec ſeneſcentem deſtituas, qvantâ poſſum animi ſubmiſſione, ſupplex peto qvæſoqve. De cætero Deum Optimum Maximum veneror, ut votis qvibusq; meis, etiamſi maximis, major tamen longè evadas. Imo ſuperſedere neqveo, ut-ut facundiæ vires voluntati non reſpondeant, qvin gratæ mentis impetu preces haſce, ſed inaffectatas, ſed pias & ardentes ſubjiciam : Sint Tibi ſemper ſenatus prudens ac fidelis, ſubditi obſeqventes, Exercitus fortes, vicini amici, qvo domi foriſqve MAGNUS, ubivis gentium TRAJANO MELIOR, AUGUSTO FELICIOR audias. Succeſſorem ſerum habeas; ſed FILIUM PRINCIPEM. Cumqve Te Deus longa felicitate, beneqve geſti imperii conſcientia beatum, ſed gloriâ rerum caducarum abundè ſatiatum, hinc avocare ſtatuit, placidâ morte miniſteriis ætheriis exceptum ad curiam cœleſtem gloriamqve æternam tranferat: Ita vovet

Sereniſſimæ Majeſtati Tuæ

Humillima veneratione
Subjectiſſimus

Th. Torfæus.

Præfatio ad Lectorem.

INsularum Orcadenſium Situm, habitumq;, illuſtrium Scriptorum multi; mores gentis, inſtituta, vivendiq; rationem pauci; ſingulorum Principum, qvi eas à Monarchiæ Norvegicæ principio, continuâ ſerie rexerunt, originem, nomina, numerum, ordinem, geſta, vel imperti formam, proq; eorumq; genus & familias, qvi ita prodiderit, & explicaverit, ut a doctioribus promiſcue legi, intelligiq; poſſit, qvantum ſcio, hactenus inventus eſt nemo. Nam qvotqvot de iſta materia latinè ſcripſerunt, vix præter ſitum inſularum moresq; gentis, nec pars omnes felicitate, qvicqvam memoriæ prodiderunt. Nec mirum, haut ultra proceſſiſſe, cum hiſtoriarum Scriptores in ſeptemtrione rari olim exſtiterint; Scilicet apud Danos antiqviſſimi ſunt Ælnothus Anglus, Sveno Aggonis & Saxo ille, à ſtupendæ eloqventiæ theſauro, qvem ſibi rudiori ſeculo comparavit, Grammaticus dictus, qvi omnes ſeculo XII. vixere. Norvegi Theodrico, ejusdem ſeculi Scriptore, antiqviorem non habent. Sveci vero nullum, qvantum ſcio, vetuſtum ſcriptorem proferre poſſunt. Feliciores Galli, Angli, Scoti, Germani, atq; Hiberni; qvi cum purioribus ſacris, literas etiam politiores, longè prius adepti, gentem qvisq; ſuam ſcriptis illuſtrârunt, Literæ enim latinæ ſimul cum religione Chriſtiana importatæ ſunt. Durius Orcadenſes fatum preſſit: Chriſti enim perennaturam notitiam, poſt longum deinceps temporum intervallum, ſed iteratò, aſſecùti ſunt, ac itaq; qvi res ſuas ſcriptis mandarent non niſi ſerò nanciſci potuerunt. Imo poſt acceptam literarum culturam rebus ſuis conſignandis parum invigilaſſe videntur. Nec enim, ex indigenis, qvantum ſcio, unicum hiſtoricum oſtendere qveunt. Et certè, qvantâ rerum majorumq; ſuorum ignorantia laboraverint, luculentus teſtis eſt, celeberrimus rerum Scoticarum Hiſtoriographus Georgius Buchananus, *qvi etiamſi inſulis eorum tam vicinus eſſet, ut facilè, qvantum indigenis de rebus ſuis conſtaret, aſſeqvi poſſet; attamen dum ſitum inſularum ſortemq; & mores gentis copioſè deſcriberet, qvi ſacra Chriſtiana ad eos, poſtqvam ſub imperium Norvegorum devenerunt, primus importaſſet, referre neſcivit. Id enim Divo Magno (qvem* Johannes Iſaacius Pontanus Diſcuſſionum hiſtoricarum libro I. cap. 1., *Regem Norvegiæ Magnum Barfod ſeu Nudipedem, majori rerum Orcadenſium ignorantiâ, fuiſſe putat) tribuit, cum tamen plus centum retro ab obitu ejus annis Chriſto nomen dederint. Qvin & ubi idem Magnus, in Divorum numerum relatus, & dum pontificium dogma, ne ipſius qvidem* Buchanani *tempore ſatis ibi exſtirpatum, viguit, religioſè cultus, ſepultus eſſet, pariter ignoravit. Qvæ itaq; hactenus ſepulta jacuere Orcadenſium monumenta, præſenti ſcripto è tenebris eruuntur, & tanqvam ab umbris excitata in lucem proferuntur, maximam partem defuncta ex Scriptore qvodam vetuſto, qvem Islandum natione fuiſſe arguunt, tum genus arcendi, qvo uſus eſt, tum operis illius exemplaria in eâ tantùm inſula reperta. Nomen auctoris hujus ignoratur, qvippe qvod ipſe tacuit, innatâ qvadam genti modeſtiâ, propriæ laudis minimè avidæ, in alienas juſtè profuſæ. Auctoritatem & fidem illi ſatis conciliant recepta genti in conſcribendis ſuis, vicinarumq; nationum hiſtoriis, laudabilis conſvetudo, qvam auctoris hujus ævo, proximisq; ſeculis, inter ſeptemtrionales, ſibi propriam fecerunt Islandi, qvorum induſtriæ luculentum teſtimonium Scriptor Danicus,* Saxo Grammaticus *in ſua præfatione, his verbis perhibet:* Nec Tylenſium (*Islandos intelligit*) induſtria ſilentio obliteranda, qvi cum ob nativam ſoli ſterilitatem, luxuriæ nutrimentis carentes, officia continuæ ſobrietatis exerceant, omniaqve vitæ momenta ad excolendam alienorum operum notitiam conferre ſoleant, inopiam ingenio penſant, cunctarum qvippe nationum res geſtas cognôſſe, memoriæqve mandare, voluptatis loco reputant, non minoris gloriæ judicantes, alienas virtutes diſſerere, qvam proprias exhibere, qvorum theſauros hiſtoricarum rerum pignoribus refertos, curioſiùs conſulens, haud parvam præſentis operis partem, ex eorum relationis imitatione contexui, nec arbitros habere contempſi, qvos tantâ vetuſtatis peritia callere cognovi. *Inter Norvegos Saxoni æqvalis, & prope ſolus, ejusdem gentis hiſtoriæ, in Latialem ſermonem translatæ ſcriptor,* Theodricus Monachus, *qvi ſub Eyſteino (Auguſtino) Archiepiſcopo Nidaroſienſi, Anno Chriſti MCLXI initiato, floruit, in operis ſui Cap. I. ubi de Monarchiæ Norvegicæ epocha tractat, hoc illos elogio exornat:*

Hunc

Hunc numerum (*inqvit*) annorum domini, inveſtigatum pro ut diligentiſſimè potuimus, ab illis qvos non vulgato nomine Iſlendingos vocamus, in hoc loco poſuimus, qvos conſtat ſine ulla dubitatione, præ omnibus aqvilonaribus populis in hujus modi ſemper, & peritiores & curioſiores exſtitiſſe. *In præfationis exordio, in hunc modum de iis diſſerit.* Operæ pretium duxi, pauca hæc de antiqvitate Regum Norvagienſium breviter annotare, & prout ſagaciter perqvirere potuimus ab iis, penes qvos horum memoria vigere creditur, qvos Iſlendingos vocamus, qvi hæc in ſuis antiqvis Carminibus celebrata recolunt. *Carminibus ſcilicet, qvod unum qvondam memoriæ & Annalium genus, apud Germanos fuiſſe,* Tacitus *teſtatur, unde & omnem hiſtoriam apud Chaldæos, Græcos, Romanos, geniesq; alias initium ſumſiſſe, doctiorum conſenſu perhibetur. De Septentrionis hiſtoriâ eruditiſſimè id planum fecit* Thomas Bartholinus *in illuſtri, qvod* Antiqvitates Danicas *inſcripſit, opere, qvo elegantius aut limatius, in iſto genere, ſeptemtrio nunqvam viderat, nec forte exſpectabit. Qvantæ auctoritatis poëtæ (qvi* Skalld *à depilando dicti videntur qvod rudem orationem tanqvam evulſis pilis perpoliant) olim fuerint, paucis hiſce exemplis adſtruere libet: Haraldus Pulchricomus Norvegiæ Monarcha traditur inter omnes ſatellites, Poëtas præcipuò honore coluiſſe, eisq; ſupremas in aula ſedes aſſignâſſe, obſervato inter ſingulos ætatis gradu, qvorum opera maximis præmiis compenſabat. Qvanta ſollicitudo gratiſſimos Daniæ proceres tenuerit, ne Rex eorum potentiſſimus, longeq; dilectiſſimus Frodius, ſeu Frotho, famæ, qvam latè per orbem extenderat, poſt mortem diſpendium pateretur, Saxo teſtis eſt, qvi Poëtam Hiarnium, qvod paucis interemptum eum verſibus celebraret ſucceſſorem tanto Principi in ampliſſima regna ſurrogaſſe eos ſcribit: Vindici qvippe famæ, is qvi ab oblivione & ſilentio hominum vindicatur, præ omnibus aliis obligatus illis cenſebatur; nec debitum rectius, qvam ſucceſſione in bona ipſius, hærede deficiente, (cui id munus, potiſſimum incumberet) rependi. Aliud exemplum,* Liber Originum Iſlandiæ *nuper editus, pag. 149. exhibet, in Norvego qvodam Fleine Hioris filio, qvi paulo ante cultam Islandiam, in Nordmaria Norvegiæ, provincia Joſurheid, enutritus, in aula autem Regum Uplandorum, Herjolfi & Olafi Hornabriotorum diutius ſuſtentatus eſt. Hic enim, cùm inde in Daniam ad Regem provincialem Eyſteinum ſe contuliſſet, adeo eum artis poëticæ peritiâ ſibi devinxit, ut ſummum gratiæ locum adeptus, etiam filiæ ejus nuptias impetraverit. Et hi qvidem præmia omnium, qvi in illo ſtudiorum genere claruerunt, poſt hominum memoriam maxima, honoresq; reportarunt. Erant etiam, qvibus præmiorum loco, pœnæ capitales, ſupplicia præterea & cruciatus, pœnas iſtas pro meritis aggravantia, remiſſa ſunt. Bragius enim Poëta, capitis damnatus à Rege Sveciæ Biorne de Colle, rhythmico encomio ei exhibito, vitâ donatus eſt. Eyvindo qvoq; Skaldaſpillero, id eſt, Poetarum Cruci, famoſi in Regem Haraldum Grafeldum, ejusq; fratres, carminis crimen, poſtqvam operam poëticam eis venditâſſet, remiſſum. Qvi gravius in ullum, qvam Eigell Skallagrimius Islandus in Norvegiæ Regem Eiricum Blodoxium deliqverit, obſervavi neminem: filium qvippe ejus, propinqvosq;, amicos etiam, & miniſtros multos occiderat, villas ſpoliaverat, ipſumq; Regem contumeliæ genere, poſt hominum memoriam graviſſimo affecerat. In ejus tamen poteſtatem cum recidiſſet, carmine in laudem ejus compoſito, & publicè recitato, incolumis dimiſſus eſt: Cujus exemplar ad calcem Runicæ Celeberrimi Olai Vormii impreſſum legitur. Nec prvati modo, ſed ipſi qvoq; Reges Principesqve, Dionyſio Siciliæ tyranno longè felicius, Poëticam excoluerunt, qvorum numerus haut exiguus. In Dania exceluit Potentiſſimus Ragnar Lodbroch; in Norvegia complures, & ipſe qvidem Pulchricomus, ejusq; ſucceſſoret, & in his Olafi duo, Tryggvinus & ille Sanctus, ejusq; frater Haraldus Strenuus ſeu Imperioſus, aliiqve. In Orcadibus qvoq; Einar de Ceſſite, itemq; Rognvaldus Kalius, illius artis inter cæteras poſſeſſionem ſibi vindicarunt.*

Imo Peregrinos Principes noſtræ qvoq; Poeſeos notitiam habuiſſe conſtat: Cujus rei illuſtre argumentum nobis ſuppeditat Magni Nudipedis Norvegiæ Regis hiſtoria. Eqves enim Gallus, nomine Giffardus, intra navem, qvâ Angliam petebat, irriſorio carmine ab Islando qvodam lacesſitus, auctorem, ſimul in Angliam veniſſet, ad Provinciæ illius Principem, qvo appulſus eſt, accuſaſſe traditur: Conſtituto deinde judicio, cum reus carmen recitare juſſus, aliud, ſed æqve irriſorium, repoſuiſſet, (decantabat enim laudes ejus fortiaq; facta bello, cui non interfuit) à Principe abſolutus eſt, qvod laudes accuſatoris

coris illo carmine celebratas judicaret. Quam ille sententiam nunquam tulisset, si lingvæ Danicæ etiam exactiorem (ut in carminum interpretatione omninò requiritur) notitiam non habuisset. Extant etiam Rhythmi hoc ipso idiomate Angliæ Hiberniæq; Regibus oblati & liberaliter compensati: quo vero fine offerrentur recitarenturque non intelligentibus. Itaq; hinc colligi potest lingvam Danicam in aulis vicinorum Regum, Principumq; familiarem fuisse, non secus ac hodie in aulis Principum peregrina idiomata in delicijs haberi cernimus. Nec alias video, unde non modò sermonis Danici commercium, sed etiam artis poëticæ peritiam, Olafus Tryggvinus à teneris in Æstonia, deinde in aula Russica educatus, inde in Anglia, Hiberniaq; diu versatus, habere potuerit, nisi lingvæ illius, aut poesis usus in illis aulis fuisset, cum Anglo-Saxonica lingva à veteri Danicâ multum discrepet, Hibernica & Russica illi plane dissimiles sint. Nec suppetit, unde lingvæ Norvegicæ nedorumq; rhythmicorum intellectum comparaverit Eysteinus, Haraldi Gillij filius, Norvegiæ Rex, in occidente ad annum Christi MCXLII. educatus, si non ex usu, in illis aulis recepto. Aliquot exempla in Historia rerum Norvegicarum ad annum Christi MCXLVIII. adduxi: sed in primis vita Egillis Skallagrimij id invicto argumento adstruit. Quippe qui interrogatus ab Adelsteino Angliæ Rege, quomodo manus Eirici Blodoxij, Northumbriæ Regis, postquam in ejus potestatem venerat, evasisset, cujus filium propinquosq; occiderat, aliaq; infanda in ipsum perpetraverat, rei statim ordinem metro nunc satis obscuro, exposuit, nequaquam ita narraturus non intelligenti. Ad Islandos redeo. Illos non solum suas, sed & vicinarum nationum historias scripsisse dixi: Cum enim patriæ suæres sollicitè describi curassent, Regum, Principumq; Norvegorum vitas subjectarumq; provinciarum, Gronlandiæ, Fereyarum, atq; Orcadum res adjecerunt. Progressi deinde ad Danos, multos gentis illius heroës, scriptis suis celebrârunt. Nec Svecorum gesta sicco pede præterierunt: exstant enim monumenta quædam gentis illius, ab Islandis mutuata. Memorata præterea quædam rerum Anglicarum & Hibernicarum. Scotiæ & Hebudarum passim præsens historia meminit. Inde ad Saxoniam, Galliam, Italiamq; transitum, de quarum aliis plura aliis pauciora literis consignarunt, sed illa fabulis magnam partem scatentia, imo ut plurimum, meras nugas spirantia. Egregium hocce gentis suæ institutum Auctor, quem exhibeo, secutus, ex vetustis carminibus & traditionum memoria, ea, quæ sua tempora præcesserunt, huc congessisse videtur: reliqua ipsum vel vidisse, vel ab aliis visa accepisse, tempus, quo vixit, Svereri Haraldoque Maddadio, me conjectore, coævus, persvadet. Carmina quæ secutus est, quædam, eaq; antiquissima, Comes Einar de Cespite ipse fecit: quædam & longè plura, Islandi complures, quos Comites posteriores in aulis suis, more Regibus Principibusq; recepto sustentarunt, magnoq; in honore habuerunt. Primus eorum Arnor Thordi filius erat, Comitum Poëta ideo appellatus, quòd Comitibus Orcadensibus Thorfinno Sigurdi Crassi, Rognvaldoq; Brusi filius, operam suam longo tempore addixerit, quorum gesta Carmine, magnam partem adhuc superstite, celebravit. De quo Cap. XIV. traditur, quod Thorfinnus acri prælio cum filio fratris sui Rognvaldo occupatus, eum in terram exposuerit, procul dubio, ut absq; periculi metu, quæ ab utraq; parte gererentur, accuratè observare, carmineq; deinceps prodere posset, non secus ac sanctus Olafus in prælio Stiklastadensi Poëtas tres Islandos testudine septos, ad prælii ordinem, singulorumq; alacritatem attendere jussit, rhythmisq; in posterum duraturis committere: Fuit autem Arnor Poëta celeberrimus, natus in Islandia, filius Thordi Kolbeinii, ejus, cujus controversiæ, lites, jurgia, mutuæ injuriæ, prælia, cum insigni viro Biorno Hitdalorum athleta dicto, fusè descripta sunt, ambo in Islandia nati, Sancto Olafo familiares fuerunt. Hic idem Arnor ad Magnum Bonum Daniæ Norvegiæq; Regem profectus, cum, præsente etiam Patruo Regis Haraldo strenuo, carmine quodam laudum ejus præconia publicè decantaret, eumq; aliis Regibus nimis præferre videretur, monitus est ab Haraldo, hujus Regis laudes ita temperaret, ut alios non vituperaret. Cui tamen Haraldo artem suam adeò commendavit, ut ab eo post mortem quoq; celebrari vellet, munereq; confestim ornaretur: Id quod Arnor etiam fide & elegantiâ pari præstitit. Alter Poëta, cujus in hoc opere fit mentio, fuit Hallus Thorarini Breidmagii, seu obesi ventris filius, in aulam Comitis Rognvaldi Kalii receptus, de quo Cap. XXVII. Tertius fuit Eiricus quidam, qui Sveno Asleifis filio militabat, de quo Cap. XXVI. Quartus fortè Botolfus Begla, natione Islandus, sed incola Orcadum factus, de quo Cap. XXIII. qui si in Islandiam nihil horum tran-

transtulit, aliis tamen popularibus suis, quæ expiscari poterat, forte impertivit, ut Haldorem Thorkelis Nutricii dum Comitem Einarem occideret, domesticum, de quo Cap. XI. omittam. Sed omnibus hisce certiora, Comitum liberi, propinquique, qui in Islandiam migrarunt, de patribus suis, majoribus ac propinquis asserre, suisque posteris tradere poterant. Adderem his Buium Islandum, quem vita illius tum Atheum tum Canem ab inimicis appellatum esse, gigantei roboris fuisse, patriaq; ob temerata Ethnicorum Sacra, à quibus abhorruerit, Haraldi Pulchricomi tempore profugisse, ac deinde in Emaris de Cespite Orcadum Comitis aulâ moram nexuisse tradit; Diceremque res Comitis illius eum latere nequivisse, sed in patriam reduci (rediisse enim traditur) uberrimam differendi materiam præbere potuisse, nisi Buii hujus vita pura puta fabula esset. Adeo ut risum mereatur Thomas Dempsterus, qui cum in Arngrimi Crymogea libro II. Buium, idola abominatum, fanum quoddam flammis absumsisse legisset, Islandorum Apostolum, in Menologio Scotico, mirâ quidvis scribendi licentia, ex eo effinxit. Hæc quamvis ad auctoritatem Scriptoris nostri fidemq; adstruendam abundè sufficiant; alium tamen indubitatum veritatis testem proferam: Consensum nimirum illius, cum externis Scriptoribus qui eum nunquam viderunt, nec ille eos, Meminit Buchananus Magni Nudipedis Norvegiæ Regis & Episcoporum Catanensium duorum, quorum prior ab Haraldo, Comite Orcadensium oculis & lingua privatus, alter a rusticis exustus est. de quibus lib. I. hujus Cap. XXXVIII & XLVIII. poterint inspici. Chronicon Manniæ nostro centum annis recentius, si placet, conferatur. Istic Lagmannus & Olafus Godredi Crovanis filii habentur. Olafus, Nostro Bitlingus, Cap. XVIII. XXXV. & XXXVIII. cognominatur, filiamq; Ragnhildem Sumarlidio Hauldio, Dalorum in sinu Scotiæ præfecto, elocasse traditur, quorum filii Duggall Rognvaldus & Engull memorantur. Consentit Chronicon Manniæ ad annum MCII Cap. XXXVIII. Rognvaldi Gudriodi Habudarum Regis filij nostro prætera meminit, eumq; Olafi Bitlingi nepotem, ex Ingibiorge Comitis Haconis Pauli filia memorat, cujus imperii principium ad annum Salutis MCLXXVIII obitum ad MCCXXVIII, idem Chronicon refert. De Alano Galvidiæ regulo, Olafo insularum Rege, Hussacho, nobis Usspaco, ad eundem annum mira nostrorum cum eodem Chronico harmonia, in cæteris etiam magnus consensus, adeo ut hæc nostra cum illo, in se invicem illustrandis mutuas operas præstent. Quod si libri hujus Cap. XI. de bello, quo Rex Hiberniæ Brianus occubuit, Jacobi Waræi Antiqq. Hibernicarum Cap. IV. conferre libuerit, mirùm utrobiq; consensus apparebit; nam Sitricus illis, nobis Sigtryggus, idem quod victoriosus, & qui Broder nobis, Bruodarus illis, & classis Danicæ præfectus, hic Piratarum antesignanus, utriusq; Briani interfector: victoriam verò penes Brianum utrumq; statuit eumq; ex vulnere mortuum. Multa etiam hic occurrunt, quæ historiæ Scoticæ lucem sanerantur, conferenti obvia. Dissensus ab aliis semel quidem aut iterum occurrit: sed tanti hic non est, ut fides Auctori eapropter derogari debeat, magis quam aliis optimæ notæ scriptoribus, cum quibus idem illi quoq; commune. Illud fortè offendit, quod insulis illis minus populosis, inq; mari procelloso ita sparsis, ut mutuis auxiliis, teste Buchanano, se tueri nequeant, tantæ, vires, tot tropæa, tamq; ingentes adversus potentissimum Scotiæ regnum progressus adscribantur, cum tantum eis licuisse fidem excedat. Verum diversus temporum istorum a præsentium indole habitus fidem auctoris tuetur, Strata tum myoparonibus piraticis cuncta maria, obsessaq; totius occidentis litora, & maritima undiq; fœdis direptionibus incendiisq; vastata: sed nec a paucioribus hæc insulanis facta sunt omnia, cum plurimi, iisq; potentissimi Norvegiæ Proceres ac cives illis se adjunxerint, qui patriis sedibus pulsi, Principibus diversis, vel pretio, vel parte prædæ conducti, meruerunt. Haut igitur mirum, si horum populares, propinquiq; Comites Orcadenses, eorundem sacrorum consortes, & Christianis naturâ hostes auxilio tot fortissimorum virorum immane creverint, insigni Scotorum Hibernorumque damno. Hinc enim Olafo Albo Dublinum, regiaq; potestas quæsita; hinc auctus viribus potentiaq; filius ejus Thorsteinus Rufus, qui adjuncto sibi Sigurdo Orcadum Comite, potentior factus est, quam ut posset resisti. Parta tunc utriq; opimarum Scotiæ provinciarum possessio, sequentes Orcadum Comites docuit, quibus artibus, quorumq; subsidiis amissa iterum possent recuperari. Evidens exemplum præsentis scriptæ Cap. X. exhibet, Broderum & Usspacum piratas, bello Brianico diversas partes secutos. Nec similia alibi desunt: Hachius & Hagbardus fratres & piratæ Norvegi, universam Sveciam bello in suam potesta-

sta-

ſtatem redegerunt. Solvius, Högnÿ de Niardeya exiguæ inſulæ Norvegicæ domini filius, pari eam vi ſibi ſubjecit, longoq; tempore rexit. Recentius ſimul & notius exemplum Rolfus præbet (Rollo aliis, primus Normanniæ Dux, poſt ſuſceptum baptismum Robertus appellatus) qvi amplisſimum & vaſtisſimum Galliæ imperium piraticâ manu adortus, nobilisſimas provincias Regi Carolo extorſit. Alani Galvidiæ Comitis, Sumarlidiiq; Aragatheliæ Thani ingentem potentiam Chronicon Manniæ, Buchananusqve, celebrant, qvorum ille ad Scotiæ ſceptra anhelabat, hic Norvegiæ in culmine fortunæ conſiſtenti, minatus eſt, idq; ſequioribus ſeculis, cum piratarum potentia deſiiſſet. Qvantâ mole Norvegiæ duabus diſtinctis expeditionibus Orcadenſes incubuerint, qvantiiq; eam ſucceſſibus attriverint, Cap. IX. & penultimum explanant. Nihil igitur de Comitum Orcadenſium poteſtate fictum aut abſurdum hic habetur. De cætero Comitum Orcadenſium Genealogiam Auctor hic noſter intactam non omiſit. Sed eam â vetuſtiſſimis ſeptemtrionis heroibus Fornioto, ejusq; abnepote Thorrio, & atnepote Gore, Noris, Norvegiæ eponymi, fratre, multis tamen gradibus interruptam, texuit, atq; à Rognvaldo Mariarum Comite perpetuâ ſerie, ad obitum Haraldi Maddady, qvi anno Chriſti MCCVI. in fata conceſſit, hiſtoriam eorum continuavit, forte etiam ea, qvæ de Epiſcopo Cataneſiæ Adamo habentur, adjecit. Ego illius ſenſum fideliter ubiqve expreſſi, addendo tamen varia, tum ex hiſtoria Norvegica, tum ex Islandica & aliis inſuper Scriptis, qvæ ad declaranda & illuſtranda hæc noſtra facere videbantur. Si qvid autem ſuperſtitionem hic ſapiat, non hoc meis, ſed Autorum qvos ſeqvor verbis ſcripſi: In Chronologia inveſtiganda, præſertim cùm hæc ad hiſtoriam Norvegicam plurimum faciat, nec in aliis perinde ſcriptores noſtri cæcutiant, laborioſius fui. Annum tamen, qvo Orcades à Pulchricomo primùm domita ſunt, certum afferre neqvivi: Sed inter ſeculi illius LXXV. & LXXXIII. vertitur. Verum nec proximè ſeqventium Comitum imperij periodos certas, usq; ad Sigurdum Craſſum aſſeqvi poſſum, nec annum, qvo is imperare cæpit. De cæteris ſuo qvibus loco diſſerui. In Chorographica locorum deſcriptione, qvicqvid peccatum eſt, ne mihi imputetur, qvæſo: Alios enim ſecutus ſum preſſè, nec menda corrigere novi, locorum ipſe ignarus, nominibus præſertim immutatis: qvibus ſemper veteribus uſus ſum, qvò facilius ab indigenis, ſitus ſingulorum gnaris, intelligi, cumq; nominibus hodiernis, priſca illa conferri, & errata talia emendari poſſint. Delectabit enim priſcorum nominum notitia. Propria etiam hominum nomina, non ad Latinæ linguæ palatum, uti Buchanano, aliisq; ſeqviorum ſeculorum ſcriptoribus placuit, aptavi, veritus, ne nimis ab origine ſuâ diſcederent, minusq; ab iis agnoſcerentur, qvi veteris linguæ Danicæ reliqvias adhuc conſervant. Mihi etiam linguæ veteris puritatem inficere religio eſt. Genere dictionis, meo more, uſus ſum ſimplici, absq; ornatu & floſculis, qvod iis orationi inducendis impar ſim, præterea nec tempus vacat, in vaſto aliàs opere occupato, unde ſi intelligar contentus ero. Errores ſi qvi forte occurrunt, deprecor, neq; enim ſatis urbium nomina a villarum, vel etiam ædium aut aliorum locorum, ipſe ignarus, diſcernere qveo. Utor qvoq; paſſim vocibus, delicatioribus forte auribus ingratis, nec claſſicis auctoribus uſurpatis, receptis tamen ab iis, qvi prioribus ſeculis, etiam hodie ſcribunt, ut fevdi, inveſtituræ, & id genus aliis. Hiſtoriarum nomina, exteris minus nota, teſtium loco non ſemel produxi, qvæ tamen, qvid ſignificent, ſimul indicavi. Auctor noſter prædictus, qvæ ſcripſit, in Capita, ſed minuſcula, diſtinxit: ego plura in unum congeſſi, qvædam etiam aliunde deſumta. paſſim adjeci, ne qvid ad rei expoſitæ notitiam, qvantum in me eſſet, deſideraretur. Cognominum ſignificationem ſæpius adjeci, (ut Breidmagi, ſeu, obeſus venter,) cum probè ſciam ab exteris, imò & noſtratibus qvam plurimis, priſcæ linguæ ignaris, vocabula hæc ſine interprete non poſſe intelligi. Præterea more Græcis Latinisq; familiari ſæpius neglecto, inter duas propriorum nominum conſonantes minus frequenter vocalem inſerui, ſed pro Canuto, ut plurimum Knutum ſcripſi, veteris Danici idiomatis ſeu notationis conſervandæ ſtudioſior, qvæ illarum interiectu turbaretur; non tamen id ſemper obſervatum. Sæpe etiam nativam nominum terminationem, adjectâ Latinâ, immutare nolui, obliqvosq; inde formavi, ut Frakaurk Frakaurkis. Iis qvæ in I. deſinunt terminationem US adjeci, ut Tryggvi Tryggvius: inde patronymicum Tryggvinus conficitur, ut Olafus Tryggvinus, pro Tryggvij filius. Capita penultimum ex vita Regis Norvegiæ Sverreris tranſcripſi, ultimum ex Chronici Norvegici verſione Danica, usq; ad Epiſcopum Cataneſiæ Adamum, cujus avaritia & interitus appendi-

pendicis instar sæpememorato vetusto Scriptori subnectuntur. Ne vero Historica ea, quæ postea inciderunt, lateant, adjeci Annales libro Secundo comprehensos. Prima ibi cura in dissensu Anglicorum Scriptorum, cum auctore nostro, inprimis de gentis illius Episcopis, conciliando: quod si minùs successerit, doctiorum tamen inspectioni decisionique subiecisse juvat. Quæ sequuntur, ex duobus Regiæ bibliothecæ Annalium exemplaribus membraneis vitaq. Regis Haconis, Regum Norvegicorum ante se omnium, Magno Bono (qui Daniam quoq. rexit) excepto, potentissimi, nati Anno MCCIV, Regis creati seculi illius XVII. coronati XLVII, denati LXIII. descripsi, resq. Habudenses immiscui: partim ne interirent, partim ut scriptorum Scoticorum ut & Chronici Mannia de expeditionis illius successu errores monstrarem, iisq. præoccupatas lectorum mentes liberarem. Reliqua ex illustri rerum Danicarum historiographo Arnoldo Hvitfeldio transcripsi, eaque, ut & plurima quæ in Librum Secundum conjecta sunt, quantum licuit, auctorum verbis reddidi. Quæ verò in Tertium conjeci Librum, ex Archivis Regis summâ fidè deprompta sunt. Hucusq. exposui, quæ de Auctoritate, fide, structuraq. hujus Operis dicenda sunt. Unum, idq. præcipuum, in ipso operis limine jure præmittendum restat, quod vos inprimis Cives Orcadenses scire oportet, cui scilicet hanc rerum vestrarum notitiam debeatis. Is est AUGUSTISSIMUS MONARCHA, CHRISTIANUS V. Pius, Fortis, Victor. Cujus gloriosissimæ memoriæ Pater, primus meus in terris Dominus Clementissimus, FRIDERICUS III, eorundem Regnorum Augustissimus quondam Monarcha, Vindex & Assertor (quem pietate mortalium nemo antecessit unquam, clementiâ pauci æquârunt, an in omnis generis eruditione unus aliquis assecutus sit, planè nescio) cum rem literariam omni ex parte promovere studeret, omnis generis antiquitates ex Islandia per me aliosq. ad se olim transferri curavit; meâq. opera ad quamdam earum in Danicam lingvam convertendas, universum quinquennium, Clementissimè usus est, nec ipse sapius labores meos inspicere dedignatus. Magnum patrem imitatus successor filius, hodiernus Rex meus Clementissimus, utinam etiam (quod me quoq. assecuturum, jam senescentem, facilè spero) in terris ultimus Dominus, ut nihil eorum, quæ ad terrarum sibi subjectarum decus & utilitatem faciunt, omitteret, memoriam gentis Norvegicæ, fortissimis gestis nulli secundæ, sed minus quam oportet hactenus celebratæ, ab ultima antiquitate, ad sua usq. tempora, ab interitu vindicare decrevit. Ac in illius rei finem permulta vetustatis monumenta, ex Bibliotheca sua verè Regiâ depromta, meæ fidei Clementissime commisit, ut inde, rerum Norvegicarum historiam latinè conscriberem. In eo dum noctes diesq. versor, illa quæ de Provinciis, eidem Regno nunc & olim subjectis, occurunt, studiosissimè seligo, ne præter necessitatem immista rebus Norvegicis, historiæ seriem perturbent, & molem operis in immensum augeant. His itaq. me exoneraturus Vobis vestra, alysq. alia, ipso Rege Clementissimè impertiente trado. Cujus Majestati, quicquid hinc ad vos voluptatis & utilitatis redundaverit, acceptum referte, meritissimas gratias habete, agite, memoriamq. ejus pio animo recolite, & posteris in perpetuum commendate. De cætero pusillum istud, quòd ego hac in re præstiti, boni consulite, eoq. ad vestram, majorumq. vestrorum famam latius spargendam, quod bene vertat, feliciter fruimini; quæ minus placent, pro eâ quâ estis humanitate, condonate; quæ corrigi possunt, emendate; quæ vero desiderantur, sive illa lacunas, in præsenti opere præsertim libro secundo, occurrentes, sive posteriorum temporum notitiam spectent, nostris hisce haut gravatim adjicite. Quod reliquum est, Benevole Lector, scire te volo (ingenui enim est fateri per quem profeceris) multum me hic debere viro Perillustri & Generoso, Reinholdo Mejero, Augustissimi Regis Nostri Consiliario, Status, Justitiæ, Cancellariæ & Cameræ &c. Patrono meo & Mæcenati reverentèr colendo, qui, præterea quod commodis meis ubique alias prospicit, cum præsens opus meditari me audiret, varia ex vastissimâ quam possidet bibliothecâ impressa volumina benevolè depromsit, pervolvendaque mihi concessit. Nec oblivisci hic debeo Amplissimi & Nobilissimi Johannes Didrichsonii, Secretarij Regij, viri longâ experientia (quippe præcelsis Illustrissimusque potentissimorũ Regum nostrorum Oratoribus, in Sveciam, Galliam, Angliam ac Belgium ablegatu à Secretioribus Epistolis negotijsque) rerum patriarum externarumque juxta periti, qui pro singulari, quâ me semper dignatus est, benevolentiâ, rariores quosdam libros, proposito meo inservientes, nec mihi aliunde parabiles ex museo suo communicavit, jeque noster hisce favere variis modis ostendit. Tandem

fateri convenit, non parum hujus operis editionem debere viro Clarissimo & Eruditissimo, amico nostro singulari, Johanni Laverentii, *Clementissimo Regi Nostro à Manu Archivorumque Scribæ, quippe qui sumtuum ad illam necessariorum partem expendit, eamque aliis modis præclarè juvit, satis eo monstrans, quanto in historiam patriam feratur amore; idemque ulterius ostensurus, cum proavi sui Andreæ Velleii, Historici quondam Clarissimi, versionem Danicam Saxonis Grammatici, à se revisam, Notisq; egregiis & Iconibus illustratam, in publicum, ut meditatur, ediderit. Hæc sunt lector benevole, de quibus hac vice monendus eras. Vale & fave.*

Viro Nobilissimo & Amplissimo,
Dn. THORMODO TORFÆO
Historiographo Regio,
Amico Integerrimo
Eruditissimam Orcadum Historiam publicanti

P

M. LEIGH.
SS. Theol. Lector Christiansand.

EXcutit antiqvos fastos TORFÆUS, & orbi
Secula dat tenebris semisepulta tuis.
Natales, Hoc Teste, legit FEROJA, nec illud
Posteritas unqvam grata tacebit Opus.
Pergit, & insigni conatu heic efficit ipsas
ORCADAS è cunis prosiluisse suis.
Gratulor, & voveo, felici sidere pergat
Doctè adeò Boreos demeruisse Deos.

IN ORCADES
Viri Nobilissimi atq; Amplissimi
THORMODI TORFÆI,
Rerum Norvegicarum Historiographi Regii.

QVid bellicosi classis Achillei,
Ferusq; Tevcer; qvid Stenelus ruens
Cædes per atras; qvas potenti
Dardaniæ dederit ruinas
Spirans furorem, exercitus insolens;
In astra, grandi carmine sustulit
Cignus; frementi qvi levatus
Eloqvii melioris aurâ,
Sedes Deorum, contigit igneas
Citusq; & arces, dum procul entheo
Furore raptus, ora solvit
Mæonius. Neq; parva vatum
Caterva certat, scribere fortium
Laudes virorum; qvos celer Inachus
Qvos Nestus, & nivis sodalis
Tardus Arar, Rhodaniq; potor.

Vidit

Vidit furentes, per media agmina,
Camposq; potos ſangvine. Barbari
Habent Geloni, qvi ſuorum
Geſta ferant ſuper aſtra laudes:
Romana virtus qvem latet? aut cui
Ignota magni prælia Cæſaris?
Qvem tinctus effuſô cruore
Danubius? Neq; te ſilebo
Pompei, virorum maxime fortium,
Cujus, tremendus, ſub juga ahenea
Venit Tigranes; qvi ruinas,
Funus & imperio parabat.
Hæc cuncta mutô preſſa ſilentiô,
Et nocte cæcâ perpetuus ſopor
Urgeret, arte nî benignâ
Ingeniiq; opibus beati
Aptaſſet alas, fortibus auſibus,
Scriptor diſſertus: qveîs ſuper æthera,
Domosq; ſtellantes olympi
Regna Jovis; Boreæq; clauſtra,
Ferrentur. Axis Pharraſiæ procul
Subjectus Urſæ, frigoris hoſpita,
Et toſta Riphæis pruinis
Tellus, hyperboreiq; campi
Tulere fortes; qvos neq; fervidus
Terrebat ignis, nec mare naufragum;
Nec paſta cæſorum cruore,
Arma ferens, rabidasq; cædes
Bellona fortis; Nec adamantini
Furor Gradivi. Sed caret inclytô
Scriptore, cœlô digna virtus,
Digna, tuô Venuſine pleſtrô.
Sed ne parentum, Martia prælia,
Injurioſô, protereret pede
Lethæus horror; Tu ſecundis
Auſpiciis, animôq; magnô
Laudum patentes tramite deviô
Campos pererras, divitis ingenî
Subvectus igneſcente curru
Supra humiles. Tibi ſolvet ampla
Thormode noſter, præmia, Nerigon
Te, Doſra, celſô vertice, qvi ferit
Auguſta magni templa Olympii
Amplificet, reſonetq; blandô

Echo, tuarum, murmure laudium.
Te, docta ſolvens ora, canet Danus,
Te Cimber, ultimusq; Thules
Incola ſuſpiciet nivoſæ,
Cujus parentes, geſtaq; Martia
Eruta noctis faucibus invidæ
Oblivioſis, in aperta
Luce locas, oculisq; vulgi.

Ita gratulabundus aſſurgit.

ARNGRIMUS WIDALINUS THORCHILLI F.
Rect: Schol: Nackſchow.

Re-

Rerum Orcadenſium HISTORIÆ Lib. I.

Cap. I.

De ſitu Orcadum & Hialtlandiæ, ſubjacentiumq; inſularum, Georgii Buchanani deſcriptio præmittitur. Nominis etymologia examinatur; antiqua inſularum nomina recenſentur; cum hodiernis conferuntur; & qvænam priſcorum ſingulis competant, expenditur. Petri Claudii Undalini nomina, numerusqve producuntur, ut & deſcriptio ex Hoffmanni Lexico petita.

ORcadum ſitum, inſularum numerum, naturamq; & incolarum mores, celeberrimus rerum Scoticarum hiſtoriographus, *Georgius Buchananus*, *Hiſtoriæ Scoticæ* Lib. I. veteribus longè correctiùs, recentioribus etiam enucleatiùs deſcripſit, his verbis, qvæ, reliqvorum erroribus omiſſis, integra tranſcribere, noſtroq; tractatui præmittere, haud alienum viſum eſt, additâ etiam ipſius Hialtlandicarum, ſeu ut aliis placet, Hetlandicarum inſularum deſcriptione.

Seqvuntur (*inqvit*) Orcades in mari partim Devcaledonio, partim Germanico, ad Septemtrionalem Scotiæ partem ſparſæ. Harum de nomine inter Scriptores veteres & recentiores ſatis convenit: rationem autem nominis nemo (qvod adhuc ſciam) explicavit. Sed neqve, qvi eas primi tenuerint, ſatis conſtat. Omnes, Germanicæ Originis eos fuiſſe tradunt: at è qvâ natione Germanorum advenerint, non proditur. Si ex ſermone conjecturam faciemus, & olim, & nunc qvoqve, vetere Gothicâ lingvâ utuntur. Sunt, qvi Pictos eos fuiſſe arbitrentur, hoc maximè argumento, qvod fretum, eos à Cathaneſis dividens, Picticum cognominatur. Pictosq; ipſos generis Saxonici fuiſſe, exiſtimarint *Claudiani* carmine maximè freti, ê ſeptimâ Panegyricâ.

— — *Maduerunt, Saxone fuſo,*
Orcades; incaluit Pictorum ſanguine Thule:
Scotorum tumulis flevit glacialis Iverne.

Sed eorum refutari facilè error poteſt, partim ex *Beda Anglo Saxone*, qvi, cùm qvinqve diverſis lingvis à Britannis Dei Laudes cani aſſeveret, unam ex eo numero Picticam eſſe ait. Qvod ſi tum Saxonicè Picti locuti fuiſſent, eam à Saxonica (qvâ tum Angli incorruptâ utebantur) non ſeparaſſet: partim qvòd in illis verſibus *Claudianus* diſertè Pictos a Saxonibus alios eſſe, oſtendat, cùm alteris Orcadas, alteris Thulen patriam eſſe, affirmet. Sed undecunqve ſunt oriundi, noſtrâ adhuc ætate, lingvâ à Scotis & Anglis diverſa utuntur, & qvæ à Gothicâ non multùm diſcrepet.

„ſcrepet. In convictu qvotidiano, multum è vetuſtâ parſimoniâ adhuc vulgus reti-
„net: itaque perpetua corporis & animi ſanitate ferè omnes fruuntur; rari morbis,
„plerique omnes ſenio ſolvuntur, plusque apud eos deliciarum ignorantia, qvàm,
„apud alios Medicorum ars & diligentia ad ſalutem tuendam prodeſt. Eadem par-
„ſimonia & ad formæ elegantiam, & ad ſtaturæ proceritatem plurimùm facit. Fru-
„gum proventus eis exiguus eſt, præterqvam avenæ & hordei, ex qvibus eis & pa-
„nis, & vinum ſuppetit. Ex gregalibus animantibus oves, boves & capræ non in-
„freqventes; unde multus eis lactis, caſei & butyri eſt uſus. Aves marinæ innumeræ,
„ex his ferè & piſcibus victus eorum, magna ex parte, conſtat. Nullum ibi vene-
„natum animal, ac ne deforme qvidem adſpectu apparet. Sunt eis eqvulei, ſpecie
„qvidem contemptibiles, ſed ad omnes uſus, ſupra qvàm credi poteſt, ſtrenui.
„Nulla usqvam arbor, ac ne frutex qvidem præter ericam: nec id tam cœli, aut ſoli
„vitio, qvàm incolentium ignaviâ: qvod facilè oſtenditur ex arborum radicibus,
„qvæ pluribus in locis eruuntur. Qvoties exotica vina navibus invehuntur, avidè
„ſe ingurgitant; *Scyphum* habent antiqvum, qvem (ut major crapulæ ſit auctoritas)
„*Divi Magni*, qvi primus ad eos Chriſti doctrinam attulit, fuiſſe prædicant. Is cùm
„ita ſuperet communium poculorum amplitudinem, ut è Lapitarum convivio re-
„vatus videri poſſit, eo ſuos Epiſcopos, initio ad ſe adventantes explorant: qvi ple-
„num uno hauſtu ebiberit (qvod admodum rarò evenit) miris eum laudibus proſe-
„qvuntur; atqve hinc, velut læto augurio, ſeqventium annorum proventum animis præ-
„cipiunt. Unde facilis conjectura eſt, illam, qvam dixi, parſimoniam non tam à ratione
„& ſtudio, qvàm penuriâ ortam eſſe, eademque, qvæ eam initio pepererat, diu apud
„poſteros conſervavit neceſſitas, donec vicinis nationibus, invaleſcente luxuriâ, cor-
„ruptis, paullatim diſciplinâ vetere labefactatâ, blandientibus qvoque delitiis, ipſi
„ſeſe dedidêre. Multum etiam præcipitantem temperantiam impulêre piratarum
„commercia, qvi regiones continentis, habitatoribus freqventes, adire non auſi ex
„inſulis aqvantur, & vina, mercesque alias, aut commeatibus mutant, aut vili pre-
„tio diſtrahunt; & inſulani, & pauci numero, & inermes, & in mari procelloſo ita
„ſparſi, ut mutuis auxiliis ſe tueri non poſſint, infirmitatis ſuæ conſcii, non omni-
„nò inviti ſecuritatem cum lucro conjunctam, adblandiente etiam voluptate, vel
„receperunt, vel non rejecerunt. Sed hæc morum labes in potentiores ferè, & ſa-
„cerdotes incubuit; apud vulgus multa priſtinæ moderationis adhuc veſtigia reſtant.
„Mare illis non ſolùm ventorum violentia, & ſidernm poſitu ſævum & tempeſtuo-
„ſum eſt: ſed æſtibus contrariis, ex oceano Occidentali incitatis, & inter anguſtias
„terrarum confligentibus, nulla vi remorum aut velorum fieri, ex adverſo recurren-
„tes, & in ſe contorti vortices ſuperari poſſunt. Si qvi propiùs accedere audent,
„aut, impetu violento, rurſus in mare rapiuntur, aut fluctuantis æqvoris rapiditate
„abrepti, in rupes & ſcopulos compelluntur, aut, in ſe convolutis aqvarum cumu-
„lis, abſorbentur. Duæ ſunt tempeſtates, qvibus hæ anguſtiæ ſunt ſuperabiles, aut
„cùm æſtuum relapſu, ceſſante undarum conflictu, mare tranqvillatur, aut, ubi ple-
„no alveo, æqvor ad ſummum incrementi pervenit, langveſcente utrinque vi illa,
„qvæ undas concitabat, velut receptui canente oceano, procellis & vorticoſis pela-
„gi commoti molibus, ſe velut in ſua caſtra recipientibus. De numero qvoque Or-
„cadum inter Scriptores non convenit: *Plinio* ſunt inſulæ qvadraginta; cæteris ferè
„triginta: proximè ad verum acceſſit *Paulus Oroſius*, qvi triginta tres prodit, è qvi-
„bus tredecim habitentur; Cæteræ deſertæ, & pecori paſcendo relictæ. Sunt enim
„pleræque humiles, & ita ſpatiis anguſtis, ut vix colonum unum aut alterum ſi co-
„lerentur, alerent; aliæ nudis ſcopulis, aut opertis muſco ſqvalentes. Orcadum
„maxima multis veterum *Pomona* vocatur, hodie continentem appellant, qvod lon-
„gè alias magnitudine præcedat: patet enim in longum triginta millia paſſuum.
„Hæc ſatis freqventer habitatur, habet enim duodecim ſive curias ſive parochias ru-
„ſticas, præterea oppidum unum, qvod Dani, qvorum in ditione Orcades diu fue-
„runt, *Cracoviacam* appellabant, nunc nomine corrupto, *Kircua* Scotis dicitur. In
„hoc duæ ſunt velut modicæ arces propinquæ, altera Regis, altera Epiſcopi: inter

eas

eas ſitum eſt templum, ut in locis illis ſatis magnificum. Inter templum, & arces utrinque ſunt non infrequentia ædificia, quas duas urbes incolæ appellant, alteram regiam, alteram epiſcopalem. Tota inſula excurrit in promontoria, inter quæ ſinus maris infuſi ſtationes navibus tutas, & interim portûs faciunt. Sex diverſis in locis, huic inſulæ metalla ſunt, plumbi albi & nigri tam probi, qvàm usquam in Britanniâ reperiatur. Hæc inſula à *Cathaneſia*, circiter viginti quatuor millia, abeſt, interjecto freto Pictico, de cujus natura jam diximus. In eo freto ſparguntur inſulæ complures, è quibus *Stroma* quatuor à Cathaneſia M. abeſt, non infœcunda pro magnitudine: ſed hanc, ob propinqvitatem terræ Britanniæ, & qvod Cathaneſiæ Comites eam ſemper tenuerint, inter Orcadas non numerant. Ab hac ad ſeptemtriones naviganti, prima Orcadum occurrit, *Ranalſa* auſtralis, quæ à ſinu *Duncani*, aut veriùs *Dunachi* abeſt ſedecim millia, qvod ſpacium duabus horis, æſtu ſecundo, etiam ceſſantibus ventis, naviculæ conficiunt: tanta hujus freti eſt violentia. Hæc qvinqve millia paſſuum longa eſt, habétque portum ſatis commodum, à *Diva Margaritâ* cognominatum. Ac ea paullum in orientem projectæ ſunt inſulæ duæ, exiguæ & incultæ, pecori paſcendo relictæ. *Holmas* illi gentili vocabulo eas appellant, hoc eſt planities herbidas, aqvis aſſitas. Ad ſeptemtrionem eſt *Burra* inſula, & duæ inter eam, & Pomonam Holmæ. A Burra, occidentem verſus, ordine tres inſulæ jacent, *Suna*, *Flata* & *Fara*; & ultra eas *Hoja* & *Valis*, qvas alii duas, alii unam inſulam vocant: qvod circa æqvinoctia (qvo tempore maria violentiſſimè incitantur ac fervent) æſtu recedente, nudantibus ſe arenis, anguſtis faucibus cohærent, unamque inſulam faciunt: redeunte æſtu, rurſus, interjecto mari, duarum inſularum ſpeciem præbent: in hac inſulâ, omnium, quos Orcades habent, altiſſimi ſunt montes. *Hoja* & *Vali*, decem millia in longum pórriguntur: ab *Ranalſa* abſunt octo; a *Fano Donati* in *Cathaneſia* ſupra viginti millia paſſuum. A ſeptemtrione eſt inſula *Graniſa*, in freto admodum anguſto ſita: abeſt enim *Hoja* à proximo continentis, id eſt, *Pomonæ* promontorio, duo modò millia. Hæ ferè inter Pomonam & Cathaneſiam ſunt inſulæ, in ipſo freto ſitæ. Latus continentis occidentale, mare apertum ſpectat, nullis in eo nec inſulis, nec ſcopulis apparentibus. Ab orientali ejus promontorio paullum procurrit, *Cobeſa* à boreâ eam velut tegit, littori propior *Sxapinſa*, paullum ſe in orientem inflectens, ex adverſo *Cracoviacæ* duo millia ſita, ipſa ſex millia longa. Ab occidentali parte Pomonæ, jacet *Ruſa*, ſex millia longa. Ab eâ, propiùs orientem, ſita eſt *Egiſa*, ubi *divum Magnum*, fama eſt, eſſe ſepultum. Hinc ad meridiem adjacent *Vera*, *Gerſa*, nec longè illinc *Veſtra*, à qvâ *Hethlandia* abeſt millia paſſuum 80. *Papa Stronſa* diſtat ab Hethlandia 80 millia paſſuum. In hoc medio ferè curſu jacet *Fara*, hoc eſt, bella inſula, utrisque & Orcadibus & Hethlandiæ conſpicua: adſurgit enim in tria altiſſima promontoria, rupibus excelſis præcincta, & undique inacceſſa, niſi qvòd ad orientem æſtivum paullum ſeſe demittens ſtationem tutam naviculis præbet. Incolas habet longè pauperrimos: piſcatores enim, qvi ex Angliâ, Hollandiâ, cœterisque propinquis oceano regionibus, qvæ piſcatum in illa maria ſingulis annis præternavigant, omnia, pro arbitrio, rapiunt ac ferunt.

Proxima poſt illam eſt *inſula Hethlandicarum maxima*, quam, ob eam cauſſam, incolæ continentem appellant, ſexaginta millia paſſuum longa, lata alicubi ſedecim, in plurima parva ſe promontoria ſpargens, duo tantum ſunt, qvæ nominare non pigeat, alterum longum, ſed anguſtum in ſeptemtriones excurrit, alterum latius in orientem hibernum. Maritima ferè habitantur: interiora nullum animal, præter volucres, adit. Superioribus annis incolæ, latiùs, qvàm majores eorum ſolebant, excolere tentarunt; ſed nullo propè ſucceſſu. Divitiæ eis ſunt à mari, ab omni parte, ſummâ piſcandi commoditate objectâ. Ab ea ad decem millia, ſeptemtrionem verſus, eſt *Zeal* ſita, ſupra viginti millia longa, octo lata; adeò fera ut nullum animal, niſi illîc natum, ferat. In hâc habitare dicitur Bremenſis mercator, qvi omnes merces exoticas, qvarum illic uſus, abundè omnibus ſuppeditet, adportet. Inter hanc & continentem jacent Inſulæ minores *Linga*, *Orna*, *Bigga*, *Sanctifatri*. Ultra hanc circiter novem millia, ad ſeptemtrionem jacet *Vuſta*, ſupra viginti millia in longum porrecta, in latum ſex; plana, & alioqvi non inamœna aſpectu, niſi

„ qvòd longè sæviſſimo mari ambiatur. Inter hanc & *Zeal* ſunt interjectæ, *Via*, *Ura*, „ *Linga*. Extra eam, ad occidentem reſpiciunt *Skenia* duæ, *Bura*; ad orientem *Balta*, „ *Honnega*, *Fottara*, ſeptem millia longa, ab *Vuſta* ſeptem diſtans, octo à *Zeale*, & „ objecta freto, qvod *Vuſtam* à *Zeale* dividit. Multæ deinceps inſulæ ignobiles præ- „ tenduntur orientali continentis lateri *Mecla*. *Skeniæ Orientales* tres, *Chualſa*, *No-* „ *ſtunda*; *Braſa*, & *Muſa*, latus occidentale cingunt *Skeniæ occidentales*, *Rottia*, *Papa* „ *parva*, *Vonneda*, *Papa Major*, *Valla*, *Trondra*, *Burra*, *Haura major*, *Haura minor*, „ & inter eas totidem ferè Holmæ interſparſæ. Victûs ratio Hethlandicis eadem, „ qvæ Orcadenſibus, niſi qvòd juxta copias domeſticas paullò aſperior. Veſtiuntur „ Germanico ritu: ſed, juxta facultates, non indecorè. Proventus illis eſt ex panno ſui „ generis craſſo, qvem Norvegis vendunt, ex oleo, è piſcium inteſtinis confecto, è bu- „ tyro, è piſcatu. Piſcantur naviculis duorum ſcalmorum, qvos factos è Norvegis „ cöemunt. Qvos ceperint, piſces partim ſale condiunt, partim vento ſiccant. Ex „ iis ferè rebus divenditis pecuniam conficiunt, unde vectigalia ſolvunt, domos, in „ qvibus habitent, ſupellectilem univerſam, ac magnam victûs partem parant. In „ domeſtico inſtrumento, qvi elegantiæ ſtudent, nonnihil argenti habent. Menſuris, „ numeris, & pondere, ad morem Germanicum utuntur. Germanicus etiam, aut „ penè vetus Gothicus eſt illis ſermo. Ebrietatem ignorant, niſi qvòd ſingulis men- „ ſibus ſe mutuo invitant, eosq; dies hilarè & ſimpliciter ſine rixis, & cæteris, qvæ „ fert ebrietas, vitiis transigunt; eamq; conſvetudinem ad mutuam amicitiam reti- „ nendam facere, ſibi perſvadent. Salubritatis firmitudo in *Laurentio* qvodam, no- „ ſtrâ ætate, apparuit, qvi, poſt centeſimum annum, uxorem duxit; centeſimum qva- „ drageſimũ agens annum, sæviſſimo mari, in ſua navicula piſcatum prodibat, ac nuper nulla vi gravioris morbi labefactatus, ſed ſenio ſolutus deceſſit. Hæc Buchananus.

Exſtat in Archivis Regiis deſcriptio fructuum, qvos inſulæ ferunt, ſatis accurata. Magiſter *Adamus Bremenſis Hiſt: Eccl: lib:* II. barbaris inſulas has organas appellari tradit. Apud *Langhornium* Orcadia ſæpe occurrit. Vir infinitæ Lectionis *Gvilhelmus Cambdenus* nominis qvidem rationem explicavit, antiqvæ membranæ ductu, qvi Orcades qvaſi Argath dictas docet, & interpretatur à ſitu qvaſi ſupra Getas: mavult autem ſupra *Cath* id eſt *Cataneſiam*, proq; *Carinis Ptolemæi*, *Catinos* reſtituit. Cùm autem conſtet, indigenas inſularum, ab antiqviſſimâ memoriâ, Gothicâ lingvâ uſos eſſe Pictos qvoque ſi eos primos cultores ſtatuemus, Gothicæ originis fuiſſe, ut id multis argumentis adſtruit *Daniel Langhornius Antiqvitatum Albionenſium pag: 275. & ſeqq:*: ex eadem lingva ratio qvoque nominis petenda erit, qvæ etiam qværenti ſe ultro offert. Fit enim in hac hiſtoria mentio ſive villæ, ſive monumenti, qvod *Orkahaugur*, id eſt tumulus Orkii ſive Orcadis appellatur; fortè, qvòd inſularum eponymus loco etiam ſepulcri, nomen de ſuo reliqverit: *Orka* lingvâ Danicâ antiqvâ robur denotat, & hinc verbum, at orka id eſt poſſe, viribus pollere. Illum ab hac radice nomen contraxiſſe, deq; ſuo inſulis indidiſſe, malo credere, qvàm eas id immediatè, hac ſignificatione ſortitas eſſe. Nam, licèt unicâ regiminis formâ imperioq; unitæ, ingentia virium roborisq; documenta dederint, ut ex hac hiſtoria planum fiet; nomen tamen priùs accepiſſe videntur, qvàm eò potentiæ creverint. Sed nec inſularum natura notationem vocis *ork* reſpuet, qvod eremum ſignificat, cum in vaſtiſſimo oceano, tanqvam eremo, ſparſæ ſint, qvas ritu Cycladum per oceanum diſperſas *Adamus Bremenſis* tradit. Nec litera N interjecta notationi huic repugnat: cùm non *Orkeyar*, ſed *Orkneyar* ſcribantur: id enim ex Anglicâ dialecto, qvæ poſtea irrepſit, provenit: nam Scotis atque Anglis vulgò appellantur *the Iles of Orcadnay* & contractè *Orcanay*, & *Orcanoy*, docente *Philippo Cluverio Antiqq: Germanicarum lib: III. Cap XL p 662.*

Hodierna inſularum Orcadenſium nomina a *Buchanano* recenſita hæc ſunt: *Pomona*, *Stroma*, *Ranalſa*, *Burra*, *Holmæ*, *Suna*, *Flata*, *Fara*, *Hoja*, *Valis*, *Graniſa*, *Cobeſa*, *Siapinſa*, *Ruſa*, *Egliſa*, *Vera*, *Gerſa*, *Veſtra*, *Papa*, *Stronſa*, *Fara*. Noſtra hiſtoria eas, his nominibus, conſusè numerat. *Hroſſey*, *Straumsey*, *Rinarſey*, *Sviney*, *Haey*, *Rolfsey*, *Gareksey*, *Eigilsey*, *Veſtarey*, *Papey* (vel *Papuley*) *major & minor*, *Strionsey*,

ensey, *Fridarey*, *Rognvaldsey*, *Damüey* vel *Daminsey* (in sinu *Urridafiordo*) *Grimsey*, *Hellisey*, *Eymnhelga*, *Sandey*: his vita Haconis Senis, Norvegiæ regis, *Vigúr* adjicit. *Petrus Claudius Undalinus*, parœciæ Undalensis qvondam Pastor, & ecclesiarum Lystriensium Præpositus vigilantissimus, in descriptione Norvegiæ, & subjectarum provinciarum, his eas nominibus recenset: *Eidæ*, *Gialpandisæ*, *Kolbeinsæ*, *Borgaræ*, *Kalfaæ*, *Feræ*, *Dimoræ*, *Fiarræ*; numerat præterea *Hinsæ*, *Feræ & Dunæ*, seu *Dynoy* in freto Pictico, quæ respondere videntur nostris *Haey*, *Fridarey* & *Danusey* in sinu *Urridafiordo*; ejus etiam *Grofsæ*, nobis erit *Rolfsey*. Sunt itaque quarum nomina ad nos pervenerunt, numero XXVII: nos tantùm XIX. in hoc opere mentione facimus. Harum singulis prisca nomina, qvæ jam dudum abjecerunt indigenæ, ex contextu historiæ, rustici præsertim, si apud eos in totum obliterata non fuerint, mè longè facilùs adserent.

Ego, vocum similitudinem secutus, seqventia colligo: verùm, quàm rectè, nescio. Erunt itaque mihi Stroma, *Strómey*; Ranalsa, *Rinarsey*; Burra, *Borgarey*; Suna, *Sviney*; (quò referam Flatam, nescio) Hoja *Haey*; Valis, *Kalfey*; Granasa, *Garcksey*; Cobesa, *Kolbeinsey* (simile Siapinsæ nomen non suppetit) Rusa, *Rolfsey*; Eglisa, *Eigilsey*, a viri proprio nomine Eigill; Vera, *Feræ*, Gersa, *Grimsey*; Vestra, *Vesturey*; Papa, *Papey*, vel *Papuley*, sunt autem duæ, major & minor; Stronsa, *Strionsey*; Fara, *Fridarey*; Pomona, nullâ nominum convenientiâ, *Hrossey* est, ubi oppidum *Kirkiuvogus* minus corrupto (secus ac Buchananus statuit) nomine Kercua appellatum, qvàm illud qvod correctiùs putat Cracoviaca. Danis antiqvum vocabulum *Kirkiuvog*, qvasi sinum, templo subjectum, dixeris, in peregrinum illud, priscæ lingvæ ignotum fortè à Cracovià Poloniæ metropoli petitum, detorqventibus. Ibi templum Divo Magno dicatum, ejusque sepulcrum, non, ut vulgò creditum, in Eigilseya, vel Eglisa, ubi occisus est, ut in processu operis patebit. *Pomona* aliis *Mæinland* appellatur, qvasi continens, voce Gothicâ, contractè a *Meginland*, id est, terra magna, respectu scilicet aliarum insularum. A *Julio Solino* Polyhistore Diutina appellatur. *Hoffmannus* in *Lexico*, harum undecim majores recenset *Pomonam seu Meinland*, *Hojam*, *Ranalsam*, *Siapinsam*, *Rusam*, *Flottam*, *Vestriam*, *Edam*, *Sandiam & Stronsam*: qvarum *Sandiam* à Buchanano omissam, miror: nobis certè *Sandey* est, inq; hoc opere aliquoties occurrit. Orcades idem Hoffmannus haut pridem ducali titulo insignitas refert: *Jacobum* enim *Hepburnum* à Mariâ, Scotiæ Reginâ, in legatione ad Galliæ Regem, Orcadum Ducem appellatum, Buchananus auctor est. De Hethlandiâ, quam alii Scetlandiam appellant, præter ea, quæ in hoc opere occurrunt, nihil ferè scriptu dignum habeo. *Hialtlandia*, vel *Hiatiandia*, prisco sermone semper usurpatur: an à capulo gladiorum, qui *hialts* appellatur, denominata sit, incolæ viderint. Ibi lacus *Geirhildar-vatn*, & in ipso lacu Holma ejusdem nominis, à *Geirhilda Flokii* filia, quæ ibi suffocata est, in transitu dum ille, corvorum auspiciis indiciisque Islandiam qværeret. Hialtlandia *Cambdeno*, pluribusque aliis *Ptolemæi Thule* habetur; imperioq; Orcadensium, ad Svereris Norvegiæ regis tempora, ab ultimâ memoriâ paruit.

CAP: II.

Qvi primi Orcades accessisse memorantur; & qvo seculo Reges habuerunt. Claudium devicisse, qvi tradunt, refutantur ab aliis; similiter, qvi Pictos insedisse scribunt: Saxones insedervunt. A Comitibus rectæ sunt; à Sogniæ Rege subactæ, in feudum datæ, tributa pendunt. Oddo Multivago, & Hialmari, piratis, subjiciuntur, deinde Ostrogothis. Ad Christum

convertuntur; accipiunt episcopum; Danis subjiciuntur; Regi Arthuro parent; ad paganismum relapsæ; iterum proprios reges habent; Scotis subjiciuntur.

JOHANNES BROMTON *Abbas Jornalensis* in suo Chronico inter Henrici Secundi Angliæ regis res tradit, Britonum Regem Gurguncium, Belini Regis Britanniæ filium, de Daciâ redeuntem, apud Orcades insulas, qvosdam Basclenses, de Hispaniæ partibus advectos invenisse, eosq; locum habitationis petentes, in Hiberniam tunc vacuam transmisisse, & illis, ex suis aliqvot duces assignasse. Fuit autem Gurguntius filius Belini fratris Bremi, Gallorum Senonum Ducis, ejus qui Romam cepit, & exussit anno Mundi, ut vult *Calvisius*, MMMDLXIII. ante natum Christum CCC LXXXV. Secundum veterem calculum *Johannis Cay*, collegii Cantabrigensis conditoris, in Britanniâ regnavit anno Mundi MMMDLXXXVIII. ante Christi adventum CCC LXXV. teste *Sheringhamo*, *Disceptatione de gentis Anglorum origine Cap I. pag: II.* Gurguncii etiam meminit *Biornus de Skardsa*, allegatâ *Gunnlogi*, Monasterii borealis Islandiæ *Thingeyrensis Monachi*, anno à nato Christo MCCXIX. rebus humanis exempti, versione, ex historiâ Britonum, qvam ex prælectionibus *Alexandri* Londunensis Episcopi, *Valteri* Archidiaconi Oxonienſis, ejus fortè, qvi cognomento *Mapes* insignitur, annoq; Christi MCXC. vixit, & *Gilly* polyhistoris contextam perhibet, ubi rem omnem fictam, ut spero, planiùs exponit hôc modo:

„ Dunovallus (inqvit) Rex Britanniæ decimus, ab eo tempore, quo Roma à Ro-
„ mulo & Remo condita est, undecimo calendas Maij, filium habuit Belum seu Be-
„ linum & Brennum, qvi cum Gallis & Romanis pugnavit. Beli famigeratissimi filius
„ erat Gyrgvir, (Gurguncius) qvi patri in regnum Britanniæ regnaq; tributaria succes-
„ sit, Princeps moderationis, & sapientiæ laude, nulli mortalium secundus. Rex autem
„ Daniæ tributa, qvæ patri ejus pendere solebat, reddere detrectans, ad arma sibi
„ inferenda eum concitavit; qvo deinde cæso, regnum, victoriæ præmium, suæ
„ potestati subjecit. In reditu autem ad Orcades delatus incidit in ducem nomine
„ Partolanum, triginta navium classe, jam novem menses ex Hispaniâ profugum,
„ qvi opem ejus invocavit: is autem monstravit illis terram, qvam colerent, qvæ
„ Irlandia deinde appellata est, ubi illi, eorumq; posteri deinceps habitabant. Paul-
„ lo post Gurguncius animam efflavit.

Trithemius, in compendio Chronicorum, ad annum, qvi nativitatem Redemtoris præcedit CC LXVIII., teste *Calvisio*, tradit Orcadum Regem Sicambris seu Francis, quòd filium generum repudiâssent, bellum intulisse. *Buchananus Lib: IV.* auctor est, Orcadenses Rege Belo in Albiam exscendisse; eos repentè Regem Scotorum Evenum Secundum aggressum, ex agris ad montes è montibus ad mare conpulisse, trepidantesq; & in conscendendo turbatos, adortum, penè ad unum concidisse; Belumq; eorum Regem, desperata salute, manus sibi intulisse. Anno XXIX. ante natum mundo filium Dei Evenum rebus humanis exemtum statuunt Chronologi; annos autem XVII. regnâsse: qvo verò imperii ejus anno clades isthæc contigerit, silentibus scriptoribus, definire neqveo. *Saxo Grammaticus lib: V* Frothonem Tertium Daniæ regem, qvem in Christi tempora refert, Onevum Regem, & Glomerum, piratarum præcipuum, ad Orcades, petendorum commeatuum gratiâ, direxisse, propriis copiis cuique tributis, iisq; ut & Hithino & Hognio earundem tropæa cessisse, Orvillo verò à Frodio donatas refert. Cùm autem in hunc Frodium seu Frothonem plura, quæ aliis ei cognominibus fortè competunt, congesta videantur: mihi incertum est, cui seculo hæc sint applicanda. Cùm tamen plurima in eum qvadrent, qvem *Saxo* Servatori coævum facit, nostriq; Scriptores, ab imperii amplitudine, & potentiâ celebrant, licèt in ordine Frodiorum non tertium, sed primum, agnoscant, nos etiam hanc ei gloriam permittentes, hæc ad Christi in terris versantis tempora referemus. *Hermannus in Theatro converſ: gentium*, Sanctum

Pau-

Paulum Orcades convertisse tradit. Cararaco in Scotia imperante, Romanorum Imperatorē Claudium, Orcades devicisse *Eutropius*, *Hieronymus* in Chronicis, *Orosius* & *Beda* testantur: refutantur à *Camdeno*, & *Mercatore* in Atlante.

Buchanani sententia hæc est: Nec temerè tamen crediderim, qvòd nostri Scriptores Orosium, Eutropium & Bedam secuti tradunt. Orcadas eo imperante a Claudio Cæsare superatas; non qvòd difficile existimem, paucas insulas in sævissimo mari disjectas, a paucis incolis & inermibus habitatas, singulas aggredi, &, cùm mutuis auxiliis se tueri non possent, omnes vincere; nec qvòd incredibile putem, in eam expeditionem classem à Claudio missam, homine (ut inqvit Orosius) qui bellum ubique & victoriam undecunque qværeret: sed quòd *Tacitus* affirmet, ante Julii Agricolæ adventum eam Britanniæ partem, Romanis omninò incognitam fuisse. Verba *Taciti* in vit: Agricola c. 10. adscribam.

Hanc oram, *inqvit*, novissimi maris tunc primùm Romana classis circumvecta, insulam esse Britanniam affirmavit; ac simul incognitas ad id tempus insulas, qvas Orcadas vocant, invenit, domuitq;.

Si domuit, omninò cultæ erant; imò ut ex Plinio quoqve constat, qui non modò eas nominavit, sed quot essent, enumeravit, Romanis ante illud tempus notæ, prout id *Pontanus Discussionum historicarum de maris qva liberi qva clausi significatione lib: 1. Cap: IV.* observavit. Domuit autem sub Domitiano anno Christi LXXXI. id quod Juvenalis his versibus celebrat:

Arma qvidem ultra
Littora Juvernæ promovimus, & modò captas
Orcadas, ac minimâ contentos nocte Britannos.

Vixit autem Juvenalis, hæcq; cecinit Hadriani Imperatoris tempore. Vix igitur sibi constat, qvòd ætate Solini insulæ istæ homine vacârint, & junceis herbis inhorruerint: sive is Vespasiani tempore, cujus meminit, vixerit; sive, ut ex ejus stilo colligit *Gerhardus Vossius*, sesqui seculo post *Plinium*, qui Vespasiani tempore floruit, & anno Christi LXXIX. mortuus est; vel tempore intermedio: vix enim tantillo tempore deseri poterant. Constat, ex allatis testimoniis, ab anno ante Christum CCCLXXXV. notas, & anno ejusdem Æræ CCLXVIII. cultas fuisse Orcadas, qvamvis non liqueat, quando primùm coli ceperint. Certè, in divisione imperii inter filios Constantini Magni, anno Christi CCCXXXVII. Constantino sorte obtigisse, *Sleidanus*, *Aurelium Victorem*, *Evsebium lib. IV. Cap: LI.*, *de vitâ Constantinî Magni*, *Nicephorum Lib: VIII. Cap: LXIV.*, *Zosimum Lib: II*; *Pomponiumq; Latum* secutus memorat: nam præter partes Alpium, Galliam, Hispaniam, Britanniam, Hyberniam & Thylen, Orcades ejus parti adsignat. Concidente in Britanniâ Romanorum imperio, Pictos ibidem sedem fixisse (secus ac putat Buchananus) *Camdenus* & *Mercator* statuunt. Qvorum ille, versum Claudiani, qvi Theodosii & Honorii seculo vixit, à Buchanano allatum, si rectè assequor,

Orcades — — — Maduerunt, Saxone fuso

aliter explicat, auctoritate *Nennii*, qvi prodit, Octham & Ebissum Saxones, qvi Britannis meruerunt, cum XL. Cyulis, id est, myoparonibus, circa Pictos navigâsse, & Orcades devastâsse, forsitan hos Saxones Orcades deinde insedisse statuit, eorumq; progeniem Claudiano intelligi: aut ut colligit *Thomas Dempsterus in apparatu ad Histor: Scotic: Lib: 1. Cap: 3.* Pyratas Saxones à Theodosio, in orcadibus fusos; Pictos in ultimâ Scotiâ debellatos, Scotos Britanniâ perfugas, in Hibernia attritos. Verùm, cùm nomen insularum, ante horum Saxonum adventum, idem, qvod postea, fuerit Gothicæ planæ originis à gentium Gothicarum aliqva insulas etiam primitus cultas credere par est. Id Principum antiqvissima nomina arguunt: Herraudus enim Orcadum Comes, qvi circa Claudiani tempora, fortè etiam ante vixisse videtur, Gothicum nomen gerit, illum Belius Sogniæ (qvæ Norvegiæ provincia est) Rex, & Thorsteinus Vikingi filius, postquā universum biduum in Papeya dimicâssent, & imperio & vitâ spoliârunt; insulas Rex ex indiviso præcepit, oblatas unà cum Comitis dignitate in feudum Thorsteinus recusavit, præfatus malle se, satrapæ titulo con-

contentum, Regis præſentiâ frui, qvàm Comitis honore conſpicuum, abeo diſtrahi: utriusque igitur ſocius Angantyr clientelari poſſeſſione, ſub annuæ penſionis onere iis præfectus eſt, Comesq; creatus.

Poſt mortem Belii, filii ejus Helgius & Halfdanus Sogniæ Reges, eandem penſionem hereditario jure, per legatum Fridthiofum Thorſteini filium exigebant, qvam, licèt Comes redderet, negabat tamen tributi loco pendi: tantùm, in gratiam Legati, pecuniam ſe traditurum, qvantam expeteret, pollicitus: cui ſi tributi nomen imponi placeret, vel ſecùs, per ſe qvidem licere. Laudatur hujus Comitis prudens diligentia, tum pro ſecuritate civium ſuorum, tum etiam qvorumvis appellentium nautarum ſalute pervigil. Conſveverat enim, qvoties in conviviis eſſet, per excubitorem, ſævo qvantumvis cœlo, tecto ad feneſtram inſidentem, procul adventantes proſpicere, tum ut inſidias, irruptionesq; præcaveret, tùm, ut ſi qvisqvam periclitaretur, maturè ſubveniri poſſet. Excubitori cornu, cereali liqvore plenum, ne jejunus aut animo minus prælenti langveſceret, miniſtrari, evacuatumq; actutum repleri ſolitum. Miniſterium illud; vicibus diſtributum, qvo die Fridthiofus cum ſociis navalibus, immani tempeſtate vexatus, feſſusq; & tantùm non naufragus, in portum Eviuſundam appulſus eſt, Hallvardo cuidam obtigit, qvi, ut navem peregrinam virosq; conſpexit, cornu exhauſto, per feneſtram in triclinium projecto, carmine, qvid videret, expoſuit: Feſſos nimirum nautas, qvaſſam vento navem, Ellidio (ſic enim vocabatur) haud qvaqvam diſſimilem adeſſe, inter eos unum miri roboris, qvi cæteros in terram ulnis ſublatos exponat, neſcire ſe alium tantæ præſtantiæ virum, præter Fridthiofum famâ jam ubiqùe notiſſimum, auxilioq; advenas indigentes ſublevandos monuit. Qvo cognito Angantyr miſit, qvi eos exciperent. Fuit ibi pirata qvidam nomine Atlius, novem athletarum ingenio moribusq; ſimilium dux, adeò ferox, ut more Berſerchorum, id eſt, athletarum furioſorum, haud ſemel atqve iterum, ſed repetitis ſæpiùs vicibus fureret: hic ſe jam experturum minabatur, num Fridthiofus, qvi ferrum ſe nunqvam formidaturum voverat, idem etiam perficere ſuſtineret. Occurrens itaqve interrogat, hoc etiam ſtatu pugnam minus detrectet? qvi metricè reſpondit: Inſulares barbas (barbatos inſulares, Inſulobarbos, ſic enim ſe ipſi vocitabant Orcadenſes, hâc notâ viros ſe declarantes) meticuloſas, terrori ſibi neqvaqvam futuras; ſolum cum decem (qvantumvis cœlum ſalumq; in perniciem ſuam ſociorumq; conjurata, qvibusdam peremptis, reliqvos, inq; his ſe ipſum fatigaverint, qvàm fuderint) congreſſurum. His reſponſis ſuperveniens Hallvardus & nomine Comitis eos benignè invitans, Atlium à propoſito deterruit, Fridthiofus ad utrumque paratus, inde præeunte Hallvardo, viamq; monſtrante, ad Comitem deductus, maxima cum benevolentiâ ab eo, paternæ amicitiæ, ſocietatisq; memore excipitur, honoribusq; maximis affectus, per integram hyemem ibi remanſit, dimiſſusq; vectigalia reportavit.

Oddum præterea Multivagum (aliis ut & *Saxoni* Aurvaroddum,) una cum Hialmare has inſulas pro arbitrio ſibi ſubjeceſſe, ibiq; hyemâſſe, prope hæc tempora eorundem hiſtoria, ſed multis fabulis ſcatens, docet. Fortè, pari veritate, prædas etiam à Sveciæ Rege Rolfo, Gautrici filio, avectas, Ellæ Northumbrorum Regis tempore legimus; & paulo ante ſub Utherio cognomento Pendraco, poſt Hengiſti cædem, à Palladio Scotiæ Epiſcopo Servanum Epiſcopum, in Orcades, ut inſulanos Chriſtianam religionem doceret, miſſum, non ſine magno ſuſcepti operis fructu. *Polidorus Virgilius Angl. hiſtor. lib: III.* memorat. Utherii quoque filius, Arthurus Magnus, etiam ſibi ſubjeciſſe, *Galfredo Monumetenſi* traditur, an in Chriſtiana inſtitutione permanſerint, cùm Divus Columba Scotiam ad Regem Pictorum Brudeum profectus, eidem, præſente Orcadum Regulo anno Chriſti DLXV. vel
" ut alii volunt tertio, monachum qvendam nomine *Cormacum* commendaret, non
" exprimitur, qvod ex *Johannis Fordoni Chronici Scot: Lib: IV. Cap: XI* his verbis re-
" citat *Daniel Langhornius* Antiqvitat: Albionenſ: pag: 284. In venerabilis (inqvit)
" Columbæ prima fatigatione verſus regem Brudeum, contigit, ut idem Rex, faſtu
" regio zelatus ſuæ munitionis ſuperbè agens, in primo Beati adventu, non aperiret

por-

portas. Qvod ut cognovit homo Dei, ad valvas portarum cum comitivo accedens, « & primùm dominicæ crucis imprimens ſignum, manum pulſans contra oſtium ponit, « qvæ continuò ſponte retro retruſis fortiter ſeris, cum omni celeritate ſunt apertæ. « Qvibus ſtatim apertis, ſanctus conſeqventer cum ſociis intrat. Qvo cognito, Rex « cum Senatu valdè pertimeſcens, domum egreſſus obviam, cum veneratione, beato « pergit viro, pacificisq; verbis admodum blandè compellat, & ex eâ in poſterum die, « ſanctum & venerabilem virum, idem regnator, omnibus ſuæ vitæ diebus reliqvis « valdè veneratus eſt, magnâ, ſicut decuit, honorificentiâ. Iis verò diebus, cum « idem ſanctus ultra dorſum moraretur Albaniæ, qvendam Monachum volentem ere- « mum acqvirere, poſtqvam à terris per infinitum oceanum plenis enavigâſſet velis, « eidem Brudeo Regi Pictorum, Orcadum præſente Regulo, commendavit, dicens: Ex « noſtris aliqui, nuper in pelago intranſmeabili deſertum invenire cupientes, naviga- « bant, qvi ſi fortè, per longos circuitus, Orcadas devenerint inſulas, huic Regulo, « cujus obſides in manu tuâ ſunt, diligenter commenda, ne aliquid averſi intra termi- « nos ejus contra eos fiat. Hoc verò ſanctus ita dicebat, qvia ſpiritu cognovit, qvòd, « poſt aliquot menſes, idem Monachus, cui Cormacus nomen erat, ad Orcadas eſſet « venturus. Qvod ita poſtmodum evenit, & propter prædictam ſancti viri commenda- « tionem de morte vicinâ liberatus eſt in Orcadibus, *Sigebertus & Adamannus* Lib: 3. « cap: 3. citante *Thoma Dempſtero, apparatus ad Hiſt Scot: Lib: 1. cap: 10. ad annum Chriſti* « 612 notant ſanctum Brendanum Orcades ad Chriſtianam religionem convertiſſe. «

Mihi veriſimilius videtur, Ethnicos tum fuiſſe Orcadenſes, ut pote qui Monacho infenſi, auctoritate Reguli, cui eum Rex Brudeus ſibi à Sancto Columbâ commenda- tum iterum commendaverat, non ſponte pepercerint: eo enim fine iſte Cormacus profectus videtur, ut labentem, aut planè collapſam religionem Chriſtianam à Ser- vano plantatam inſtauraret. Certè relapſos ad paganiſmum poſt Servani tempora, vel ipſos, qvos ad fidem ſanctam reduxit, vel eorum poſteros, vel etiam & Ethnicis exſtirpatos, eorumq; loco alios ſuffectos, inde patet, qvòd, poſterioribus tempori- bus, per aliqvot ſecula, idola coluerint. Edvino Northumbriæ ſceptra tenente, circa annum Chriſti DCXVII, Regem habuiſſe Godbaldum *Brompton* auctor eſt; poſtea Ragnar Lodbroch, memorabilem illum Daniæ, magnæq; partis ſeptemtri- onis Regem, inſulas exſpoliâſſe duceq; defectis filium ſuum Fridleſum præpoſuiſſe, *Saxo* prodidit.

Kennethum ſecundum, Alpini filium, Scotiæ Regem, iis imperâſſe, anno DCCCLIV. à nato Chriſto, edito jam in lucem Haraldo Pulchricomo, indicare vi- detur Buchananus, dum, ſub finem vitæ Kennethi, eum, promotis finibus ab Or- cadum inſulis, usque ad vallem Adriani regnâſſe perhibet: cùm tamen *Asmonius*, & incertus qvidam auctor, illo tempore, anno nimirum DCCCXLVI. Scotos Nor- vegis tributarios factos tradant, referente *Pontano diſcuſſion: hiſtoric. Cap: XI.* his verbis: Scoti à Normannis (Norvegos intelligit) per annos plurimos, tributarii ef- ficiuntur, inſulis circumqvaque poſitis, nullo reſiſtente, potiti immorantes.

Imò, teſte eodem *Asmonio*, tota aqvilonaris Britannia, iisdem temporibus, dictionis Norvegicæ fuit, videturq; Kennethus, jure clientelari, Scotiam & inſulas ab iis accepiſſe. Id tamen de uno aut altero Norvegiæ Regulo, Polyarchiæ tempore, intelligi non poteſt: ſed vel de pluribus ſimul, aut coloniis Norvego- rum, qvæ in Hiberniâ aut inſulis conſederunt. Qvò etiam ſpectat *Roberthi Mona- chi* teſtimonium, qvod ab anno circiter ſeptingenteſimo à nato Domino, inſula rum Hæbudenſium dominium Norvegis competiſſe aſſeverat, de qvo pluribus in- fra Cap: X.

Hæc ſunt qvæ de Orcadibus, ante Haraldi Pulchricomi Norvegiæ Regis tem- pora, tam apud noſtros, qvàm externos ſcriptores inveni. Chronica Norvegica an- te Pulchricomi tempora piratarum receptacula, tam eas, qvàm Hialtlandiam fu- iſſe tradunt: id qvod de ſolitudine haud qvaqvam videtur intelligendum: deſertæ enim piratis minori fuiſſent uſui, qvàm ſi eſſent cultæ. Credo eundem morem tunc invaluiſſe, qvi, Buchanani ætate, vel circa eadem tempora, inibi obtinuit, qvem

ſupra deſcripſit, inq; potentiores & Sacerdotes incubuiſſe arbitratur, id qvod antiqvis temporibus omnibus commune fuiſſe exiſtimo, idem etiam Haraldi Pulchricomi tempore obtinuiſſe.

CAP: III.

Orcades, exſulibus Norvegorum receptacula, ab Haraldo Pulchricomo invaduntur, ſubjiciuntur; Comiti Rognvaldo donantur; ab eo fratri ejus Sigurdo redonantur. Rex Haraldus Hæbudas & Manniam domat; Sigurdum Comitem Orcadenſem creat. Comitis Rognvaldi geſta qvædam memorantur; ejus laus.

Cùm Haraldus de invadendis ſubigendisq; omnibus Norvegiæ provinciis, ſingulisq; Regibus ditionibus ſuis exuendis conſilio virginis illius faſtuoſæ, qvæ nuptias ejus, niſi abſoluti totius Norvegiæ domini faſtidiebat, votum feciſſet, nec ſegnius qvàm voverat, arma expediret, infeſtisq; ſignis, tranſitis Dofrinis Alpibus Thrandheimum invaderet, victricibusq; univerſam regionem peragraret. Hinc ſucceſſu elatior, arma in reliqvas provincias promoveret, unamq; poſt aliam vi vel deditione in poteſtatem nullâ injuriâ laceſſitus, nullo in prætextum juris titulo redigeret, donec tandem anno à partu virginis DCCC LXXV. unitas potentiſſimorum Regum Principumq; vires, navali prælio in ſinu Hafursfiorda prope urbem Stavangriam debellâſſet, victorq; omnium exſoluto voto totius Norvegiæ Monarcham ſe redidiſſet. Principes, civesq; nobiliores, ditionibus & patrimoniis exuti, detrectabant ejus ſe imperio ſubjicere, cui vel genere pares, vel nullo ad obſeqvendum jure obligati videbantur, ad injuriam autem, qvantum in ipſis eſſet, rependendam, ultionemq; de injuſto invaſore & uſurpatore ſumendam propenſi, ſpontaneum exſilium, clientelari obſeqvio, libertate aſſveti, prætulerunt, dedignatiq; vel ditiones hereditarias, poſſeſſionesq; cum onere ſubjectionis annuiq; canonis ab eo vel obſeqviis emercari, vel miſerabili ſibiq; pudendo habitu emendicare tantam rerum ſuarum lacunã. ejus damno ſuppleturi inteſta arma partibus imperii ejus, præſertim mediæ regioni, per totas continuas æſtates inferre conſveverunt, hyemes in inſulis tranſigentes, nam angvium inſtar, obtrito capite caudâ minantium, cum de recuperandi ſucceſſu ſpes eſſet profligata, non tamen nocendi penitus abſciſſa, id egerant qvod poterant populationibus latè, latiùs etiam metu ſui ſparſo, Regem ad excubias haud mediocri claſſe qvotannis agendas, ad arcendum finibus regni hoſtilem impetum exciverunt. Verùm qvoties ipſis periculum imminebat, in altum provecti, ad occidentales terras, & in his Orcades, refugientes iterato Regem laceſſiverunt, qvi tandem ægrè ferens impunè ſe eludi, adque ſumptus haud mediocres ſuſtinendos cogi, qvadam æſtate, oceano transmiſſo, primò ad Hialtlandiam delatus, prædones omnes, qvotqvot, improviſam expeditionem minimè ſuſpicati, elabi neqvibant, ad internecionem delevit. Inde Orcadibus occupatis, eodem modo eas in poteſtatem redactas à latronibus liberavit. In Hæbudas inde concedens, tot ibi ferè victorias reportavit, qvot bella geſſit (geſſit autem qvàm plurima) ducibus piratarum occiſis, plurimisq; promiſcuâ cæde abſumptis; Nec Scotiam ab armis ſuis immunem reliqvit; mox pluribus ibi pugnis, multaq; ſtrage editâ, ad Monam converſus, incolis eam vacuam deprehendit: metu namque univerſi, deſertis tantùm domibus, rebus omnibus ablatis, in Scotiam profugerunt: nullo igitur reſiſtente, eam non tam domuit, qvàm derelictam ſine ullo ſpoliorum proventu occupavit, id qvod *Hornkloſius* rhythmo prodidit. Inter has pugnas Ivar Rognvaldi Mæriæ Comitis filius prælio cæſus occubuit. In cujus ſolatium, (alii tonſæ comæ præmiũ tradunt, minus ut videtur

ad

ad veritatem, cum insulis illis eo tempore potitus non esset, cùm coma tonsa est) dum domum rediret, Orcades & Hialtlandiam Rex patri Comiti fiduciario jure possidendas, heredibusq; suis concessit, ut seqventes Norvegiæ Reges donationem illam postea, atque adeò ipse Rex interpretati sunt. Nam, cùm Rognvaldus eas iterum fratri suo Sigurdo donâsset, (qvod statim fecit) non tamen Comitis titulum seu investituram, vel ille, vel posteri, vivo Rege, aliter, qàm illo creante, consecuti sunt. Cum autem Comes creatus esset ab Haraldo, clientelari jure absque tributi onere iis præfectus est.

Commendabat Rognvaldum præter alia etiam nobilissimi generis longa series, qvam licèt à Gore-Noris, ejus qvi Norvegiæ nomen de suo dedit, fratre repetitum, codices vetustissimi exhibeant, nimiâ tamen graduum lacunâ scatet, verùm hoc ordine recensetur. Pater ei Eysteinus Glumras, avus Ivar Uplandorum Comes, proavus Halfdanus Senex, abavus Svadius, atavus Heitius, qvi Goris Noris Norvegiæ eponymi fratris filius perhibetur. Illud certè hinc colligendum, hæc qvidem nomina inter majorum ejus notari, complura licèt neglecta sint, forte qvòd qvædam horum pluribus communia fuerint, sed distinctionum neglectu (ut fit) oblitterata. Fuit Rognvaldus Regi Haraldo inprimis carus, utpote qvi fidelem ei & masculam operam sæpius navavit, acceptus est in commilitium anno Salutis DCCCLXIII. devictorum occisorumq; Hunthiofi Nordmæriæ & Nauchvidi Raumsdali Regulorum ditionibus præfectus præsidiis militum, potentiorumq; subsidiis, una cum sufficiente classe, ad arcendum procul à provinciis suis hostilem insultum armatus seqventi anno Sunnmæriæ, devicto occisoq; Arnvido istius provinciæ Regulo, præfici meruit. Anno autem LXIV. vel LXV. cùm Vemundus Kamban Fiordiam fratri Audbiorno tractus istius Regi, in prælio dum Arnvido Sunnmæriæ Regi suppetias adversus Haraldum ferret, occiso, successurus occupâsset, Rognvaldus Sunnmæriæ, Nordmæriæ & Raumsdali (qvibus tum Comes solus præerat) viribus succinctus, mediâ hyeme superatis montibus, eò contendit, nihilq; tale metuentem improviso cum nonaginta militibus secum in prædio Naustadalo pernoctantibus, incendio delevit, abductis inde in prædam Regii suppellectilis mercibus, cum rebus pretiosissimis, atque ita domum rediit. His rebus præclarus Rognvaldus, cognomentum Potentis & Prudentis magnâ ratione inditum postea obtinuit. Ab illo ut amicorum præcipuo, Haraldus per universum decennium, dum Norvegiam subigeret intonsus (voverat enim, nec antè capillos comptum, aut crines detonsurum, qvàm totam Norvegiam suæ ditioni summo cum imperio tributariam ac vectigalem subegisset) tondi voluit, illoq; imponente, cognomen, per omnia deinde secula, Celebre, Harfagri seu Pulchricomi magnâ ratione inditum accepit. Tanta dixi Rognvaldo magnificentia, tanta opum affluentia, tanta in fratrem benevolentia fuit, ut absque rei familiaris detrimento, donatas sibi à Regiâ Majestate insulas, utramque continuò pari munificentiâ Sigurdo fratri suo, qvi proreta tum Regis erat, donaverit, eique Comitis dignitatem investituramq; apud Regem impetraverit, à qvo patriam repetente in insulis relictus, civium curam tutelamq; in se suscepit.

CAP: IV.

Sigurdus Eysteini filius, primus Orcadensium Comes, societatem cum Thorsteino Rufo facit; junctis viribus Scotiam vastant, magnamq; agri Scotici partem sibi subjiciunt. Comes Melbrigdius fraude Sigurdi circumventus occiditur. Sigurdus, inter triumphandum, lethale vulnus accipit, moriturq;. Ejus filius Guttormus annum duntaxat imperat; moritur.

Tantâ potentiâ, dignitate, opulentiâ, auctus Sigurdus, cum Thorſteino Rufo ſocietate initâ, fines regni, ultra limitem inſularum, qvem oceanus præſcripſit, longè protulit: nam Cathaneſiam & Sudurlandam, usque terminum Eckialdsbackam dictum, Scotiæ provincias, in ditionem ſimul conjunctis viribus redegerunt; *Codex Flateyenſis* univerſam Caraneſiam magnamq; Scotiæ partem, Roſſiam & Moraviam ſubactam, oppidumq; ab eo in auſtrali Moravia exſtructum, nomine omiſſo, memorat. *Liber Originum Islandiæ* has qvidem provincias refert, plusq; dimidiâ Scotiâ domitum concludit, ſive agri Scotici amplitudinis ignorantiâ ſive qvòd plures his provinciæ adjectæ ſint. Fuit Comes qvidam in Scotiâ nomine *Melbrigdius*, à prominente, oriq; exſerto dente *Tannus*, ſeu Dentatus dictus. Inter hunc & Sigurdum convenit, ut in locum conventui deſtinatum, ad mutuum colloqvium, qvilibet, qvadraginta tantùm militum ſatellitio ſtipatus, coirent; Verùm, præſtituto tempore, Sigurdus metuit ne forte Scotus pluribus militibus ſuccinctus, inſidias ſibi tenderet; qvem igitur extimuit, dolum ſibi occupandum ſtatuit, & ſingulis eqvites duos impoſuit, qvò, numero eqvorum deceptus, propiùs Comes accederet. Qvod ut Melbrigdius animadvertit, decepit nos, inqvit, Sigurdus: duplicato armatorum numero, è ſingulis namque lateribus eqvorum, duos pedes dependere proſpicio. Suos itaque hortatur, ut, qvod unum reliqvum fortuna fecerit, cohoneſtent virtute: Id ſolùm referre, utrum præbentes corpora, pecorum modo, inulti trucidentur, an toto animo, à patiendo expectandoq; eventu, in impetum atque iram verſo agentes audentesq; perfuſi hoſtium cruore, inter exſpirantium inimicorum cumulata armaq; & corpora cadant. Atque his dictis conferti hoſtes exſpectant. Qvo animadverſo, Sigurdus, parte dimidiâ eqvis depoſitâ, jubet, ut ſtatim ſeqvantur: ſe verò cum eqvitatu impetum in illos irruptionemq; facturum, & è ſtatione deturbaturum. Nec fefellit conſilium: non enim Scoti eqvitatum ſuſtinuerunt; primo namque impetu pulſi, facilem de ſe hoſti victoriam conceſſerunt, ad unum omnes cæſi. Capita corporibus amputata, & de victorum ephippiis ſuſpenſa, ne qvid inſolentiæ deeſſet, qvaſi in triumphum ducebantur. Verùm accidit, ut Sigurdus, eqvum calcaribus acriùs concitaturus, pedem in prodigioſum demortui Comitis dentem impingeret. Vulnus, ſuræ inflictum, virulento humani dentis morſu intumuit, conceptoq veneno, lethiferum evaſit. Inde perfidiæ inſolentiâ cumulatæ, judice Deo, ſecuta pœna, & infamis exitus, qvem ſibi ipſe, alienis per ſummum nefas inhiando, inter ſpolia prædamq; acceleravit. Conditus eſt tumulo in Eckialdzbackâ: neque enim ultor rupti fœderis fideiq; Deus domum eum redire paſſus eſt, ad initianda, funere ſuo, ſeqventium Comitum in arce regionis ſuæ ſepulchra: ſed monumentum perfidiæ in aliena ditione, documentumq; ad poſteros impii Principis, infamem tumulum eſſe voluit. Sed neque ſuperſtiti filio partus per parentem, amplificatusq; principatus, uſúsve ſpoliorum, magnis laboribus, periculisq; partorum, diuturnior fuit (Guttormus ei nomen) intrà namque annum, absque prole morbo abſumptus eſt, Danorum Novegorumq; piratarum colluvie, in vacantem inſularum poſſeſſionem ſuccedente.

Adeò nos homines cæcutimus, imò prorſus deliramus: dum, veſano ſobolis amore, tanqvam faſcinati, nullo turpis honeſtive diſcrimine, nos opibus imperiisque acqvirendis mancipamus, haud attendentes iram Dei in liberos vindictamqve ſimul cum malè partis, hereditate noſtrâ derivari; dum ſcelerum noſtrorum rapinarumq; participes, eadem impietate, qvâ qvæſitæ ſunt, vel retinent, vel retinere ſatagunt.

CAP: V.

Qvalis fuerit Thorſteinus ille Rufus, Comitis Sigurdi ſocius fusè exponitur. Ejus generis tam paterni, qvàm materni longa ſeries

ries recenſetur; avus ejus maternus Ketill Simus; ejus geſta, fratres, ſoboles, progenies per Orcades, Færeyas & Islandiam ſparſa; inde exortæ familiæ; matris ejus prudentia, pietas, & exitus.

TOrſteini Rufi ſocietate auxiliisq; nixum, tantas res geſſiſſe Sigurdum memoravi: par igitur eſt, ut, qvalis is, qvo genere & familiâ ortus, qveis cognatione vel affinitate junctus, qvam qvalemq; prolem reliqverit, lector curioſus cognoſcat: præcipuè cùm Comites Orcadenſes multi, nobiliſſimæq; familiæ originem ad eum referant.

Pater ei Olafus Hvitius Dublini Rex, qvi Urbe hac cum ſubjectâ provinciâ expugnatis Regem ſe inibi conſtituit. Fuit hic procul dubio is, qvem Amlavum ſeu Amelaum *Jacobus Wareus Antiqvit. Hibernic. Cap. 24 pag: 123* ad annum DCCCLIII. refert: in eum enim tum tempus, tum geſta, qvæ hìc memorantur, ſingula ferèqvadrant. Avus Ingialdus; proavus Helgius Acutus; abavus Olafus; atavus Gudrodus; tritavus Halfdanus Albipes, Uplandorum Rex; tritavi pater Olafus Lignarius, Sveciâ profugus, qvi Vermiam primò excoluit, filius Ingialdi Aſtuti, Sveciæ Regis, qvi ſe ipſum cum familiâ, hoſtilem vim ludibriumq; prævertens, incendio delevit. Helgii Acuti uxor, Thorſteini Rufi proavia, fuit Thora filia Sigurdi Angvioculi, Daniæ Regis, cui pater Ragnar Lodbroch celeberrimus Daniæ Rex. Paternum genus, qvod tamen ex hiſtoriâ Norvegicâ, ad Odini tempora ulteriùs petendum, vidimus: reſtat maternum.

Mater ei Audur, aliis Unnur, ab immenſis divitiis Prædives dicta; avus Ketill Flatneſus ſeu Simus, cui mater Velaug Vemundi Senis Sogniæ principis ſoror; proavus Sogniæ Baro, Biornus Buna, ſeu, ut vertit *Arngrimus*, Pedo: malim cataractam qvæ & buna dicitur, hæc, cùm aqvas latiſſimè magno ſtrepitu moleq; ſpargat, iracundis & vehementibus viris ad ſui ſimilitudinem, iſtud nomen ut aplicaretur, cauſſa videtur; abavus Grimus, cognomento Aries; Abavia Hervor, *Landnamæ* prælo excuſæ qvi liber Origines Islandiæ pandit, Geirvor; atavia Thorgerda Eylaugi Regis, aliis Sogniæ Baronis, *Niala* verò (hiſtoriæ nomen eſt) Helgii Halogiæ Regis, filia; tritavus Hialdus; tritavi pater Vatnar; tritavi avus Vikar; tritavi proavus Alrechus Vegetus Rex, qvi in Alrechſtadis, celebri Norvegiæ emporio Bergis vicino, prædio reſedit; tritavi abavus Eiricus Diſertus; tritavi atavus Alrechus, dicti prædii, ut videtur, ſeu fundator, ſeu eponymus, ſeu utrumque tritavi tritavus Eiricus; tritavi tritavi pater Skioldus; tritavi tritavi avus Skilfer, Vaurſiæ, qvæ Bergenſis Nomarchiæ pars eſt, Rex, à qvo Skilfingorum proſapia qvæ alio nomine, nempe ab hujus filio Skioldo, Skioldungorum qvoque dicitur, profluxit; Skilferis pater Halfdanus Senex, geſtorum gloriâ, tum etiam nobiliſſimarum totius Evropæ familiarum ſatu præluſtris, huic pater Hringus, Raumi filius, Noris Norvegiæ eponymi nepos. Ducit igitur Thorſteinus a Nore ramum decimum octavum, maniſeſto ingentis in genealogiâ hiatûs argumento. Ketillis Simi uxor fuit Ingvelda, Raumarikiâ, celebri Norvegiæ provinciâ, urbe Chriſtiania & arce regiâ hodie nobili, oriunda, Baronis Ketillis Vedurs ſeu Arietis filia. Fratres Ketillis Simi fuêre Hrappus (cui uxor nobilis Thorun Gnæningia Riupa, filius Thordus Skeggius) & Helgius alterius Helgii ſibi cognominis pater, cujus filius Biornus, Heiangurs Biornus dictus, ex Heyangriâ Sogniæ qvadam curiâ, nobilis & potens Sogniæ Baro. Omnes Thorſteini majores à Hialdo usque ad Norem, regio titulo & poteſtate, uti ea tempora ferebant, inclaruerunt. Liberi Ketillis ex Ingvelde fuêre, filia natu prima Audur, prædives dicta, Thorſteini mater, eaq; Regina; filii Biornus *Auſtræus*, ſeu Orientalis (à fratre & ſororibus in Hiberniâ & Hæbudis habitantibus, ita dictus, qvod Chriſtianam religionem, ad qvam ipſi converſi ſunt, præfractè faſtidiret, aſſimulatus hoc nomine Norvegis Ethnicis, qvi iſtis & ſitu &

nomine orientales ſunt, mitiore vocabulo, qvàm ſi Ethnicus appellaretur) & Helgius Biola; filiæ, natu minores, Thorum Hyrna, ſeu Cornuta; & Jorum Mannvitzbreka ſeu ſapiens. Ex his omnibus præcipuæ in Islandiâ, Færeyis & Orcadibus, familiæ profluxerunt, de qvibus *Liber Originum Islandiæ* fuſè tractat. Nos Ketillis tantùm geſta, Thorſteiniq. affines, & Soboiem exponemus.

Poſtqvam Haraldus ab expeditione in Hæbudas, & Monam, Orcadesq; ſuſcepta, domum redit, piratæ Scoti & Hiberni Hæbudas iterum occupârunt. Ad eos igitur domandos, inſulasq; in poteſtatem redigendas, Ketillem Simum, claſſe militeq; ſatis inſtructum, licèt admodum invitum, ſed imperio regio reniti non auſum amandavit, inſuliſq; præfecit, impoſitâ conditione tributi annui pendendi. Hic univerſam familiam eò deducit, relicto ſolo filio Biorno, latifundiis & prædiis in Norvegia præfecto. Educabat eum Comes Jamptiæ Kiallachus, filiâ Giaflauge deinceps in uxorem datâ. Ketill multis præliis, perpetuo victoriarum curſu, feliciter inſulas domuit, fœderibus deinde præcipuis occidentalium regionum Principibus, & affinitate per filiarum conjugia ſibi conciliatis, earum poſſeſſionem ſibi confirmavit. His fretus, claſſe & militibus ad Haraldum in Norvegiam remiſſis, apertè ab eo defecit, Principemq; Hæbudarum ſe gerens, & tributa & obſeqvii genus omne in poſterum detrectavit. Milites domum remiſſi retulerunt, feliciter qvidem Ketillem inſulas domuiſſe, ſed nullo Regis commodo. Itaque bonis prædiisq; omnibus fiſco regio addictis eum multavit, filium Biornum, qvi ſolus ex ejus liberis in Norvegiâ remanſit, poſtqvam proſcripſiſſet, per percuſſores neqvicqvam tollere annixus, in cognatos ejus, amicosq; iram vertit, ni ſe maturè ſubduxiſſent, acriùs ſæviturus. Sola hiſtoria, qvæ *Laxdæla* inſcribitur, qvam Arngrimus etiam ſecutus eſt, teſtatur, ideo invitum è Norvegia in Hæbudas profectum, qvod Pulchricomum ſuis prædiis inhiare vereretur. Filiam Audurem Olafo Candido ſeu Albo (Hviti enim hoc modo vertitur) dudum ante id tempus elocâſſe videtur: nam qvomodo conſiſtit, (qvod tamen ex Antiqvitatibus colligitur) filium ex eâ genitum Thorſteinum nondum natum, ſocietate cum Sigurdo Orcadum Comite inita, dimidiam Scotiam domuiſſe, ſi tum primùm filiam Audurem matrimonio ei junxiſſet: id qvod neque Scriptores antiqui neque Arngrimus obſervavit, qvi inveterato errori inhæret: qvod tamen *Laxdæla* haud obſcurè corrigit. Certè Audur infra annum Chriſti DCCCXL. naſci non potuit: ſi filius ejus Thorſteinus circa annum DCCCLXXX. in perdomandâ Scotiâ occupatus fuiſſet. Patri itaque ejus ante annum Chriſti DCCCLX. nupſerit, oportet: non poſt annum DCCCLXXV, poſtqvam Haraldus ſolus rerum potitus eſt. Ketillem namqve Simum circa annum DCCCXX. natum ſupponimus, ut ſexagenario propior cum exercitu ad Hæbudas miſſus videatur, neque enim decrepitum ad id electum ſtatuendum. Senem *laxdæla*, conceptis verbis, fuiſſe tradit. Cur autem ejus operâ, & potiſſimùm inviti, qvam aliorum uti maluerit Haraldus, aliam rationem probabiliorem afferre neqveo, qvàm qvòd affinitate occidentalium Regum ſuccinctum (ubi piraticam dudum ante exercuiſſe, *Laxdæla* tradit) facilè eos in ſuas partes allecturum nôſſet, (nihil enim de hominis, bonæ ad id usque tempus famæ, fide dubitabat) gener namque ejus Olafus natione ut videtur Norvegus, eò qvòd in occidentem expeditiones ſuſcepiſſe tradatur, (qvod addi non debuit, ſi vel Hibernus Scotus vel Anglus fuiſſet). Dublinum Hiberniæ civitatem cum ſubjecto territorio ſubegit, ſeq; ibi Regem conſtituit: ut malè alibi tradatur, filios Pulchricomi primos Norvegorum oppidum illud expugnâſſe. Nec ſcio, qvem Norvegiæ Regem *Cambdenus* ex vitâ Griffithi ap. Cynan Principis Walliæ Haraldi nomine intelligat, qvi poſt Edgaris Angliæ Regis tempora, annum ſcilicet, CMLXXV. qvo deceſſit, maximam Hiberniæ partem tenuerit, Dublinumq; condiderit. Tali proſapiâ, ex omni parte nobili, editus eſt Thorſteinus Rufus; nec ignobilioris familiæ affinitatem conſecutus, nam, poſtqvam pater ejus in Hibernia prælio cæſus eſt (naturæ conceſſiſſe circiter annum DCCCLXX *Wæus* tradit) mater Audur, in Hæbudas migrans, uxorem ei impetravit Thuridem, Eyvindi Auſtmanni filiam, cui mater Raforta Chiarvalis Hiberniæ Regis filia. Eyvindi pater

Biornus

Biornus illuſtris in Gautiâ (fortè Veſtro-Gautia) vir & valdè potens, filius Rolfi de Ane (prædii, an provinciæ nomen, ignoro) ex uxore Hlive filia Rolfi, Ingialdi nepte, Frodii Regis (nolim illius qvi inter Daniæ Reges eo nomine qvartus eſt, id enim cùm communiter recepta Islandiæ primitus inhabitatæ epocha admodum repugnat, ſaltus hic non gradus agnoſco, Frodiumq; hunc ab illo qvarto oriundum, communem multis intermediis avis nominis ſucceſſionem ſortitum) pronepte. Inter Biornum & Sigfaſtum Solvaris Gautiæ Comitis, vel Regis (utrumque enim traditur) ſocerum, lis de prædio orta, adeò Regis ſocerum offendit, ut omnes Biorni agros prædiaq; tanqvam fiſco damnata, occuparet, ac per vim detineret. Qvâ injuriâ exacerbatus, mobilibus omnibus, uxori Hlivi & filio Eyvindo traditis, ipſe argentum qvantum duodecim veredi vehèrent, ſecum diſcedens, avexit, incenſis prius nocte qvæ diſceſſum præceſſit ædibus Sigfaſti, cum ipſo domino & triginta domeſticis. Inde in Norvegiam duodecim famulis comitatus conceſſit. In provinciam Lyſtriæ Hvinam (hodie Qvinisdal) delatus, hoſpitio Baronis Grimi Kolbiorni Sneiperis filii, per univerſam hyemem uſus eſt. Primo vere percuſſor à Grimo conductus in eum, fucatæ humanitatis colore ſecurum, immittitur, qvem nocte qvadam ſtricto ſe gladio petentem præveniens, manu correptum, humiq; ſtratum, cùm occidere poſſet, tantùm ut veritatem proderet, adegit: confeſſum ſcelus ſe, Grimo ſubornante, machinatum, dimiſit incolumem. Poſt mortem uxoris Hlivis, Eyvindo filio omnem navium piraticarum vim tradidit: qvibus is feliciter uſus à Kiarvale Hiberniæ Rege, rei maritimæ præfectus conſtitutus, piratarum, maria, portusq; omnes infeſtos reddentium, cœrcendorum, commerciorumq; ſecuritati reſtituendorum provinciâ in ſe ſuſceptâ, filiam ejus, mutuæ fidei pignus, in uxorem accepit. In Hæbudis natus ex iis Helgius, ibidem in patrio ſolo educandus relinqvitur, qvi, poſt biennium redeuntibus parentibus, qvòd inediâ maceratus, deprehendebatur, cognomen Macri reportavit, & deinde in Hiberniam deductus, ibidemq; educatus, adultior uxorem duxit Thorunem Hyrnam ſeu Cornutam, Ketillis Simi Hæbudarum Principis filiam alteram, Thorſteini Rufi ſororii ſui materteram. Qvâ affinitate, Regibus propinqvâ, haud exiguum rebus familiæq; Ketillis Simi augmentum deinceps acceſſiſſe viſum eſt. Hic Helgius poſtea in Islandiam cum totâ familiâ anno reparatæ Salutis DCCCLXXXVIII migravit, Spatioſiſſimumq; tractum aqvilonaris inſulæ qvadrantis, nomine Eyafiordum, occupavit. Chriſtianis ſacris, qvibus infans initiatus eſt, per totam vitam adhæſit, valdè tamen in religionis articulis rudis: nam Thorem, ad ardua negotia, itineraq; maritima feliciter expediunda, invocandum, cætera Chriſtum dictitavit, tanqvam cum Thore diviſum imperium habentem. Simile *Witichindus Monachus*, & *Sigebertus Gemlaſenſis*, de Danis, in primis religionis Chriſtianæ incunabulis, prodidère. Alter Eyvindi filius, nomine Snæbiornus, aliam Islandiæ partem, ſuæ familiæ transportatione, poſteris replevit. Thrandus qvoque, Eyvindi Auſtmanni frater, conſangvineus tantùm, adhuc aliam. De affini Thorſteini familia, uxorisq; ejus majoribus, hoc qvidem loco, abundè dictum eſt. Jam ad eum ipſiusq; Liberos calamum vertamus.

Poſt peractas cum Eyvindi Auſtmanni filiâ nuptias, Thorſteinus in Scotiam cum exercitu profectus, unitâ cum Sigurdo, Orcadum Comite, bellicâ ſocietate, ea geſſit, qvæ ſupra retuli, qvodq; Regis filius eſſet, partem ſibi ſorte datam in Scotiâ regni titulo uſurpavit. Forſitan etiam Sigurdo Comiti ſuperſtes imagine qvadam juris, qvod vocant, accreſcendi, illius qvoque ditionem ſuo imperio adjecit, ut pote communi auſpicio, ductuq; partam, dimidiæ namque Scotiæ Rex fuiſſe perhibetur, donec eum Scoti inſidiis circumventum, prælio tamen ſignisq; collatis, fudiſſent, (Oſtini, qvem *Waræus* dolo Oſtmannorum ad annum DCCCLXXV occiſum tradit, frater, non ipſe Oſtinus fuiſſe videtur). Qvod ut mater Audur, in Cataneſia tum forte degens, percepit, nave intra ſaltuum abdita, occultè fabricatâ, in Orcades curſum direxit, ubi neptem ſuam Groam, Thorſteini filiam, ſplendido matrimonio Dungadi, nimirum Cataneſiæ Comitis, junxit, ex qvo Grelodis, Thorfinni Hauſakliufi ſeu Craniorum Sectoris, Orcadum Comitis uxor, nata eſt, Ludo-

vici

vici mater, Sigurdi Crassi avia. Inde ad Isladiam Lustrandam profecta, constituto præfecto navis, rerumq; suarum Kollo Vedra Grimi (à futuræ aëris constitutionis præsagio ita fortè dicti) filio, Asii Baronis nepote, in transitu ad Færeyas, navem appulit, ubi aliqvantisper morata, aliam Thorsteini filiam Olufam, neptem qvoque suam Principum uni elocavit. Inde celebris Gotuskeggorum seu Gotubarborum familia orta est. Retulit mihi venerandus vir, Magister *Lucas Debes*, Ecclesiarum qvondam Færeyensium Præpositus, nunc piè mortuus, communiter Færeyenses se Scotorum rege qvodam oriundos gloriari, de qvo tamen nihil, & ne nomen qvidem referre nôrint. Is ipse est, de qvo agimus, Thorsteinus. Nomen mariti Olufæ non inveni: celebres filios *Codex Flateyensis* non obscurè indicat, Thorbiornum nimirum, & Sigmundum, dictos Gotuskeggos. Thorbiorni filii, Thorlacus, & Thrandus ille astutissimus. Sigmundi, Brester & Beiner. Bresteris filius, summus vir, Sigmundus, natus anno Christi CMLXVI, is, qvi Christianam religionem auspiciis, secundum Deum, Olafi Tryggvini, primus ibi felicissimè promulgavit, & reliqvis persvasit. Beineris filius Thorer, natus anno Christi CMLXIV. Tradit enim dictus Codex, Olafam sociatam celeberrimi Færeyensium nuptiis, unde Gotuskeggorum familia ortum traxerit; primos ejus familiæ Thorbiornum & Sigmundum recenset (filios fuisse breve spatium à nuptiis proavorum ad editos pronepotes, vixoctoginta annorum apertè monstrat). Post annum DCCCLXXX. Olufa nupsit; pronepos Thorer Beineris filius anno CMLXIV natus est. Tertiam Thorsteini filiam Thorgerdem, Kollo præfecto suo in conjugem dedit, qvi provinciam Laxardalum, in Occidentali Islandiæ qvadrante, postea occupavit, dictus inde Dalakollus: cujus filius Hauskuldus, vir celebris. E Færeyis in Islandiam vela faciens Audur, in loco Vikarskeid dicto naufragium passa, ad fratrem Helgium Biolam, in provinciâ Kialarnesiæ id temporis habitantem, concessit, qvam postqvam, cum dimidio tantùm comitatu, ad hospitium per hyemem invitavit, contemptui fuit mulieri, prioris fortunæ memori, regiosq; spiritus, celsissimæ sortis jure, gerenti, vaticinata deinceps, humilis animi fratrem, diuq; exilem futurum. Inde ad alterum fratrem, Biornum Austrænum, in occidentalem insulæ qvadrantem, ad sinum Breidafiordum habitantem, magnis itineribus contendit. Is, cum universo famulitio obviam ei procedens, honorificè exceptam cum omni comitatu invitavit, dictitans probè se sororis magnanimitatem noscere. Ibi, hyeme transactâ, universam regionem, qvam interiora sinus Breidafiordensis alluunt, occupavit, Dalensium regionem vocatam, spatiosum tractum fluvios Skraumuhlaupensem & Aurridensem interjacentem; reseditq; in prædio, cui nomen Hvammur; remanseruntq; diu rudera, ex ejus nomine Audartoptir dicta. Preces ad Deum devotè, (erat namqve Christiana) in collibus, à crucibus, jussu suo, ibidem erectis, indeq; Krosslholar à se nuncupatis, fundere solebat, qvos posteri ejus religiosè deinde colentes, delubris, Ethnicâ idololatriâ succedente, statuendis delegerunt, persvasi se in illos post mortem migraturos. Occupati deinde territorii partes, inter socios nauticos, liberosq; suos divisit. Inter cæteros, Erpus, Melduni cujusdam Comitis è Scotiâ, prælio cum Sigurdo Eysteini filio, Orcadum Comite gesto, occisi filius, cum matre Mirgiole, Gliomalis Hiberniæ regis filiâ, belli fortunâ, in victoris potestatem, simul etiam servitutem redactâ, serviles operas uterque præstare coacti sunt. Ancillâ Comitis factâ, fidelem ei operam navavit; abstrusiores artes calluisse visa, nescio qvid magni sed notatu dignum præstitisse memoratur, fætu Comitis, dum calidiori aquæ immersa balneo ablueretur, nondum nato, conservato. Certè tanti ea opera æstimata est, ut Audur eam cum filio magno pretio redimere haud dubitaret, propositâ libertatis ipe, si eandem operam nurui suæ Thuridi, Thorsteini uxori, præstaret. Industriâ igitur, & artis suæ peritiâ, non libertatem modò sibi, sed etiam filio, opimumque prædium, Saudafell dictum, promeruit. Magnâ inde prosapiâ orta, Erplingorum familiam constituit. Qvartam Thorsteini filiam, Thorhildem, Eysteino cuidam Meinfreto, viro primario, elocavit. Fuit ille Alfi de Osta filius, (Paræcia est prope oppidum Bergas) sed Islandiæ civis factus: numerosa

progenies

progenies inde pullulavit. Neptum qvinta, nomine Oske, Hallſteino Thorolfi Moſtrobarbi filio, Thorskafiordenſis provinciæ Flamini ſeu Curioni, Auduris auctoritate, nupſit. Sextam Vigdiſem, Kampa Grimo ſeu Grimo miſtaci uxorem dedit. Nepoti, qvem unum nomine Olafum, avi nomen referentem cognomine Feilanem habuit, Thorſteini filio, ſplendidiſſimi generis conjugem providit, Alfdiſem, Bareyenſis Konalis filiam, Steinmodi neptem, Aulveris infantium vetuli, (ita dicti qvod abhorreret à more, qvo infantes gladiorum mucronibus in ſublime levati, cruciabantur, piratis aliàs uſitato) proneptem. Multæ inde familiæ, ſatis qvidem claræ, exortæ ſunt. Fuit Audur, ut dictum eſt, fœmina magnifica. Ut ergò exitum vitæ prævidit, convivium ſplendidum apparavit, invitato magno propinqvorum, principumq; familiarum, amicorumq; numero. Ipſa miniſtrantium partes obiens, ſingulos lautè per triduum excepit, qvibus, pro more, deinceps, ut ſub finem conviviorum ſolebat, liberaliter donatis, habitâ conditionis dignitatisq; cujusque ratione, præmiſſâ luculentâ oratione, graviſſimis monitis conſiliisq; relictâ, aliud triduum, convivium ut extraherent exeqviis ſibi celebrandis, mandavit eademq; nocte deceſſit. Sepulta eſt, prout præceperat, in littore. In pulvere namque profano, nullis ſacris ritibus initiato, reqvieſcere noluit; qvòd, ſacrâ limphâ ablutâ, purioris religionis particeps facta eſſet.

CAP: VI.

Halladus Comitis Rognvaldi filius, Comitis dignitate auctus, in ordine Comitum tertius, Orcadum regimen ſuſcipit; homo deſes & Ignavus, piratarum incurſum armis propulſare negligit; interpellatus à civibus, imperio abdicato, Norvegiam repetit, ſtatumq; Hauldicum aſſumit, is, qvàlis fuerit, explicatur.

QVantum de Thorſteino Ruſo literis proditum accepi, digreſſu, ſed ab hiſtoriâ non omninò alieno expoſitum eſt. Ad Orcades redeo, qvæ jam ab exceſſu Guttormi, ad patruum Comitem Rognvaldum, jure hereditario, redibant. Qvibus ille Halladum filium præfecturus, ad Haraldum Regem, qvi Comitis eum titulo ornaret, priùs ablegavit. Hic mox acceptâ (ut loqvuntur) inveſtiturâ, in inſulas conceſſit, inq; Roſſeya, veluti qvadam latebrâ, qvietus reſedit, otio deſidiæq; deditus: cæteras inſulas à piratis impunè exſpoliari, homines occidi, opes diripi, cives omni injuriæ genere pro effræni piratarum libidine affici, qvaſi ſua nihil referret, paſſus eſt. Incolis aſſiduas direptiones, tanqvam conſenſu ejus licitas, apud eum qvæſtis, tantum aberat, ut præſidio eſſet, ut generis dignitatisq; oblitus, latronum tædio, qvibus compeſcendis imparem ſe animadvertit, abdicato officio, ſummo cum dedecore opprobrioq; in patriam rediret, ibiq; Hauldico ſtatu recepto, contemptui fuit. Eſt autem ſtatus Hauldicus, idem qvi nobilitatis, ut ex hoc loco planum eſt: nam & Herſar ſeu Herſii, qvi aliàs Lendermenn, Satrapæ ſeu Præfecti, vel Barones, ut & Comites creabantur à Regibus: Hauldi naſcebantur, id qvod Arngrimum non ſatis obſervâſſe exiſtimo. Eſt autem Hauldus, *Codice Gulathingenſi juris veteris* Tit: *Landzleigubalki Cap*: *LX* deſcribente, qvi in bona allodialia, tam paterna, qvàm materna, ſucceſſit, medius inter barones ſeu ſatrapas & ruſticorum eos, qvi bona ſoli, ſed non gentilitia poſſident: pari ab utrisque intervallo diſtans, Hauldus eſt.

CAP: VII.

Filius Comitis Rognvaldi, nomine Einar, ſervâ natus, altero oculo captus, facie turpi, qvartus Orcadum Comes creatur; mox piratis Danis prælio fuſis, ſecuram ſibi inſularum poſſeſſionem aſſerit. Filii Pulchricomi, Halfdanus Altipes & Gudriodus Liomius, Rognvaldum Meriæ Comitem occidunt. Gudriodus patri ſe dedit, Halfdanus in Orcades provectus. Einarem, inſulis deſertis, in fugam compellit, ibiq; ſe Regem conſtituit: eodem autumno ab Einare occiditur: eruti pulmones, Odino, pro victoriâ, dedicantur. Haraldus Norvegiæ Rex, Orcades devectus, filium ulturus Einarem fugat: pax per mediatores reducitur: Cives grandi pecuniâ multantur, qvam Comes Einar univerſam ſolvit, agris civium ſub hypothecâ ſibi obligatis, donec multam ſolverent: atque ita inſulas vaſalli titulo recipit, ſine penſionis onere. Ejus filii. Illius fratrem, Ducem Normanniæ, Robertum primum, Rollonem aliis dictum, fuiſſe monſtratur. Ejus progenies, per Norvegiam & Islandiam ſparſa, ſparſa qvoque per Islandiam, tam ex Comite Einare, qvàm aliis filiis Rognvaldi ſoboles, refertur.

POſt Halladi diſceſſum, duo prædones Dani, Thorer Treskeggus ſeu Lignobarbus, & Kalfus Scurfa ſeu ſcabioſus, inſulas, jam Rectore vacuas, & injuriis opportunas, occupârunt. Qvod ut Rognvaldus, certâ relatione, percepit, ignaviam Halladi, qvem degenerem, familiæq; portentum pronunciavit, execratus, cæteros filios convocatos profiteri juſſit, qvinam Regium munus, familiæq; decus, utrumque ignavi fratris deſidiâ vel fœdatum, vel amiſſum, vindicare auſit.

Erant Rognvaldo filii ſex, qvorum primus Ivar, ex legitimâ uxore Ragnhilda, Rolfi Nefiæ ſeu Naſonis, ingentis viri, filiâ ſuſceptus, in Hæbudis, dum Regi Pulchricomo militaret, prælio cæſus. Secundus Rolfus, aliis Rollo, Pedeſtris, de cognomine ejus, cujus nomen ſimul cum cognomine in familiam primò transmiſſum eſt, dictus, poſtea Robertus primus Normanniæ Dux. Tertius Thorer Tacitus, proximus paternæ ditionis Rector, ſucceſſorq; filiæ Pulchricomi Olufæ Arbotæ maritus. Et hi qvidem legitimi. Totidem extra conjugium nati. Halladus, de qvo dictum, Hrollaugus, & Einar matre ſervâ, generis ſordibus pudoreq; comiſtionis minus decoræ, patri vilis, ſimul & exoſus.

Primus Thorer Tacitus, qvò ſe pater ablegaret, proceſſuum profitebatur: ille verò domi ei manendum, nutrice patriâ manſvetâ ſimul & facili uſurum reſpondit. Frendens animi Rolfus, inſularum imperium poſtulavit. Cui pater: abundè, inqvit, ei animi corporisq; virium, audaciæq; cuncta minùs ſubacta qvàm civilis imperandi ratio reqvireret. *Codex Flateyenſis* peregrè id temporis profectum, piraticisq; negotiis occupatum, dum hæc agerentur, refert. Cui etiam accedo, ſi, ut qvidam Scriptores Gallici tradunt, Gemetias anno illius ſeculi LXXVI devenit, fortè priùs, qvàm proſcriberetur: diu enim latrociniis aſſveverat: &, cum tantis poſtea ſucceſſibus inclaruerit, imputatum fortè ei eſt, qvod vel alii geſſerunt, vel qvibus ipſe, licèt non Princeps, tamen interfuit. Prodiit deinde Hrollaugus, aſſeren-

endis insulis paratum se ostendens: qvem mitiori ingenio pater pronunciavit, Islandiamq; fatis ei monstrari, præsagire animum, ibi magnum virum, clariq; stemmatis parentem futurum. Einar novissimè accedens, me igitur eò mittito, inqvit, tibi cæteroqvin invisum, nec ad ampliorem spem in patriâ adspirantem, adde copias, qvibus interceptas insulas è manibus prædonum eripiam; gratissimam tibi rem promittam, me nunqvam deinceps in conspectum tuum rediturum. Minùs te idoneum Principem, aut familiæ nostræ decori futurum, respondit pater: maternum genus totum servile pollicetur: Verùm, qvòd conspectui te meo subducturum, absciſſa reditûs spe, polliceris, id eqvidem longè gratissimum, & tanto acceptius, qvò discessus prior, reditusq; in posterum minùs sperandus. Mox navi viginti scalmorum donatum, Comitisq; titulo dignitateq; à Pulchricomo ornatum dimisit. Primo in Hialtlandiam vectus, copias magnas, incolis passim ultroq; confluentibus, colligit. Inde Orcades, ubi prædictos piratas, duabus navibus instructos, adortus, cruento prælio fudit, de qvo distichon id temporis factum remanet:

Ficosum & Lignobarbum detrusit ad orcum
Einar, cui Cespes nominis author erat.

Dictus est Einar de Cespite, patriâ lingvâ *Torf-Einer*, qvòd lignorum inopiam cespite bituminoso, in Torfnesiâ, Scotiæ promontorio, effosso Orcadenses primus supplere docuerit: silvis enim insulæ carebant.

Qvadragenarius erat Haraldus, cùm filii, jam adultiores, indignabantur Comitibus, respectu sui ignobilibus, regni partes concessas: se rege satos, tantisq; natalibus dignos, Viros strenuos, reiq; bene gerendæ idoneos præteriri. Igitur Halfdanus Altipes & Gudrodus Liomius Rognvaldum Comitem Mærensem, magnis militum copiis, inopinantem, primo fortè vere, adorti, incensis ædibus, cum sexaginta satellitibus, flamma fumoq; consumptis, oppressêrunt. Gudrodus in provinciis, qvas tenuerat, qvasi justo bello partis, aut jure vindicatis, consedit. Halfdanus, tribus longis navibus ibidem direptis, occidentalem oceanum piraticâ infestum reddidit. Qveis cognitis, Haraldus, cædem Comitis vindicaturus, adversus Gudrodum movit. Hic rebus suis diffidens, Regis se potestati permisit, veniaq; impetratâ, in Agdiam jussu ejus seponitur, suppositio, in patris Rognvaldi locum, filio, Thorere Tacito, matrimonio filiæ suæ Alofæ, Arbotæ deinceps dictæ, (qvod anni vel annonæ remedium denotat) insuper ornato: visaq; est paterna cædes repensâ interfectoris pœnâ, affinitate Regiâ, & restitutione in universam paternam ditionem. Halfdanus autem Altipes valde improvisus in Orcades delatus, Comitem Einarem, fugâ sibi salutem qværentem, in Catanesiam compulit. Ipse, exscensione factâ, insulas sibi regendas tanqvam legitimo Regni Norvegici hæredi, usurpato etiam Regis titulo, arrogavit, multis, virium defectu, metuq; potentiæ vel sævitiæ, ad eum transeuntibus. Proximo autumno Einar, Halfdano jam securo majoribus viribus comparatis, revertens, omnibus ejus copiis, primo statim congressu, dissipatis, eum in fugam compulit; mox etiàm à suis desertum, inter noctis tenebras, impeditas & avias latebras qværentem, victor, fiduciæ speiq; plenus, alacres milites in navibus revelatis excubias agentes observare jussit. Postero die circa diluculum, fugitivi, qvotqvot investigari poterant, neci dati. Jamq; procul omnia perlustraturus Comes, sublimes circumferens oculos, nescio inqvit, qvam hominis vel alitis imaginem in Rinarseya adspicio, nunc sursum se, nunc deorsum, momento ferentem. Nec mora, emissis exploratoribus, Halfdanus agnitus ad Einarem defertur, is gladio dorsi scapulis adacto, omnes, à spina usque ad lumbos, costas separavit, exemtosq; pulmones, Odino, pro victoriæ perennitate, dedicavit, rhythmumq; cujus hic est sensus in perpetuam ejus memoriam ex tempore fudit. Mortem qvidem Rognvaldi ulti sumus, Parcis hic justè judicantibus. Meo qvadranti cædes obtigit regia, (Halladum enim inter fratres, aut non censuisse, aut qvidam eorum, qvi post Ivaris cœdem qvintus erat, fato functus videtur, nam per qvadrantem se qvartum intelligit). Contegite alacres viri, qvoniam victoria penes nos, Altipedem lapidibus: durum ei tributum (saxa

tumulo excitanda intelligit) reddo. Aliam cantilenam, poſt partam victoriam, præcedenti veſpere, cùm Halfdanus è navi proſiliens mari ſe immerſit, cecinit, hoc ſenſu: Non vidi haſtam in hoſtium cohortes ê Rolfi vel Hrollaugi manibus emiſſam. Nobis vindicta patris ceſſit, qvin & hoc veſpere, dum cruentum navale gerimus bellum, Thorer Comes ad hæc tacens in Mæria ſedet (alluſit ad cognomen Thoreris). Hinc planum eſt, (exſtat namque verſus idiomate patrio) qvatuor hos fratres fuiſſe: Halladum autem, (ſive mortuus ſive vivus erat) ut tanto genere indignum, præteriit. Hæc cædes anno poſt natum Chriſtum circiter DCCCXCIII perpetrata videtur. Cecinit & tertiam cantilenam, qvâ ſibi regiæ prolis cædem gratulabatur.

Hæc in Norvegiam perlata fratres Halfdani valdè commoverunt, protinus ad vindictam paratos, nî pater, moras nectendo, impediviſſet: qvorum minas, ad ſe delatas, cùm Einar percepiſſet, rhythmis exſibilavit hujus ſensûs: Multos namqve ovium ſubreptarum reos agi, dixit, ſe verò cædis, Regis filio illatæ: eſſe qvidem, qvi haud leve ſibi à generoſo Rege periculum imminere prædicerent: Sibi verò cladis, Haraldo illatæ, vindictam haud qvaqvam extimeſcendam. Adjecit & alios Rhythmos hoc ſenſu: Sunt eqvidem multi, hinc inde confluentes, viri minimè viles, nec ſine causâ mei ſangvinis avidi, incerti tamen, niſi me fuſo, qvinam noſtrûm aqvilis præda fiet. Tandem Pulchricomus, exercitu haud modico claſſi impoſito, ad Orcades vectus eſt. Qvod ut Einar cognovit, in Cataneſiam, Scotiæ promontorium, ſeceſſit. Per legatos deinde locus, ubi Rex Comesq; convenirent, lectus: Ibi Comes, Regis arbitrio cuncta permittens, promiſit fore, ut ejus judicio ſe ſiſteret. Rex Comiti & univerſis Orcadum incolis, ſive qvòd Vaſallum adverſus Dominum ſuperiorem juverint, ſivè qvòd omnes, crimine occiſi filii, contacti fuerint, multam ſexaginta ſelibrarum auri indixit. Nimium illud, civibus viſum: ſed Comes ſe ſolum, omnium nomine ſummam hanc numeraturum pollicebatur, ſi agros omnes ſuos ſibi poſſidendos permitterent. In id haud gravatè conſenſum eſt, eò qvòd pauperioribus agrorum exiguum eſſet, ditioribus redimendi, qvandocunque liberet, ſpem certam facultates ſuggererent: ſolus igitur Comes irrogatam multam ſolvit. Qvâ acceptâ, poſtqvam Rex Scotiam, *Glumeri* odâ teſtante, armis infeſtâſſet, eodem autumno in Norvegiam rediit.

Longo deinceps tempore prædia omnia Orcadenſium, penes Comites remanebant, qvoad Sigurdus Hlodveris, ſeu Ludovici filius civibus eadem reddidit. *Chronicâ Norvegica in vitâ Divi Olafi* tradunt, abſente Comite, cives omnes Orcadenſes à Rege agris allodiisq; ſingulis multatos, juramentoq; ad poſſeſſiones in proprietatem ejus transferendas adactos, & poſtea pacem coaluiſſe iis conditionibus, ut, beneficio Regis, Comes, ſed absque tributi onere Orcades, teneret, qvod jugi ſumptu ad inſultûs hoſtiles, iis temporibus ſolennes, propulſandos penſaretur; ſolviſſe autem in præſens ſexaginta marcas auri: id autem, ſuo Civiumq; nomine; factum apparet, cum poſſeſſiones eorum ſub hypothecâ obligatas eâ de cauſâ teneret.

Einar longo tempore deinceps inſulas feliciter rexit, Princeps animi excelſi, qvo materni generis ſordes, corporisq; vitia, ſatis ſuperq; penſabat: erat autem facie turpi, altero oculo captus, qvo tamen acriùs viderat, qvàm alii duobus. Morbo ſenex, qvo anno, neſcio, deceſſit, tribus filiis Arnkele, Erlendo & Thorfinno Hauſakliufo, ſeu capitum ſectore, relictis.

Ex prædictis conſtat, Rolfum Pedeſtrem ſeu Robertum Primum, Normannorum Ducem, ſubſeqventiumq; Comitum, ut & Sereniſſimorum Angliæ Regum radicem, & communem ſtipitem, natione Norvegum, Rognvaldi Mæriæ & Raumsdali Comitis filium, Einaris de Ceſpite, & reliqvorum (qvos memoravi) Rognvaldi filiorum fratrem fuiſſe, antiqviſſimâ memoriâ omnibus, membranis & chartis conſignatis, illud unanimi conſenſu aſtruentibus, genealogiis inſuper à Gore Noris fratre ad eum usque derivatis, etſi magnam partem mutilis, rerum tamen circumſtantiis ſe tuentibus, fratrum inſuper & matris certis nominibus ſerieq generis ab illis de-

lis deductâ, in Orcadibus & Islandiâ, Fœreyisq; numerosissimâ subclamantibus. Ut taceam ipsius Einaris metricum testimonium, non hodie, heri, aut nudius tertius in numeros redactum, antiqvitatis genere probatissimum, qvo propriis nominibus Rolfum, Thorerem Tacitum & Hrollaugum expressit, sibiq; qvadrantem in paternâ ultione competisse joco cecinit. Hæc qvanqvam ita se habeant, inventi tamen sunt celebres viri *Pontanus* & *Claudius Lyschander* Serenissimi Daniæ Regis, glorioſissi næ memoriæ, Christiani Qvarti qvondam Historiographi, qvi Rognvaldum ejus patrem, ut & ipsum Rolfum Danos fuisse contenderent, conqvisitis, ad sui dogmatis fidem stabiliendam, undiqve rationibus, qvas prolixè in historiâ Norvergicâ ipsorum verbis exscripsi, non sine responso ad singulas, qvæ si lucem aliqvando viderit publicam, eò Lectorem remitto. Illud hoc loco adjiciam, monstrari hodieq; in Sunmæriâ eadem Rolfi navalium rudera, unde ille expeditionem in Galliam meditatus solvit, famâ, ex illo tempore, intermediis seculis, usque in præsens, illud constanter perhibente. Id qvod mihi Clarissimus vir Magister *Christophorus Hiermann*, Senex venerandus, Ecclesiis ibi Præpositus, & Paræciæ Pastor nunc piè mortuus, bonâ fide retulit. Ipse qvidem Rognvaldus, ejusq; exemplo filiorum singuli, Islandiam, vel filiis suis, vel posteris auxerunt. Hrollaugus civis ejus factus orientalis tractûs inculta occupavit, muneribus à Pulchricomo missis, deinceps honoratus. Ejus pronepos Hallus de Sidâ, inter Principes patriæ suæ opibus & indole primarius, à qvo præter celebria patriæ nomina *Sæmundum* & *Arium* Polyhistores, qvatuor Islandiæ Episcopi, inq; his unus in divorum numerum relatus, duo qvoque Comites Orcadenses, uterque sanctorum albo inscripti, Magnus & Rognvaldus Kalius, profluxerunt. Duo etiam Thoreris Taciti liberi, Jorundus Hallus & Vigdis, ab ipso Pulchricomo Ingimundo Islandiæ partis Curioni elocata, eò migrârunt, ut & Halladi neptis Thurida, qvæ Kollo, civi eximio, nupsit. Einaris qvoque de Cespite filia Hlif, qvæ nupsit Thorgeiri Eylifi filio Ketillis unimani, unius primorum occupantium nepoti. Eorum filius Skeggius Hialtii, pater illius, qvi cum socero Gisiure Albo, auspiciis, secundum Deum, Regis Olafi Tryggvini Islandiam ad sacra Christiana perduxit, ut & ex filiâ Thordise, nepos, Einar & ipse dictus, Thorbiorni Klausii filius. Qvin & ipsa Rolfi, seu Roberti Normannorum Ducis, neptis, nomine Nidbiorg, ex filiâ ejus Kadline, nuptâ Scotiæ Regi, Scotorum scriptoribus incognito, Biolani, inter piraticas excursiones prædasq; intercepta ab Helgio Islando, Ketillis Simi pronepote, inq; uxorem ducta eò delata est, qvæ deinde illustria per Islandiam & Norvegiam stemmata progeneravit. Eorum filii Osvisus, Sapiens dictus, & Einar Skalaglamus, qvi Haconi Hladarum Comiti, in præliò Jomsvichingensi, fortiter militavit, de qvo ibi plura. Osvifi filius Uspachus, filia Gudrun, qvæ maximum virum Kiartanem, Myrkiartanis Hibernię Regis pronepotem præclarum patriæ civem occidi curavit. Uspachi filius Ulfus, Haraldi Imperiosi Norvegiæ Regis, Sancti Olafi fratris Stallarius, cui is uxoris suæ sororem Jorunem Thorbergi Arnini filiam, Ingibiorgis Thorfinni Orcadum Comitis uxoris sororem patruelem, conjugem dedit. Eorum filius Jonde Rasvelli. Ejus filius Erlendus, cognomento Himaldus, Eysteini seu Augustini Archiepiscopi Norvegiæ pater, ejus, cui *Theodricus Monachus* historiam Norvegicam nuper excusam inscripsit. Ulfi & Jorunis filia fuit Birgida mater Sauda Ulfi, seu Ulfi ovis, patris Petri Byddar Sveini satraparum sui temporis præcipui, de qvo in vitâ Sigurdi Bronchi; ejus filius Ulfus Flys. Magnum itaque & illustre stemma, à Rolfo per Norvegiam sparsum, Islandia fudit, à Scotiâ derivatum.

CAP: VIII.

Inter filios Haraldi Pulchricomi Eiricum Blodoxium & Haconem Adalsteini alumnum, contentio de regno exorta. Eiricus, à

ſuis deſtitutus, regno excedit, Angliam petit, Northumbriam jure clientelari ab Adalſteino Angliæ Rege accipit, ſit Chriſtianus cum omni familiâ exercituq;, qvi dum Succeſſor Adalſteini Edmundus feudo eum exuere meditatur, occupat injuriam, ejusq; provincias vaſtat. Secuti eum Erlendus & Arnkell, Orcadum Comites, prælioq; unà cum eo occiduntur. Gunnhilda Eirici uxor, cum filiis profuga, Orcades petit, occaſioneq; inimicitiarum inter Reges Daniæ & Norvegiæ, Daniam adit, ibiq; cum filiis benignè excipitur.

POſt exceſſum Einaris, magni motus Norvegiam concuſſerunt, orto inter Haraldi Pulchricomi filios Eiricum Blodoxium & Haconem Adalſteini alumnum, contentioſo, de regni poſſeſſione, certamine, qvo cives per factiones diviſi, in diverſa diſtrahebantur. Eiricus jure, ex teſtamento patris, de regno, (qvod bello qvantumvis injuſto partum, longâ tamen ſubditorum patientiâ in conſenſum verſâ, ipſe ſibi patrimoniale fecerat) liberè diſpenſantis, acqviſito, potior: Hacon cauſſæ præſidio deſtitutus, opibus auxiliisq; nutricii ſui Adalſteini Angliæ Regis, populariq; aurâ, civiumq; ſtudiis prævaluit, qvos blanditiis, comitate, & profuſæ benevolentiæ oſtentatione demulſerat, promiſcuè omnibus allodialia jura offerendo, & allodiorum habitatoribus, jus proprietatis in ſingula. Qvo effectum, ut ſubditi, proſtitutâ fide, regnum, in qvod illis nihil juris erat, his conditionibus venderent. Ad hæc Eiricus, diverſis ab Haconis moribus præditus, civium animos à ſe ſenſim alienavit, qvòd tum ſuopte ingenio, tum etiam uxoris inſtinctu aſperior eſſet, qvàm illi jam, præſertim rerum novandarum ſpe luxuriare occipientes, ferre poſſint. Multorum præterea Principum odia, ob admiſſa in fratres, licet non omninò (ſi Biornum Mercatorem exceperis) injuſta, parricidia, tamen in ſe concitavit. Id qvod rebus Haconis ingens momentum afferebat, tranſeuntibus ad eum plurimis, & inter hos permultis Eiricianæ factionis proceribus, qvorum nutum imperiumq; infima plebs & promiſcuum vulgus ſecutum ad tantam deſperationem Blodoxium adegit, ut omiſsâ belli defenſionisq; curâ, regnum exſilio actutum permutaret. Transmiſſo igitur oceano, cum omni manu, qvæ imperiuu auſpiciaq; ſeqvi, non detrectabat, aſſumpto etiam Arnbiorno Fiordarum ſatrapâ, ſui ſemper ſtudioſo, & ejusdem educationis ſocio, liberorumq; ſuorum qvorundam Nutricio, jam ſpontanei exſilii Comite ad Orcades pervenit. Inde, magno exercitu collecto, Angliam petiit. Verum cum Rex Adalſteinus, qvod inter ſe patremq; ejus magnum neceſſitudinis commercium fuiſſet, conditionem offerret, tractûs cujusdam Angliæ, clientelari, libero tamen imperandi, tributaq; percipiendi jure, à ſe impetrandi: modò, abnegatâ Ethnicâ idololatriâ, Chriſto cum omni familiâ in poſterum ſe nomen daturum promitteret. Accepit conditionem Eiricus, Northumbriamq; aſſecutus, cum uxore, & liberis, omniq; familiâ, & exercitu Chriſtianam religionem amplexus eſt, & Sacro Sancto Baptiſmatis lavacro mox, ablutus Eboraci fixam domicilii ſedem habuit. Hæc ad annum Chriſti CMXXXV. referenda videntur. Integrum deinde qvinqvennium ad obitum Regis Adalſteini effluxit. Deceſſit ille apud Glavornam, anno Domini CMXL. XXVII. Octobris cùm regnâſſet annos XIV, hebdomades octo, & dies tres. Delatus ad urbem Maidulfi, inq; Palmesburg honorificè ſepultus. Succeſſit ei frater Edmundus, Norvegis minus æqvus, animiq; in Eiricum parum propenſi. Unde ſermonibus vulgabatur, alium eum Regem Northumbriæ, Eirici loco ſubſtitutum. Qvod ut ad Eiricum delatum eſt, expeditionem per occiduas inſulas facturus in Orcades conceſſit, Arnkelemq; & Erlendum, Einaris de Ceſpite filios, ſecum militaturos, cum expeditâ armatorum phalan

phalange, navibus abduxit. Inde in Hæbudas classe delatus, piratarum magnas copias spe prædæ accensas, ad belli societatem facilè pellexit. His auctus, Hiberniam & inde Bretlandiam, seu Cornaviam, diripuit; mox successu audacior, austrum versus trajiciens, Angliam depopulatus est. Omnibus fugâ dilapsis, numero virtutiq; bellatorum confisus, in regionis loca mediterranea prædabundus penetrare non dubitavit. Præfuit isti tractui Rex qvidam nomine Olafus, custodiæ illius ab Edmundo Rege præfectus; hic, ingenti exercitu contracto, manum cum illo conseruit, magnâ qvidem suorum, toto ante-meridiano tempore, jacturâ, copiis verò ex omni angulo ad se certatim confluentibus, integri fessis, validi saucis succedentes, omnem belli cladem in Normannos, pomeridianis horis verterunt. Finis certaminis idem, qvi diei, ipsum Eiricum cum qvinqve Regibus, Guttormo nempe, duobusq; ejus filiis, Ivare & Hareco, præterea Sigurdum & Rognvaldum finivit. Accesserunt cladi Arnkell & Erlendus Orcadum Comites; exercitusq. Eirici ad internecionem deletus est. Qvotqvot Normannorum ex hac clade superstites fortuna reservavit, Northumbriam profecti, Gunnhillda filiisq; ejus tristem afferebant nuncium. Qvi, cognitô, Eiricum novissimè ditionem Edmundi Regis bello infestasse, haud ampliùs in Northumbriâ tutum rati, qvam, jam propugnatoribus exitiali bello deletis, armis proinde defendere neqvibant, classem, qvam Eiricus reliqverat, omnem, raptim, ut in subitâ trepidatione, instruunt, congestisq. eò ingentibus opibus, omniq; auri argentiq; prædâ, vel bello vel tributi nomine in Northumbria, vel direptionibus piraticis collectâ, assumptisq; in societatem profectionis, qvotqvot seqvi volebant, in Orcades concedunt, ibiq; per hyemes resident: qvibus, unà cum insulis Hialtlandicis, Thorfinno Hausakliuso Comite non obstante, in potestatem redactis, tributa imponunt: æstates piraticis expeditionibus rapinisq; per Scotiam Hyberniamq; transactæ sunt. Id qvod Poëta *Glumus Getrinus* duabus cantilenis testatur. Eiricum Blodoxium circiter annum CMXLI cæsum Regni Edmundi primordium indicat.

Interea, dum Eirici filii Orcades pro arbitrio versantes tributo submitterent, civibus ad militiam stipendiaq; præbenda adactis, inter Haconem Adalsteini alumnum & Haraldum Gormium, qvi Cærulidens usurpatur, Daniæ Regem, simultas exorta ad apertum bellum spectabat. Qvippe Hacon, veluti subita tempestas, in plurimas Daniæ provincias incubuit: nec maritima tantum diripuisse contentus, in mediterranea etiam, exercitu ducto, calamitatem eam transtulit. Scania qvoque, qvà orientem spectat, est spoliata, adq; tributa pendenda adacta. Reddita & Gautia tributaria, qvam Danorum imperio, id temporis, paruisse, vel hinc concludi potest: neque enim cum Svecis illi res erat: sed provocatus jugi Danorum in Vikam irruptione, ad expellendos provinciâ piratas, compescendosq; & ad damna subditis illata resarcienda, injuriamq; vindicandam, vicem reddendo, profiliit. His ad Orcades delatis, Gunnhilda occasionem sibi haud inutilem affulsisse gavisa, nec negligendam rata, in Daniam proficisci destinavit. Elocatâ igitur filiâ Ragnhilde Arnfinno, aliis Arnvido, Thorfinni Hausakliusi filio, ipsiq; Thorfinno, imperio restituto, eò cum filiis navigavit, adiitq; Regem à qvo comiter excipitur: tantum qvippe feudorum in Dania illi concessum, qvantum ad satellitium aulamq; liberaliter sustentandam, sufficiebat. Haraldum etiam (Grafeldum postea appellatum) genibus suis, sanctioris nexûs symbolo impositum, Rex in aulâ suâ educandum suscepit. Gamlius fratrum natu maximus erat: ætate tamen non adultâ, cùm in Daniam veniret, inde patet haud multis annis post qvadragesimum ejus seculi hæc contigisse: nam Haraldus Grafeldus anno CMXXX natus erat, cùm genibus Daniæ Regis educandus imponeretur: si qvatuordecim tunc annorum fuisset, iis utique imponendis qvam par erat adultior: illum tamen Gamlius ætate superavit.

Cap.

CAP: IX.

Thorfinnus Hauſakliufus, ſeu Calvariarum Sector. Ejus filius Arnfinnus, Ragnhildis Eirici Blodoxii filiæ maritus, uxoris inſidiis interficitur. Ipſa alteri fratri Havardo Felicis annonæ nubet; eum qvoque per fratris ejus filium, ſpe nuptiarum ſuarum Comitatusq; oſtensâ, interfici curat; mox interfectorem ſpecie vindictæ; miniſtroq; cædis ſimiliter deluſo, tertio maritorum ſuorum fratri Lioto nubet. Is cum fratre ſuo Skulio, qvi beneficio Scotiæ Regis Orcades in feudum accepit, pugnat, eumq; occidit, deinde cum Scotis confligens, bello victor, lethali vulnere ſaucius paulo poſt moritur Succedit Hladver. Gunnhildis, cum filiis Ragnfrodo & Gudriodo, iterum Norvegiâ profuga, Orcades petit. Ragnfrodus bello Haconem Norvegiæ Proregem adoritur; navali prælio confligunt; tandem Ragnfrodus fugatur.

SEcundùm Gunnhildis filiorumq; ejus diſceſſum, Thorfinnus Hauſakliufus imperium in Orcades reſumpſit. Princeps magnificus, bellator induſtrius, & ſtrenuus, magnaq; exiſtimatione, ſilente calamo, famâ tantùm ad poſteros commendante prædicatur. Morbo deceſſit, tumulo in Rognvaldzeya, loco, qvi dicitur Haugagerdium, conditus. Filios qvinque reliqvit, Havardum *Arſelium* ſeu Felicem annonâ dictum: Secundum Hlodverem ſeu Ludovicum, eumq; ex Grelode Thorſteini Rufi nepte; tertium Liotum; qvartum Skulium; qvintum Arnfinnum, aliis Arnvidum. Qvo poſtremo, fraude & ſcelere uxoris ſuæ Ragnhildis, in Cataneſiæ (ſive oppido ſive prædio) Myrkol dicto, occiſo, ipſa mariti cruore conſperſa fratris ejus Havardi domum, qvam nuptiis vacuam fecerat torumq; qvem per ſcelus conſcenderat, inqvinabat. Is deinde in Comitatum, ſuccedens, optimè inſulas adminiſtravit, feliciq; annonâ, & rerum omnium affluentiâ, qvoad vixit, uſus, cognomen inde qvoque conſecutus eſt. Sororis ejus filius Einar *Klininguſ* (qvod Sordidum interpretor) magni nominis vir, ſatellitum numerum qvotannis aluit, domi hibernis, æſtivis autem temporibus piraticâ occupatus. Ab avunculo Havardo ad convivium fortè invitabatur, ubi multa cum uxore ejus ſecreto confabulatus eſt, qvæ jam mariti etiam hujus pertæſa, Einariq; blandita, aptiorem eum principatu, qvàm Havardum avunculum dictitavit, litibus etiam dirimendis magis idoneum, optabilem qvocunque nobilitatis genere fœminæ maritum. Is avunculum ſuum Orcadenſium omnium præſtantiſſimum, qvo illuſtriori locari neqviret, affirmans, meritis eum laudibus prædicabat: illa verò nepotem ad ſcelus in avunculum patrandum ſtimulare orſa, non ex eo die conjugium eorum diuturnum futurum aſſeveravit; eſſe inter Orcadenſes viros fortes adq; faſtigium tantum comparandum intrepidos, ſi illi animus & audacia deeſſet. His dictis animus, avaritiâ & ambitione obſeptus, ad proditionem avunculi flectebatur: pactus igitur nuptias Ragnhildis, & ſucceſſionem in Comitatum, paucis inde diebus, ad ſcelus iſtud peragendum, cum armatâ manu profectus eſt. Fertur tum fatidicus qvidam inter Comites ſvaſiſſe, abſtineret illo die cæde, inq; craſtinum differret: ſecus in familiâ ejus parricidia perennatura. Qvod ille ſurdis auribus excipiens, nihilominus in cæpto ſcelere perſtitit. In prædio Steinsneſia, in Hroſſeya, cum, nec comitatu omnino deſtitutum, adortus eſt; acriterq; parte pugnatum: nec tamen diu, anteqvam Havardus

vardus occideretur, Locus pugnæ Havardzteigur, ſeu conflictus Havardianus, poſtea dictus eſt. Hæc ubi innotuerant, eum, ut flagitioſum hominem, execrabantur, ipſaq; Ragnhildis deteſtata, mendacii eum inſimulabat, in ſocietatem tanti ſceleris ſe trahentem. Ad alium igitur ſororis Havardi filium Einarem, & illum cognomento Hardkioptum ſeu duri oris miſit, eiqve familiæ vecordiam exprobrat, qvòd nemo tanti viri necem vindicare dignaretur: ſe verò omnia in id impenſuram, ut ne parricida meritam pœnam evaderet: promeriturum vindicem cædis ſucceſſionem in Comitatum, & bonorum inſuper laudes & præconia. Ad hæc Hardkioptus: ſimulatâ te mente haud ſemel locutam, ſunt, qvi dicant; certò autem ſcias, mercedem tanti facinoris, ipſum, te procurante, Comitatum, & illud inſuper, qvod haud minoris æſtimatur (nuptias illius intellexit) poſtulari. Atque his dictis abiit, Conſobriumq; ſuum cognominem Kliningum, nihil ab eo ſibi metuentem, occidit. Qvo cognito, Ragnhildis amotam à ſe parricidii culpam ſuſpicionemq;, procuratâ ultione gaudens, miſſis ad Levirum Liotum legatis, eum ſibi maritum, deluſo Hardkiopto, depoſcit, & impetrat. Angebat majorem in modum Hardkioptum, qvòd, occiſo conſobrino, ſceleris etiam præmio, comitatu nimirum, fraudaretur. Eum igitur, armatâ manu, avunculo extorqvere certus, ſtudiis civium in filios Hauſakliufi propenſiorum deſtituebatur: haud igitur longo tempore interjecto, mandato Comitis Lioti interficitur. Atque ita ſcelerata fœmina familiæ, in qvam tranſiit feralis Erinnis, infamem perfidiâ matrem, etiam aſtu, feralibusq; Machinis, ſupergreſſa eſt.

Sculius interim Lioti frater Scotiam petens, titulum Comitis Orcadenſis aſſecutus eſt, beneficio Regis Scotorum, facilè de alieno largientis. Inde in Cataneſiam profectus, copias ibi magnas comparavit, qvas claſſe in Orcades deportans, bellum fratri Lioto fecit, qvi intenſiſſimo delectu habito, manus cum illo, omnes pacis conditiones abnuente, conſeruit. Infeſtis animis ab utraque parte concurſum eſt: Sed victus tandem Sculius, fugâ in Cataneſiam pervenit. Qvem Liotus inſecutus, diutius ibi morabatur, donec Sculius, reparato ingenti exercitu, auxiliis inſuper Regis Scotorum, Comitisq; Magbragdi, adjutus, longè ſuperior è Scotiâ rediret. In Dalis Cataneſiæ dimicatum eſt, ubi principio Scoti, magno animorum viriumq; impetu, in Liotum ferebantur: is autem ſuis præcepit, ut preſſis veſtigiis ictus tantùm propulſarent, ſibiq; caverent, donec ardor iſte deſederit. Ut autem Scoti remiſſiùs agere cœperunt, ipſe cum ſuis fortiter in eos invectus, pariter & ſtrenui militis, & prudentis Imperatoris officio functus, pugnam ciebat. Tandem Scotorum acies nutare, ordinesq; laxari cœperunt: inde trepidatio, mox etiam fuga. Sculius nunc acerrimè pugnando, nunc hortando, caſtigandoq; nunc etiam orando, ſuos è fugâ retrahere, adq; pugnam revocare conatus, aliqvantum profecit, pugnamq; ex parte reſtituit, & aliqvantiſper ſuſtinuit, donec ipſe inter confertiſſimos pugnans occideret. Liotus victoriæ præmium, Cataneſiam ſibi aſſeruit, viq; retinuit; inde bellum inter Scotos & Liotum exarſit: Scotis ſuorum cladem acerbè ferentibus. Tandem Comes Magbragdus, è Scotiâ, cum magno exercitu, Liotum in paludibus Scidenſibus, in tractu Cataneſiæ, adortus eſt, numero copiarum longè ſuperior. Liotus virtuti propriæ, militumqve ſuorum, confiſus, tantâ fortitudine eum excepit, ut exiguo tempore omnes in fugam verterit, pluribus occiſis, vel vulneratis. Ipſe etiam lethaliter ſaucius, victor tamen magno triumpho ex prælio rediit: ſed interjectis paucis diebus è vulnere occubuit. Lioto frater Hlodver, ſeu Ludovicus, in Orcadenſem Comitatum ſucceſſit, qvi & Princeps ſtrenuus, glorioſusq; habitus eſt: ejus licèt geſta, ſcriptorum incuriâ vel potiùs inopiâ interciderint. Uxorem duxit Audnam, Kiarvalis Hiberniæ Regis filiam; eorum filius fuit Sigurdus Craſſus. Sepultus eſt in prædio Hofn in Cataneſiâ ſito. Atque hi omnes à Thorfinno Hauſakliufo, Haconis Adalſteini alumno, Gunnhildiadisq; in Norvegiâ imperantibus, Orcades rexerunt. Horum factionem, qvippe affinium, ſecuti, nullum in ſe Haconis imperium, nec ſe ejus beneficiarios agnoviſſe videntur; Ille qvoque externis Danorum, iisq; aſſiduis bellis, Ducibus Gunnhildiadis laceſſitus, jus

ſuum perſeqvi, Orcadesq́; ad imperii obſeqvium revocare vel neglexiſſe, vel neqviviſſe. Certos autem annos, qvibus ſinguli horum Comitum imperaverint, aſſignare neqveo. Illud certè conſtat, qvosdam horum, anno ſeculi ejus LXXVI. imperium tenuiſſe. Qvô tempore Gunnhilda, cum duobus tantum filiis, Ragnfrodo & Gudriodo, ex univerſis octo reſiduis, occiſo in Daniâ (aſtu Haconis Comitis Hladenſis, conſenſu Haraldi Cærulidentis nutricii ſui, gladio GullHaraldi ſeu Haraldi aurei, Cærulidentis nepotis) Haraldo Grafeldo, regno profugâ, Orcades tanqvam propriam ditionem repetivit. Tradit enim Chronici Norvegici, ſummæ auctoritatis, exemplar, ibi tunc Thorfinni Hauſakliufi filios, Hlaudverem, ſeu Ludovicum, Arnvidum, Liotū, Skuliumq́; præfuiſſe, qvod de ſingulis non eſſe intelligendum, ex præcedentibus planum eſt (Arnvidus enim primus omnium occiſus eſt) ſed de horum qvibusdam, Lioto ſcilicet, & Ludovico, fortè etiam Skulio, qvi licèt ſimul non imperarent, fuerunt tamen reliqvis ſuperſtites. Poſt hyemem in Orcadibus exactam, Ragnfrodus cum valida cla e, magnisq́; navibus, & delecta militum manu ad regnum armis repetendum, in Norvegiam, infeſto animo armisq́; pervenit. Jamq; compertis per ea tempora Haconis apud Thrandos ſtativis, per mare Stadenſe, in Sunnmæriam populabundus tranſcendit, ingentemq; prædam colligit; magnaq; pars incolarum metu per culſa, ut fieri aſſolet, ad hoſtilem vim avertendam, cui majori alia reſiſti neqviret, deditionem fecit. Qvo cognito, Hacon militem, ex omnibus Trandheimi provinciis, per telum miſſum qvod & hodie Budſtikke Norvegis, dicitur in qvatuor viciniæ plagas, publici periculi, armatiq; conventus certiſſimum indicium, raptim collegit: milites ergo claſſi impoſitas in Sunnmæriam deportavit, inq; provinciæ illius parte borea Ragnfrodum offendit. Militum numero Hacon, navium magnitudine Ragnfrodus præſtabat. E proris, recepto illius ſeculi more, acriter ex utraque parte pugnabatur, minore Haconis commodo: cum ex inferiori loco tela minùs commodè conjicerentur, & miſſa ab hoſtibus, utpote ſuperiore loco, graviùs inciderent. Deinde, æſtu maris, ad litus utraque claſſis ferebatur; ipſeq; Hacon, occaſionem terreſtris pugnæ capturus, remis eò adnixus, terram idoneo loco conſcendit, navesq́; in litus deduci curavit, ne hoſtibus prædæ fierent, inq; patenti campo, acie ordinatâ, Ragnfrodum ad certamen terreſtre provocavit, qvi illud omninò detrectabat, neqvicqvam aliqvoties litus aſcendere juſſus. Pugnatum eminus jaculis, arcubusq́; & ſagittis, majori diei parte, non ſine utriusque clade. Ragnfrodus indigenas, ne fortè Haconi ſe adjungerent, veritus, trans mare Stadenſe, auſtrum verſus claſſe refugit: nec Comiti eum iterum adoriri è re ſua viſum, utpote opportunitate navium ſuperiorem. Ideo in Thrandheimum hyematum rediit, grandiores ibi naves comparaturus: Ragnfrodo omnibus provinciis, tractuq́; maritimo, Stadas ab auſtro ſpectantibus potiente, magnasq́; ibi copias in hybernis habente, ita ut Fiordiæ, Sognia, Hordia & Rogia, ejus imperium agnoſcerent. Inde proximo vere, qvi annus erat CMLXXVII. ex omnibus illis provinciis magnam militum manum, naves, commeatum, & cætera, qvibus ad magnum bellum opus eſſet, Ragnfrodus collegit. Nec minor Haconi in Thrandheimo exercitus concitur, omnem belli molem in hoſtem verſuro: Halogenſium ingens numerus; ibi Naumdælenſium valida manus; ibi Thrandheimius, aſſvetus pugnæ, miles, ex ſingulis ſubjacentibus provinciis delectus; Ibi Raumsdæli non infimum in bello momentum. E qvatuor populis, à Byrdâ ad Stadas usque, exercitum collectum, ſeptem Comites ſingulos magnis præfectos copiis, auſpicium ductumq; Haconis ſecutos, inq; pugnam eductos auctor *Vellhekla* duobus verſibus cecinit. Omnibus ad bellum præparatis, Hacon, per mare Stadenſe, in hoſtem claſſem ſuam dirigit: comperto autem, Ragnfrodum in Sogniam conceſſiſſe, eò qvoqve illum perſecutus eſt, pugnæq́; loco in Thingneſiâ, qvod promontorium Sogniam ab Hordiâ dirimit, delecto manus, magnis animis, vehementer utrinque conſerunt. Ad ultimum tamen Hacon, qvi numero militum præſtabat, victoriam obtinuit. Ragnfrodus, amiſſis ſuorum trecentis, ad naves confugit, Norvegiaq́;, ſine ullo animo vel ſpe vel conatu

natu in posterum recuperandi, excessit. Inde Orcadensium metus, magnis successibus in eum usque diem auctus, in Norvegiâ concidit.

CAP: X.

Sigurdus, cognomento Crassus, in ordine Comitum, unà annumeratis qvi simul vel indistinctè, imperarunt, duodecimus, patri succedit. Ejus imperio multæ agri Scotici provinciæ subjectæ; Hæbudæ qvoque tributariæ. Finnleikum Comitem vincit. Vexilli à matre traditi mirus genius. Allodia civibus suis restituit. Satellites habuit Islandos; eorum gesta. Comitis Sigurdi cum Comitibus Scoticis duobus pugna, & victoria. Hæbudæ an ei, Comitique Norvegiæ simul tributariæ fuerint, disqviritur. Barbari hujus Comitis tempore mores. Ulfi cujusdam insolentia & pœna. Fabula qvædam de Bardo qvodam Hiberniæ Episcopo. Insulæ cum Comite ad Christiana sacra, Comesq; Sigurdus in clientelam Olafi Tryggvini Norvegiæ Regis concedit. Comitis in Hiberniam fatalis expeditio, ejusq; caussa. Broderi piratæ potentia, & impietas; de eo fabulosa qvædam; Regem Hiberniæ Briannem occidit; horrendo supplicio afficitur. Comes cæditur. Spectrum ejus in Orcadibus apparet, videnti exitiale. Prodigia, somnia.

SIgurdum Orcadum primum Comitem, ut nomine, ita fortitudine, audaciâ, rei bellicæ peritiâ, & civitatis administrandæ prudentiâ, Sigurdus hic Ludovici filius, ad ungvem expressit. Princeps magnanimus, illiusq; qvà gestorum gloriam, qvà fortunæ constantiam, & in proferendis imperii limitibus successuum prorsus æmulus. Nam præter Catanesiam, qvam invito Scotorum Rege (Kennetho, credo, tertio) tenebat, Rossiam, Moraviam, Sudurlandiam & Daliam, opimas Scotiæ provincias imperio complexus perhibetur; & singulis annis classem, copiasq; prædatum, in Hæbudas (qvas etiam ad annua tributa adegit) Scotiæ partes & Hiberniam misisse. A Scotorum Comite Finnleico, æstivo tempore, ad certamen in Scidensi pallude ad constitutum diem provocatus, matrem fœminam multisciam consuluit, qvestus numero hostem septuplo præstare. Qvæ respondit: diutissimè te in qvasillo meo nutrivissem, si constitisset in æternum victurum; fata, non pericula, vitæ arbitrium habent, qvæ honestiùs cum gloria finitur, qvàm dedecore producitur. Traditoq; vexillo: in hoc, inqvit, omnem artem impendi: cui præfertur, nunqvam non victioram, sed ferenti Lethum portendit. Miro artificio formam corvi repræsentabat, flanteq; vento sublatum, volantis speciem. Aculeata hæc matris ad virtutem incitandam monita, non sine stomacho excepta sunt. Singulis deinde civibus agros allodiales, à tempore Einaris de Cespite in possessione Comitum sub hypothecâ detentos, restituit, qvò militiam hanc seqverentur. Inde convincitur, non ibi magis, qvàm in Norvegiâ aut alibi, licuisse Principibus cives ad militiam extra patriæ fines pro libitu cogere. Profectus deinde ad locum constitutum, Finn-

leico occurrit, dumq; collatis ſignis, pugna maximè fervet, ſignifer Sigurdi cæditur: ejus in locum alter ſubſtitutus, procedente conflictu, pariter occubuit: impensâ tertii, victoria Comiti ſtetit. Atque ita cives Orcadenſes, poſſeſſiones ſuas & latifundia, poſt tot annorum intervallum, Comitibus oppignerata, certis tamen conditionibus, ut ex vita Comitis Ragnvaldi Kalii colligere licet, recuperabant.

Tradit *hiſtoria Islandica*, à Niale, viro multis nominibus commendatiſſimo, cujus vitam continet, *Niala* dicta, inter aulicos Comitis ſatellites purpurratos, qvatuor fuiſſe Islandos. Qvorum Karius Solmundius, (cujus avus Thorbiornus Jarlakappius, ſeu Comitum pugil, genere Norvegus, ex Orcadibus tamen in Islandiam profectus, ſedem ibi fixit) primus dignitatem ſatellitii adeptus, mox etiam Qvæſtoris officio functus, qvo Comes ad vectigalia ex Hæbudis exigenda, ſibiq; deferenda, uti conſvevit. Inſignia gentilitia habuit leonem, in clypeo deaurato ſignatum. Affines ejus, Grimus & Helgius, Nialis filii, ſatellites deinde creati. Helgium inſignia, cervus in ſcuto purpureo, decorabant, teſte, ptæter *Nialem Arngrimo Crymogeæ Lib. II Genealogia XII.* qvi hæc inde deſcripſerat. Hos excipiebat Thorſteinus Halli, provinciæ. Sidæ Principis, filius, ad qvem, duos poſteriorum Orcadenſium Comitum, originem referre, ſub finem Capitis ſeptimi monui. Ultimus ſororius Thorſteini Floſius, vir nominatiſſimus. Qvæ ſingulorum tempore inciderint, ordine, & ſuo qvæque loco, exponam. Niali *Arngrimus Crymogeæ Lib: II.* hoc Poëtæ teſtimonium aptavit.

Non illi melior qvisqvam, nec amantior æqvi vir fuit.

Hujus filii Norvegiam petituri, vento ab ortu ſpirante, in occidentem tranſverſum acti, ſinum qvendam Scotiæ ingreſſi ſunt. Ubi, vix dum ancoris jactis, à Comitis Moddanis de Dungalsbæis filiis, Snækollo & Griotgardo, duobus myoparonibus invaduntur. Conditiones defenſionis aut deditionis navis merciumq; univerſarum deferuntur: prior eligitur, & vi propugnatur. Commodùm autem accidit, ut, fervente certamine, altero gubernatorum navis Norvegicæ cæſo, Karius decem navibus eò fortè delatus, auxilio iis veniret, id temporis qvidem ignotus, debiliorem tamen partem cauſſamq; meliorem propugnaturus. Nec exinde prælium diutiùs protractum eſt, utrisque piratarum, iſto Karii, illo Helgii manu, occiſis. Naves deditione receptæ ſunt. Partâ victoriâ, Karius Nialis filios in Orcades ſecum ad Comitem ductos, impensè ab animoſitate & fortitudine, qvarum illuſtre ſpecimen illo conflictu oſtendebant, commendabat. Recepti hoſpitio ibidem hyemabant. Adultâ hyeme, cùm Helgius ſolito triſtior viſus eſſet, juſſus cauſſam reddere, qvæſivit à Comite, num etiam in Scotiâ imperio ſuo ſubjectas provincias haberet: affirmanti, nunciavit Scotos, Præfectos ejus occidiſſe, & præcluſiſſe nunciis portus, & navigia, ne hujus rei notitia ad eum deferreretur. Qvo audito, Comes vera dicenti præmium, honorum incrementum, falſa autem, pœnas, diminutionem capitis, denunciavit. Kario, Halgium virum frugi, præſago patre natum, mendacii immunem pronunciante, Comes, ut dictis fidem faceret, perſvaſus, nuncio ad Arnliotum Straumseyæ præfectum miſſo, diligenter, qvid in tranſmarinis Scotiæ provinciis ageretur, exqvirere juſſit. Qvi ſtatim per exploratores cognovit, Comites Hundium & Melſnatium Melkolfi (qvi poſtea regnavit) agnatus, Hallvardum de Trasvika Comitis Affinem, Præfectumq; occidiſſe; idq;, qva potuit feſtinatione, referebat. Habito igitur delectu, copias, qvàm celerrimè, Comes conſcripſit. Qvibus trans fretum in Cataneſiam deportatis, cognovit Comites, cum haud modica manu, non procul abeſſe. Aucto igitur ex reliqvis Scotiæ provinciis (qvas modò nominavi) exercitu, Comites, ſub præcipitio Dungadi, aggreditur, qvi cohortes aliqvot, à reliqva acie ſeparatas, inq; ſubſidiis locatas, tandem magno impetu in Comitem, haud exiguo ejus damno, immiſerunt, Grimo interim & Helgio, Nialis filiis, circa vexillum Comitis fortiter rem gerentibus. Karius in Comitem Melſnatium verſus, haſtam ab eo in ſe immiſſam, medioq; curſu volantem, manu prehendit, eandemq; iterum in eum retorqvens, pectus ipſius transverberavit. Cujus cæde conſternatus Hundius, illico in fugam verſus eſt, atque ita reliqvias

qvias copiarum, metu perculsas, secum traxit. Comes, intrepido animo, qvantùm viâ processerat, acer & indomitus hærebat in tergis retro sibi cedentium victor, graviorq; territis instabat, longiùs etiam persecuturus, ni nunciatum esset, Comitem Melkolfum Dungalsbæis, (Buchanano Duncanbei vel Dunisbei) novis copiis, instructum, adventum eorum exspectare. Habito igitur concilio, domum redibant, contenti spoliis in præsens: neque è re futurum, adversus totas Scotiæ vires, perenni indigenarum, è continente, confluxu, semper crescentes, decertare. Domum itaque cum omni præda manubiisq; reditum. His, in insula Straumseya, more militari, divisis, in Hrosseyam itum: ubi, magnifico convivio celebrato, Grimum & Helgium, illum gladio clypeoq; inaurato, hunc annulo aureo chlamideq; donatum, purpuratorum satellitum collegio Comes inseruit. Kario qvoque gladius, hastaq; aurata muneri data. Manseruntq; hi tres satellites in ejus aula exinde duas integras hyemes, piraticâ æstivis temporibus, divitias famamq; comparantes. Norvegiam deinde Grimus & Helgius petebant: verùm ab Hacone, Hladarum Comite, qvi, id temporis, partem ejus potissimam, partim proprio jure, partim Legati, seu Proregis, titulo, vicem *Haraldi Caerulidentis* Daniæ Regis gerens, regebat, alienam iis culpam imputante male multati sunt, de qvo carptim, capite proximo. Karius, cum reditibus annuoq; censu, ex Hæbudis collecto, cùm, eodem tempore, ad Comitem perveniisset, periculo eos exemit. Apparet hinc, Hæbudas utrique Comiti simul vectigales fuisse, eosq; invicem fœderatos, annuum censum vel alternatim percepisse, vel ab uno eorum receptum inter se postea dividisse: nam & uterque ministerio Karii, in eo exigendo, usus est. An verò canon iste, ad regnum Norvegiæ, eâ tempestate, pertinuerit, incertum: cùm superioribus Regibus, vectigalia inde pensitata non appareat. Certè, primis annis, ab occiso Grafeldo, Hacon, Thorgilsem à Vitrico suo Orrabeino, Orrabeini privignum appellatum, natione Islandum, nobilem virum, Comitibusq; Sogniæ prognatum, in Hæbudas misit, censum istum, integrum triennium intermissum, ut reposceret. Qvi, tergiversantibus incolis, societate cum piratis occidentalibus initâ, eundem, armorum metu, extorsit, teste ipsius Thorgilsis historiâ, qvæ fusè gesta ejus enarrat. His testimoniis satis probatum est, Haconi vectigales insulas istas fuisse, Sigurdoq; Comiti pariter obstrictas, & qvidem eodem tempore. Id qvod, præter adductum locum è Karii vita, historia Islandorum, qvæ Thorsnesensium gesta describit, testatur: dum Thoroddum qvendam Islandum perhibet, Qvæstoribus Sigurdi, Orcadum Comitis, naufragis, Hiberniam pariter ac Hæbudas, periculorum vitæq; metu, vitantibus, cimbam, qvâ Orcades peterent, parte censûs Hæbudensis, qvem inde secum avexerant, carè vendidisse, unde ei cognomen Skattkaupande, seu censûs emptor, evenerit. Verùm ex his fortè haud abruptè concluditur, Hæbudas Norvegiæ, à temporibus Haraldi Pulchricomi, tributarias fuisse, postq; mortem Ketillis Simi ad obsequium reductas, sed Comites Orcadenses interdum tributis exigendis adhibitos, mercedis loco, portionem pensionis participâsse. Eoq; tendere videtur, qvòd Comes Sigurdus eas tributo submisisse dicatur, vice scilicet Principum Norvegorum, nec sine suo lucro. Qvo etiam responsum Magni Nudipedis, ad Angliseyæ incolas, pertinet, Orderico Vitali notatum; cùm se nec Anglorum nec Hibernorum ditiones infestare professus, sed colere insulas ad suam potestatem pertinentes, nimirum injustè expugnatas à Godredo Crovane, nunc verò iterum sub imperium Norvegorum reducendas. Hanc qvoque sententiam, Haconis Senioris responsum, ad Regis Scotiæ Alexandri tertii legatos, firmat, qvi Magnum Nudipedem, dum Hæbudas oppugnaret, respondisse refert, se terras ad suam hæreditatem pertinentes repetere, qvasi, ut videtur, tunc primò, vi ereptas. Verum non solùm, à tempore Pulchricomi, dominium illud Norvegis competisse, sed ab anno circiter septingentesimo, penes ipsos mansisse, *Robertus de Monte* testatur: *Seldeno* locum paullo aliter adducente, qvàm habet Editio Vecheliana Francofurtensis, publicata anno MDLXXXIII, ubi omittitur, qvanto tempore Norvegis imperium in illas constiterit. *Johannes Isacius Pontanus, Discussionum historicarum Lib: 1, pag: 115*, locum istum ex Editione,

"qvam *Seldenus* ſecutus eſt, his verbis producit: Inſulas eò in mari (hyperboreo)
"XXXII tenuit, ante annos CDLX Rex inſularum dictus tali tributo de Rege Nor-
"vegiæ, qvod qvando Rex Norvegiæ innovatur, Rex inſularum dat ei decem mar-
"chas auri, nec aliqvid facit ei in tota vita ſua, niſi iterum alius Rex ordinetur in
"Norvegia. His *Pontanus* adiicit, qvod hoc egregium antiqvitatis monumentum, ſatis qvoque ſuperq; demonſtrat veterum Norvegiæ Regum jus ac conſuetudinem, qvâ illis perpetuò obnoxii, devotiq; inſulani iſti, inſulæq; fuerint. Nam ab anno MCLXVII, ſi retro computemus, annosq; circiter qvadringentos ſexaginta ſubducamus, nonne annum habebimus ſeptingenteſimum, & qvi excurrit, de qvo iſta Robertus memorat: tum ſcilicet haud aliis, qvàm Norvegiæ Regibus paruiſſe has inſulas, ac eos, ut dominos, agnoviſſe, dum auri ſcilicet marcas decem, qvotiescunque Rex novus apud Norvegos inauguraretur, homagii, qvod dicitur, ac fidei clientelaris nomine penderent.

Præter hos qvatuor gentis Islandiæ ſatellites, qvintum nobis *Vatzdælenſium hiſtoria* ſuggerit, eundemq; Comitis propinqvum, nomine Thorkelem, cognomento Kraflam, Thorgrimi Karnſarenſis Curionis filium, ſervâ Nereidâ natum, qvem pater, ut vilem partum, ſibiq; indignum, inſtinctu maximè uxoris, maritalem conſvetudinem, etiam in Mancipia, ſparſam indignantis, exponi curavit. Inter ſemidilutam nivium congeriem, palpitante vix ſpiritu, jam prope enectum, Curio Vatzdælenſis Thorſteinus, (qvi patris ejus avunculus erat) pro ægrotantis fratris ſalute, illi Deo, qvi Solem condiderat, voto, de puero liberando, ſuſcepto, ex continente, ſuſtulit, fratriq; educandum tradidit, qvi inveteratæ ægritudinis, ne veſtigia qvidem ex eo die ſenſerat. Exinde puer, præſentem divinam gratiam expertus, magnis virtutum incrementis, adolevit, ad annum usque ætatis duodecimum, qvo æmulum patris in Curionatûs petitione, mox etiam ſorte ſuperiorem occidit, patriq; cæde illius, ad vacantem magiſtratum, aditum pateſecit. Inde ad Orcades profectus, hoſpitio Comitis Sigurdi, primo per integram hyemem receptus, reqviſitum genus ſuum, obiter qvidem & ſine accuratiore Comitis obſervatione, retulit. Cum autem diverſis ab aliis moribus, ne ſede qvidem ſua moveret, niſi Comite egrediente, eumq; ſolum obſervaret, & comitaretur, aulicorum gregem offendit. Fortè, verno tempore, ad ludorum exercitia parte maximâ dilapſâ, Comiteq; cum paucis, & in his Krafla, in aula remanente, Comes palam conſtantiam ejus & induſtriam laudabat, iterumq; qvo genere, qvâ familiâ ortum ſe priùs prodiderat, repetere juſſit. Tum verò diſtinctiùs profitentem interfatus, eodem, qvo ſe, ſangvine prognatum, atque arctiore ſibi nexu devinctum affirmat, non ſine increpatione, qvòd id tam diu ſignificare diſtuliſſet. Exinde eum, honoratiore loco ornatum, in militiam ſuam adſcivit, exſcenſuq; in Scotiam facto, cùm ſolus, luſtratis, poſt reditum ad naves, copiis, deſideraretur, eum reqviri juſſit, & regerentibus, parum in illepido illo damni, ſine mora juſſa exſeqvi præcepit. Cum duobus deinde congredientem inveniunt, qvatuor circa occiſis, iſtis adventu auxiliariorum dilapſis. Comite deinde qværente, qvid in mora fuiſſet, reſpondit: audiviſſe ex illo, à navibus in terram excurſum faciendum, non, è terra ad naves, ſparſim ſine mutua cura deſcendendum. Rectè, Cognate, reſpondit Comes: nec de præda, in poſterum, participabit, qvi, deſerto vexillo, ad naves properat. Iterum Comiti qværenti, an, qvi occiſi erant, ſui, an Scoti eſſent: Scotos eſſe, reſpondit, à ſe occiſos: ſe enim prope caſtellum qvoddam vetus progrediente, delapſa muris Saxa unà theſaurum devolviſſe, qvem cùm arripuiſſet, effuſos caſtellanos in ſe impetum vertiſſe, eosq; eventu, qvem cerneret, vel occiſos vel repulſos. Theſaurus autem viginti ſelibras argenti pendebat: atqve is, ait Comes, tibi ſoli competit: minimè reſpondit Thorkell, totus enim tuus eſt. Comes dimidium ſe retenturum; reliqvam partem illi ſervare juſſit. Exinde majorem gratiæ locum conſecutus, atque inter purpuratos ſatellites honoratus, ſecurim argento obductam, veſtitumq; de meliori nota, &, ſub diſceſſum, navem, mercibus, qvas expetivit, inſtructam, dono accepit. Largitus etiam Comes eſt matri ejus veſtem muliebrem: patri ſelibram auri, libertatis ejus pretium,

pretium, misit. Duas hyemes Thorkell ad Comitem cùm remansisset, his donis instructus rediit. Mater statim libertate donata est. Ipse postea Curio Vatzdælensis factus, tandem etiam Christianorum Sacrorum particeps, conversus ab Episcopo Friderico & Thorvaldo Kodranis filio peregrinatore dicto: sed prævio miraculo persvasus fuit, istum numinis cultum non differre ab eo, qvem majores ejus observâssent, illi unicè addicti, qvi Solem creavit. Schema cognationis inter Comitem Sigurdum & Kraflam hic subjicitur:

Rognvaldus Mæriarum Comes

Thorer Tacitus
Vigdis Ingimundi Vatzdælensis uxor
Thordis Thorormi uxor
Thorgrimus Cornsarensis Curio
Thorkell Krafla Curio Vatzdælensis

Einar de Cespite
Thorsinnus calvariarum Sector
Ludovicus Comes
Sigurdus Comes

Hujus Comitis tempore, Ulfus, cognomento Malus, Sandeyam incoluit, vir cognominis mensuram moribus implens. Is ab Haraldo, Rinarseyæ incola, ut prædia sua sibi venderet, postulabat: abnuenti minatus est, alio tempore, se ei extorturum, qvod jam negaret. Paucis post diebus, ex inopinato rediit, captoq; Haraldo prædia simul & vitam se erepturum interminatus, nec segniùs exsecutus est. Tanta injuria cùm passim judiciis hominum vituperaretur, & Comiti qvoque displiceret, Ulfus eo adito facinus excusavit, tanqvam non in immeritum perpetratum. Jussus ergo ut hæredibus satisfaceret, pariturum promisit. Erat Haraldo filius, nomine Helgius, juvenis eximius, qvi eo tempore absens, piraticâ sinus Scoticos, lacessivit, mercatoribus & rusticis; minùs, qvàm piratarum mores ferrent, licèt Ethnicus, iniqvus. Hic, in reditu, in Bardum Ulfi propinqvum (virum probum, qvi mores injuriasq; ejus exosus, renunciatâ societate, se ei invito, & donec reduce Helgio lis componeretur, ut discederet dissvadenti, subduxerat) abitum Rognvaldzeya molientem incidit, gnarusq; paternæ cædis, eum utpote propinqvum Ulfi, innocentiàm neqvicqvam excusantem invadit, strenueq; pugnantem, sed viribus inferiorem facile superat, occiditq;. Qvo cognito, Ulfus milites colligit. Comes Helgium ad se vocatum increpat, qvòd pendente lite, & ad compositionemq; spectante, oblato honore spreto, ultionem exegerit. Is cùm nihil sibi de satisfactione constitisse excusâsset; & adhuc tamen velle se ejus judicio sistere significâsset, sibi cordi futuram regessit Comes, suorum subditorum concordiam. Interea Helgius domum repetit: videns autem sibi ab Ulfo in insulis minùs tutum, prædia distrahit. Inde digressus, domum Ulfi absentis petit, diripitq; &, inter alia, etiam filiam ejus unicam, nomine Helgam, avehit, præfatus, patris necem non rectius rependi, qvàm filiæ permutatione. Nec illa qvidem societatem ejus aversata: tamen, ut se missam faceret, hortabatur: patrem enim ubique eum persecuturum. Ille certamen se detrectaturum negabat, cùm is caussam, Comitis judicio, committere recuset. His cognitis Ulfus, multis navibus comparatis, eum qværit, minorem se contumeliam in eum usqve diem inultam haud passum gloriatus, tandemq; deprehensum invadit, qvi qvantumvis debilior, pugnam tamen in noctem protraxit. Verùm, cùm, exinanitis milite navibus, in seqventem diem se vitam tutari nullo modo posse, facile cerneret, tempestasq; subito oborta ingrueret, arreptâ amicâ in undas se, de nocte, præcipitat, adnatansq; litori, & ingressus silvam, ita-

elidit

cidit in tugurium, qvod vir pauper, nomine Thorfinnus, incolebat. Hic agnitum ſtatim Helgium ſalutat, clementiam in eo erga pauperes, etiam medio latrocinii piraticæq; ardore obſervatam impensè laudat. Ibi hyems exacta, nuptiæq; interea cum Helga, intra tecta ejus, magis ex uſu, qvàm pro conditione eorum, factæ. Seqvente vere villam qvandam ab eodem ruſtico conduxit, domumq; ædificavit, præſagiens Ulfum cito moriturum. Nec fefellit opinio: exactis enim duobus annis, hoſte jam defuncto in Orcades rediit, omneq; patris ſui, tum etiam Ulfi, agros, ſuo uxoriſq; jure allodiales recepit, abundavitq; opibus. Horum filius Bardus, duodecimum annum agens, peregrè profectus, Chriſtianis ſacris initiatus eſt, qvi tandem etiam Hiberniæ Epiſcopus factus. Id verò Monachi miraculosè factum fingunt, qvòd Divo Petro, ſub mendici habitu, ſingulis per triennium annis, ſe accedenti, annuam operarum, ruſtico cuidam, vaccæ pretio in ſingulos locatarum, mercedem qvot annis, neſcius cui donaverit. Illuminatum deinde ab apparente ſibi Apoſtolo, facile in literis profeciſſe, ſpartamq; deinde, qvam nactus erat, egregiè exornâſſe.

Interjecto tempore, cùm Olafus Tryggvinus, anno CMXCV, aſtu Haconis Norvegiæ Comitis, miniſtro Thorere Klacka, ad deſtinatam ſibi in Norvegia mortem illectus, ex Hibernia qvinque (vel ſecundùm alios ſex) navibus ſolveret, in tranſcurſu Orcades petens, ad inſulam Rognvaldzeyam naves applicuit. Ibi cùm portum, in Aſmundi ſinu, ſubiiſſet, Comitem Sigurdum, cum tribus navibus, ad expeditionem paratum, in eadem ſtatione deprehendit: eum igitur ad ſe accerſitum his verbis affatus eſt. Haud eqvidem te latet, Haraldum Pulchricomum, poſt debellatam inq; poteſtatem redactam univerſam Norvegiam, Orcades & Hialtlandiam, cum pluribus aliis territoriis ſubegiſſe: has autem inſulas, cum Hialtlandia, Comiti ſuo Rognvaldo, Potenti dicto, dono dedit, in ſatisfactionem filii, in expeditione Hæbudenſi cæſi. Qvas ille fratri Sigurdo iterum redonabat, ita tamen, ut ab Haraldo Comes conſtitueretur. Alio deinde tempore, Haraldus, cum valida manu ad Einarem Comitem oppugnandum mare tranſmiſit. Lis, interceſſione bonorum virorum, hoc eventu compoſita eſt, ut Rex ſibi omnes Orcades, & Hialtlandiam, vindicaret, ſuoq; beneficio in poſterum Comiti habendas permiſerit, qvi inſuper, in ſatisfactionem, pro cæde filii ejus, Halfdani Haleggi, ſev Altipedis, ſexaginta auri ſelibras perpendit. Nec multo poſt, filius ejus Eiricus Blodoxius, Norvegia profugus, Comitis Einaris filios, non alio, qvàm clientum ſuorum loco habuit. Id qvod facile probatu eſt: ſecum enim in Angliam Arnkelem & Erlendum comites aſſumpſit, qvi unà cum eo ibidem cæſi ſunt. Thorfinnum autem Hauſakliufum fratrem eorum inſulis præfecit. Poſtea filii Eirici, Angliâ profugi, inſulas jure ſuo tenuerunt, qvas diſcedentes Thorfinno affini ſuo permiſerunt. Ei proximus Havardus in comitatum ſucceſſit, qvem Liotus, & hunc pater tuus Ludovicus excepit. Jam verò hæc patrimonii mei pars (qvo nomine univerſum Pulchricomi imperium cenſeo) ad te pervenit, occisâ maximâ parte filiorum Blodoxii. Ragnhildis autem filia, licèt adhuc ſuperſit, tantorum tamen flagitiorum in his inſulis perpatratorum inſimulatur, ut haud imperii capax videatur, bonis potiùs omnibus, etiam capite, plectenda, modò, qvæ de ea perhibentur, ità ſe habeant, qvæ tamen veritatis ſpeciem magnam præ ſe ferunt. Cum autem in poteſtatem meam perveneris, duas tibi conditiones propono, qvarum alteram elige. Aut enim Chriſtianam religionem, qvoad vixeris, profitetor tu, cum omnibus ſubditis, ſacraq; lymphâ vos abluendos exhibeuntor; mihi homagium præſtato, meoq; beneficio, fiduciario jure, nihil imminutâ libertate, majoribus uſitatâ, Comitatum acceptum ferto, mihi in poſterum amicus, Regni autem cæleſtis cum Deo in æternum particeps, mandatis ejus obtemperans: confeſtim moritor; atque te ita abſumpto, ferro & flammâ univerſas inſulas delebo, ni populus hic veram libertatem, Chriſtianaq; ſacra eligat, ſecus præter imminentem in præſens mortalibus extremam calamitatem, aliam longè graviorem, ſupplicia nimirum æterna, exſpectabitis. Comes, animo adhuc præſenti, reſpondit: neqvaqvam, Rex, ad proſtituendam

endam, acceptam à patribus, religionem, inveteratumq; Deorum cultum abnegandum, aut ſponte aut metu adigi me ſinam: nihilô enim illis oculatior ſum, nec, qva in parte cultus ille Numinum, qvem tu imperas, noſtro præſtet, perſpicio. Videns ergo Rex Comitem in idololatriam obſtinatum, arrepto filio ejus Hundio, vel Hvelpio (non, ut habet Theodoricus Monachus, Thorfinno) inq; inſulis apud patrem enutrito, ſtrictum gladium velut protinus occiſurus intentans: jam, inqvit, re vera comperies, me nemini parſurum, qvi cœleſtis Numinis cultum, &, qvod ego annuncio, Evangelium ave ſatur; hoc ipſo gladio ante oculos filium pereuntem, obſtinatus in propriam, tum etiam communem perniciem, pater conſpicies, nî ſervum te, cum omnibus tuis ſubditis, iſtius immenſi Dei, qvem ego colo, profitearis; neque ex his inſulis diſcedam, priùs, qvàm illius negotium perfecero, teq; cum hôc, qvem teneo, filio, luſtralibus undis abiutum conſpexero. Hac neceſſitate compulſus Comes Regi morem geſſit: itaque cum filio, cujus nomen in Hlodveris ſeu Ludovici mutatum eſt, ſe absque cunctatione baptizandum exhibuit. Inde Regi ſe ſubjiciens comitatum beneficio ejus acceptum recognovit, præſtito ei ſolenni homagio, pignoreq; fidei, filio obſide, tradito, qvem, in Norvegiam diſcedens ab Orcadibus, poſtqvam univerſum populum baptizandum curâſſet, ſecum duxit, multis verbi divini miniſtris, aliisq; viris doctis, ad informandum in ſuſceptâ religione novellum gregem, relictis. His peractis, Olafus, comite amicè ſalutato, ſuſceptum iter renovavit. Filius Comitis, exiguo tempore, apud Regem deinde vixit. Qvo cognito, Comes obſeqvium ſolvens, novas amicitias fœderaq; cum Scotiæ Rege Melcolmo contraxit, ductâ in conjugem filiâ ejus. Inde Thorfinnus Comes natus eſt. Religionem autem fideliter in poſterum, cum univerſis incolis coluit. *Oddus Monachus* hæc qvidem eodem tenore refert, in tempore tamen diſſentit: tradit enim Olafum Tryggvinum, ſecundo regni ſui anno, qvinque navium claſſe, in Angliam transfretâſſe, domumq; meſſis tempore, repetiviſſe, aſſumptis ſecum Epiſcopo Jone, alio nomine, vel potius cognomine, Sigurdo, multisq; aliis Paſtoribus, & in his Thangbrando & Thormodo, & pluribus aliis ordinis eccleſiaſtici viris, qvos, ad avocandos ab idololatriâ cives ſuos, Chriſtianamque religionem plantandam, adhibuit. In reditu autem ex Angliâ, qvæ, ſcripſimus, Deum, per eum, geſſiſſe aſſeverat. Id, licèt ab omnibus membranis diſcrepet, propius fidem tamen videtur: tum, qvòd Rex Norvegiæ factus, jus in Oreades, tanqvam feudum à Regibus Norvegiæ, non autem ſingulis ex poſteritate Haraldi Pulchricomi recognoſcendum, Regni jure ſibi aſſerere & tantâ potentiâ auctus fortiter perſeqvi nec temporis anguſtiâ, ut in illa ſubitanea cum Thorere Klacha navigatione, cujus modo memini facilè intercludi poterat.

Noviſſimam, ſibiq; fatalem, expeditionem in Hiberniam, Comes Sigurdus, multis promiſſis à Rege Sigtryggo Silkeskeggo, ſeu Sericobarbo illectus, contra Vitricum ejus, Regem Brianem, ſuſcepit, filiis majoribus, priore uxore natis, Bruſio nimirum Sumarlidio & Einari, ab ore detorto nomen conſecuto, Norvegis, Rangmudur, Danis Skäkmund dicto. Imperii curâ commiſsâ, Thorfinno tantùm qvinqvenni, in nutricatu avi materni Scotiæ Regis, relicto. Cauſſa belli uxor Brianis Kormlod dicta, perverſis moribus fœmina, qvæ maritum ad ſe repudiandum cum concitâſſet, ignominiam impatientiſſimè tulit. Hanc omnibus iis ornamentis apprimè decoratam memorant, qvæ propriâ induſtriâ comparare neqviverat, cæteris deſtitutam, vitiis qvippe omnibus coopertam, ut qvæ naturæ dotes, qvantum in ipſa eſſet, omnes corrumperet. Primus ejus maritus Olafus Kuaran Dublini Hiberniæ urbis, ſubjectiq; territorii nominatiſſimus Rex, uxoris Olafi Tryggvini Gidæ frater (procul dubio is, qvem *Jacobus Waræus Antiqvitatum Hibernicarum cap: XXIV pag 133*, Aulafum Sitrici filium appellat, ejusq; geſta ad annos CMLIX. CMLXX. obitum ad annum CMLXXX refert) in cujus aulâ Islandus qvidam Poëta, nomine Thorgils Orraskald, celebris erat, teſte *Libro Originum Islandiæ pag: 22.* Illorum filius, *Wareo* Sitricus Rex à molitie an colore barbæ ſericobarbus appellatus *Wareo* ad annos CMXCIV, CMXCIX, & MXIV,

memoratus, anno MXXIX mortuus, illo tempore in Orcades profectus, in ſocietatem belli, matris nomine; Sigurdum Comitem ſollicitabat, nuptiis ejus, regnoq; Brianis, ſi vinceretur, præmii loco, propoſitis. Qvam ille conditionem regni gloriæq; & tanti propudii ſibi ſociandi veſanâ cupidine incenſus, conſiliariis neqvicqvam diſſvadentibus, malo ſuo alacriter accepit, pollicitus ſe Dominicâ Palmarum, cum exercitu in Hiberniâ affuturum. Eodem tempore, duo famoſiſſimi piratæ, ad occidentale inſulæ Monæ, ſeu Manniæ, latus valde potentes & ſtrenui atqve ad id usqve tempus invicti, Broder & Uſpacus, triginta navium claſſe inſtructi excubabant. Ad eos, Kormlod filium Sericobarbum reducem, in ſuas partes trahendos miſit: ingentia ſtipendia aureiq; montes promittuntur; tandem qvoque Brodero ſpes conjugii matris, regnumq; Brianis oſtenſa, facile eum in ſocietatem belli trahunt. In id ab utraqve parte conſenſum: adeo tamen occulte, ut tanti conſilii veſtigia Comiti Sigurdo nulla ſagacitate olfaciendi copia foret. Fuerat Broder profeſſione Chriſtianus, officio Diaconus, jam verò in omne nefas præceps, religione pro culcatâ in ethnicorum caſtra transfuga, idolis ſacrificabat, magicis artibus gnaviter operatus. ejus armatura ferrum omne refutabat; vires formaq; in primis commendabant; cæſariem, colore fuſcam, cingulo ſubnectere conſvevit: tanta erat longitudo. Hic poſt initum cum Sericobarbo fœdus, Uſpacum ſibi adjungere conabatur: verùm is arma optimo Regi ſe illaturum negabat, qvantumvis, id temporis, paganus. Fuit namqve Rex Brian clementiæ lenitatisq; cæterarumq; virtutum laude admirabilis: ter graviorum criminum reis gratiam fecit, qvartò, cùm emendari non poſſe viderentur, pœnam exegit. Regis frater Ulfus Hreda, inſignis Imperator, athletaq; perhibetur, alumnus alter Kiarthialfadus nomine, Kilfii Regis filius, contra qvem multa bella geſſerat Brian, ad ultimum regno exegit. Qva calamitate preſſus Kilfius, anachoreticam vitam amplexus eſt. Deinde Brian, Romam petens, & in inere eum inviſens, ſibi reconciliavit, filiumq; ejus Kiarthialfadum, dilectum magis propriis liberis, educavit: erat enim juvenis valdè ſcitus, & dum hæc gererentur adultus. Tres erant Briani filii, Dungadus Margadus (Varæo Murchardus) & Tannius (Varæo Taddæus), horum nullus Kormlode matre natus. Cùm autem Uſpacus, ad belli Briani inferendi ſocietatem, adduci nollet, claſſem ſuam, decem navibus conſtantem, à Brodero, ne fraudibus ejus obnoxius eſſet, ſejunxit. Prodigia, ſive ficta, ſive vero mixta, hæc memorantur. Nocte qvadam Broder cum claſſiariis, ſangvineo imbre, eoq; ardente valde infeſtabatur, qvem clypeis loricisq; usque ad diluculum excipiebant: mane in ſingulis navibus nauta unus mortuus deprehenſus, dies ſomno datus eſt. Nocte, qvæ ſecuta eſt, gladii omnes, ſponte vaginis effuſi, ſe mutuò ingenti certamine impetebant: ſecures autem & haſtæ, in aëre volitare viſæ, in nautas tanto impetu ferebantur, ut clypeis ſe ſinguli protegere cogerentur: pars magna crebris vulneribus ſaucia, pauci illæſi evadebant: hac inqvietudine nox illa tranſacta, mane ſeqventis diei ſinguli è ſingulis navibus deſiderabantur.

Tertiâ ab impetentibus corvis, ſingulis, ungvibus roſtrisq; ferreis, lacerari ſibi videbantur: cumq; objectu, clypeorum gladiorumq; dum tenebræ durabant, ſe tutati eſſent, mox ubi lux exorta diem reduxit in qvavis nave tot, qvot ſingulis præcedentibus noctibus, mortui inventi ſunt. Inde cum ſomno aliqvantiſper indulſiſſent, excitus Broder, ab imo pectore ſuſpiria ducens, ſcapham expediri juſſit, mox, adito Uſpaco, qvæ prodigia inciderint, retulit, qvidq; portenderent, edicere juſſit. Is pacem primò pactus, eousqve enodationem diſtulit, qvoad nox inſtaret: tum demum ſangvineum imbrem, cruentam cædem, tam copiarum propriarum, qvàm alienarum; clamorem & ſtrepitum, repentinam mortem; gladios ſponte eductos, inſtans certamen; corvorum autem, ferreis roſtris ungvibusq; monſtroſorum, impetum, dæmones, qvos colerent, uncis eos ad orcum ſecum ſubito tracturos denotare conjectabat. Hac interpretatione Brodero ira ſimul ac metus vocem præcluſit. Itaqve ſubito ad propiam claſſem revectus, Uſpacum, contra fidem datam, aggreſſurus, ad internecionem deleviſſet, nî is, qvid fieri vellet, proſpiciens, eadem nocte velatis

tis navibus remisq́, lentè ad littora deductis ancoralia Broderi præcidiſſet, adjecto voto, de Chriſtianæ religionis profeſſione in poſterũ, ſi incolumis manus ejus evaderet. Exaudivit propitium numen pia vota, & rabiei infeſti hominis ſubductum clementer conſervavit. Exinde ad Regem Brianem profectus, omnem conſiliorum hoſtilium ſeriem ordine ennarravit, purioribusq́; ſacris initiatus, inter miniſtros Regis receptus eſt. Miſſi deinde, qvi ex omni agro, ditioni Regis ſubjecto, militem conſcriberent, mandatumq́; ut univerſum exercitũ, ad Feriam Palmarũ, Dublinum ducerent: atq; ita omnia, qvæ ad bellum reqvirebantur, celeriter comparata ſunt. In exercitu Sigurdi Orcadum Comitis, præter qvindecim Islandos, qvos è ſociis navalibus Floſius ei ſuppeditabat, Thorſteinus Halli de Sida, Haldor Gudmundi divitis filius, & Hrafnus Rufus militabant. Floſium autem ipſum ſeqvi volentem, qvod votum, de ſacra peregrinatione Romam inſtituenda, nondum abſolviſſet, iſthoc onere gravari Comes nolebat. Secutus eſt qvoqve hanc militiam Erlingus vir Hæbudenſis. Hareco autem, procerum Orcadenſium primario, comitem ſe offerenti Comes reſpondit: placere, ut domi remaneret, ſe namqve ei, omnium primo, ſignificaturum, qvæ accidi ent. Omnibus paratis, univerſas copias Dublinum transportabat. Aderat ibi Broder eodem tempore, magicisq́; artibus eventum prælii explorabat. Cui reſponſum: ſi in diem Paſſionis Domini certamen extraherent, victoriam qvidem à partibus Regis, ſed vitæ ejus impendio ſtaturam, ſin præcipitarent, internecinum omnibus Regis hoſtibus futurum. Eodem die, ad eum Reginamq́; Kornlodem vir qvidam, cinereo eqvo inſidens, geſtans baculum bellicum, acceſſit, longoq́; tempore ſolus eos allocutus eſt. Die Veneris, qvi, in diem memoriæ paſſionis Servatoris, Σωτηρια dictum, inſtitutum incidebat, utriqve copias eduxerunt. Broder alio in cornu, Sigtryggus ab alio pugnam inſtruit; media acies Sigurdo Comiti tuenda datur. Brodero Ulfus Hreda, Regi Sigtryggo Uſpacus & filii Regis, Comiti Sigurdo Kiarthialfadus oppoſiti ſunt. Rex autem Brian, cum eo die dimicare nollet, militum præſidiariorum cohortibus ſe valli inſtar munivit. Infeſtis animis utrinqve concurſum eſt. Broder acerrimè invectus ordines turbabat: ipſe invictus, corpus ad omnes ictus impervium incantationibus reddidit. Qvem cum Ulfus Hreda ternis vicibus concuſſiſſet, ſingulisq́; ictibus humi ſtraviſſet, ægrè ſe erigentem adeò terruit, ut protinus acie excedens in proximam ſilvam ſe ſuosq́; ſubduceret. Interim Kiarthialfadus in Comitem Sigurdum tanto impetu ſe intulit, ut anteſignanis omnibus, aut occiſis aut turbatis, cæſo inſuper ſignifero acies omnis fluctuaret. Altero ergo in ſigniferi locum ſubſtituto, prælium denuo recruduit. Comitis in primis virtus animusq́; intrepidus cum ſæpe alias, eo tamen bello maximè enituit: nam diſſipatam prope aciem, nunc hortando, nunc pugnando reſtituit, impetumq́; hoſtium non modò ſuſtinuit, ſed etiam repreſſit, donec, Kiarthialfado acriùs ſe inferente, ſignifer priori ſubſtitutus, ejusdem gladio occumberet. Qvo viſo, Comes Thorſteino, Halli de Sida filio, ſigniferi locum ſubire mandat: accepturus vexillum ab Amundio Hvitio, ſev Albo, inhibitus eſt, monente, ſingulis ferentibus exitiale futurum. Hrafno itaqve Rufo geſtandum porrexit: ipſe autem reſpondit, dæmonium tuum ipſemet porta: æqvum eſt, regeſſit Comes, ut facciperium vetulo adhæreat, vexillumq́; haſtæ detractum, intra veſtes implicatum geſtabat. Paullo poſt Amundius Hvitius cæſus eſt; mox etiam Comes, telo trajectus, occubuit: atqve ita incantamenta matris, qvibus vexillum faſcinabat, noviſſimè in filium verſa, exitium ei, poſt aliorum funera, attulerant. Dæmonum enim malorum blandimenta, mœſto ſemper exitu claudantur. Uſpacus, poſtqvam omnem aciem Sigtryggi Regis perruperat, amiſſis duobus filiis, multisq́, vulneribus acceptis, eum in fugam vertit; ejus exemplo reſidua acies terga vertere, moxq́; effuſè fugere cæpit. Solus Thorſteinus, Halli filius, cæteris fugientibus conſiſtens, corrigias pedibus alligavit. Qvem Kiarthialfadus cùm offendiſſet, cur inter cæteros fugâ ſibi conſulere negligeret, qvæſivit; ille verò: qvoniam, inqvit, domum hoc veſpere pervenire neqveo, cùm Islandus ſim: qvo cognito, ei pepercit. Hrafnum autem Rufum in amnem usqve cùm hoſtes perſecuti eſſent circumventum à dœmonibus fabulantur, ubi infernum pla-

gasq́; damnatorum per visionem cum conspexisset, dæmonesq́; se eò rapturos: Dive, inqvit, Petre, bis eqvidem canis tuus (se ipsum intellexit) Romam cursitavit, cursurus etiam tertiò, si per te licebit. Qvo voto dimissus ab iis fluvium superavit. Adeò Romæ Pontificisq́; metum ad Plutonis aulam Monachorum cohors extenderat! Interea Broder, in proxima abditus silva, ubi præsidiariam circa Regem Brianem aciem extenuatam conspexit (namqve inde multi discesserant ad hostes fugientes perseqvendos) ipse cum militum suorum phalange protinus è latebris, ubi se abscondiderat, prorumpens, laxatosq́; ordines invadens, multâ cæde hostium invehitur; qvibus in fugam versis, ipsum etiam Regem obtruncat. Addunt miraculum, nimirum cùm caput Regi absumeretur, juvenem qvendam, nomine Thatum, manum ad ictum inde avertendum gladio Broderi objecisse, amputatamq́; simul, statim brachio velut illæsam adcrevisse, cùm sangvine regio perfundebatur. Cæso Rege, Broder triumphantis in modum exclamans, sceleris qvoqve gloriam captans: æternæ, inqvit, memoriæ famæq́, ad posteros consecrabitur, qvòd Broder Brianem Regem occiderit. Mox tristes nuncii ad Ulfum Hredam & Kiarthialfadum missi, cæsum Regem referebant, & ab ulteriore persecutione hostium eos avocando, in Broderum convertebant. Igitur silvâ, in qvam Pirata se receperat obsessâ excisis arboribus vastatâ, latebris eum extractum comprehensumqve, perforato ventre, intestinorumq́; primâ parte protractâ, columnæq́; affixâ, toties circumactum impellunt, donec omnibus exertis, impiam efflaret animam, Comilitones deinde capite plexi sunt. Regem mortuum integro corpore, capite cervici affixo, tanqvam præcisum esset, inventum; idq́; sanctitatis testimonium miraculo confirmatum tradunt. Ex Flosii cohorte, qvindecim eo prælio occubuerunt; Haldor etiam Islandus, Gudmundi Divitis filius; & Erlingus de Straumseya, Orcadensis, desiderabantur. Prodigium interea, dum in Hiberniâ confligerent in Catanesiâ, Scotiæ provinciâ, eodem die passionis dominicæ, tale accidisse meroratur. Vir qvidam, nomine Darradus, multos homines vicino colli adeqvitantes, singulosq́; ingressos, cùm conspexisset, exploraturus oculorum fidem, eò se contulit, viditq́; per fenestram feminas numero duodecim telam texentes: insiliorum vicem, humana capita; staminum, intestina; radii, ensis; tramæ, tela supplebant. Illæ carmen Danicâ lingvâ, inter texendum modulabantur, unde novem versus excepit à Doctissimo *Thoma Bartholino Antiqvitatum Danicarum Lib: III. Cap. I.* exhibitos, atqve enucleatissimè expositos, qvorum sensus est. Funesta illa tela, Regis Comitisq́; memorabiles cædes, totiusq́; Hibernici status mutationem, indigenis qvidem luctuosam portendi, placet tamen exemplum ipsamq́; versionem huc inferre.

Vitt er orpit	h. e.	Latè diffunditur
fyrir valfalli		ante stragem futuram
rifs reidi Sky		sagittarum nubes
rignir blode		depluit sangvis
nu er fyrer geirum,		jam hastis applicatur
grarr upkominn		cineracea
vefr verthiodar		tela virorum,
thær (rectius thann) er vinor fylla		qvam amicæ texunt
raudum vepti		rubro subtegmine
randves bana		Randveri mortis
Sia er orpinn vefr		Texitur hæc tela
yta thaurmum		intestinis humanis
oc hardkliadr		staminiqve strictè alligantur
hofthum manna		capita humana
ero dreyrrekin		sunt sangvine roratæ
daurr at skoptum		hastæ pro insilibus
jarnvardr yllir		textoria instrumenta ferrea

en au-

en aurum hreladr
skolum sla ſverdum
ſigrveſ thenna

ac ſagittæ pro radiis
denſabimus gladiis
hanc victoriæ telam.

Gengr Hildr veſa
oc Hiorthrimul
Sangridr Svipul
ſverdum rognum
Skapt mun gneſta
Skiolldr mun breſta
mun hialmgagarr
i hlif koma.

Prodeunt ad texendum Hilda
& Hiorthrimula
Sangrida & Svipula
cum ſtrictis gladiis
haſtile frangetur
ſcutum diffindetur
enſisqve
clypeo illidetur

Vindum vindum
vef Darradar
ſa er ungr Konungr
atti fyri
fram skollum ganga
oc i folk vada
thar er vinir varir
vapnum skipta.

Texamus, texamus
telam Darradi.
Hunc (gladium) rex juvenis
prius poſſidebat
Prodeamus
& cohortes intremus
Ubi noſtri amici
armis dimicant

Vindum, vindum
vef Darradar
oc ſiklingi
ſidan fylgiom
thar ſa bara
blodgar randir
Gudr oc Gondul
er grami hlifdu

Texamns, texamus
telam Darradi
& Regi deinde
deinde adhæreamus
ibi videbant
ſangvine rorata ſcuta
Gunna & Gondula
qvæ Regem tutabantur.

Vindum, vindum
vef Darradar
thar er ve vada
vigra manna
latum eigi
lif hans faraz
eigu valkyrior
vigs um koſti.

Texamus, texamus
telam Darradi
ubi arma concrepant
bellacium virorum
non ſinamus eum
vita privari
habent Valkyriæ
cædis poteſtatem.

Their muno lyder
londum rada
er utskaga
adr um bygdu
qved ec rikum gram
radinn dauda
nu er fyrir oddum
jarlmadr hniginn.

illi populi
terras regent,
qvi deſetta promontoria
antea incolebant
dico potenti regi
mortem imminere
jam ſagittis
occubuit Comes.

Ok muno Irar
angr um bitha
that er alldri mun
ytum fyrnaz
nu er vefr ofinn

Et Hibernis
dolor accidet
qvi nunqvam
apud viros delebitur
jam tela texta eſt

enn vollr rothinn	campus vero (ſangvine) roratus
munu um londſara	terras percurret
laſpioll gota.	conflictus militum.
Nu er ogorligt	Nunc horrendum eſt
um at litaz	circumſpicere
at dreyrugt sky	cum ſangvinea nubes
dregr med himne	per aëra volitet
mun lopt litad	tingetur aër
lyda blode	Sangvine virorum
aihr ſpar varar	anteqvam vaticinia noſtra
ſpringa allar	omnia corruant
Vel qvedu ver	Bene canimus
um Konung ungan	de Rege juvene
ſigrhlioda ſiold	victoriæ carmina multa
ſyngium heilar	bene ſit nobis canentibus
enn hinn nemi	Dicat autem ille
er heyrer a	qvi auſcultat
geirliotha ſiold	bellica carmina multa
oc gumum ſegi.	& viris referat
Ridum heſtum	Eqvitemus in eqvis
allz ut berum	qvoniam efferimus
brugdnum ſverdum	ſtrictos gladios
a brott hedan.	ex hoc loco

Finitâ cantilenâ, telam ſingulæ diſcerpſerunt, & ,qvam qvæqve diripuit, partem, retinebat. Exinde Darradus domum adibat, iſtæ qvoqve digreſſæ ſuum qvæqve conſcendebant eqvum: ſex aqvilonem, reliqvæ auſtrum verſus curſum dirigere viſæ. Eadem viſio Brando Gveſtero in Færeyis obtigit. In Islandia, in prædio Svinafell, eodem ipſo die, inter ſacra Miſſæ, ſangvine ſuper humerale ſacerdotis pluebat. In alio etiam templo, prædii Thotta, ubi Hallus de Sida habitabat, Præsbytero, inter ſacra, magnum mare prope altare, deſtillantium guttarum freqventiâ auctum, inundare viſum eſt; diuqve viſio illa tennuit, terruitq; ipſum adeò, ut ſacris peragendis interea deſiſteret. Hæc præſtigiis adſcribi poſſunt: Illud certè qvod Harœco (cui ſe omnium primo belli eventum Comes Sigurdus, noviſſimè diſcedens cùm rediret, relaturum pollicitus eſt) in Orcadibus contigit, intra præſtigias non ſtetit. Huic ſiqvidem, cum pluribus aliis, Sigurdus Comes, cum militum phalange redux, nec procul diſtare viſus eſt. Ad eum igitur ſalutandum acceſſurus, eqvum conſcendit, & eousqve provectus conſpicientibus apparuit, donec, inter ſe ſalutantes, ambo ſimul, ſuo qvisqve eqvo inſidentes, tumulum qvendam ſubirent. Exinde diſparuerunt, nec poſtea vel Comes, vel Harecus, vel reliqviæ eorum, aut veſtigia, in Orcadibus inventa ſunt. Licuiſſe execrando Dei hominumq; hoſti, ſpecie demortui Comitis, deceptum Chriſtianum hominem, aut occidere, aut vivum in alium locum transferre, mirum permiſſionis divinæ exemplum! Gillio Hæbudarum Comiti, apud qvem Floſius tempore belli remanſit, imago viri cujusdam, *Herſinum* ſe nominantis (qvod Finnum bellicum denotat) per qvietem ſe obtulit, qvi ſe ex Hibernià veniſſe dicebat. Interrogatus ergo a Comite, qvæ inde nova afferret, carmen, cujus hic eſt ſenſus, repoſuit:

Funeſtas refero cædes, belliqve procellas,
Et genus omne mali, qvo jam glacialis Iverne
Concutitur; metas menſi pervenit ad ævi
Sigurdus, Comitum decus immortale, vir ingens

Sangvine defectos cecidit collapſus ir artus.
Horreſco referens, ſuperato victor ab hoſte
Sternitur ipſe Brian, Regum qvo juſtior alter,
Nec pietate fuit, nec bello major & armis.

Viſio haud contemnenda Comiti Gillio Floſioq́; videbatur, ſæpiusq́; qvid ſibi vellet, invicem ſe interrogabant: poſt ſeptem dies, Hrafnus Rufus fugâ elapſus, omnem geſtorum ſeriem iis expoſuit.

CAP: XI.

Cauſſa adventûs Floſii Kariiq; Islandorum, in Orcades explicatur, qvæ altiûs repetita, partem Hiſtoriæ Islandicæ complectitur, nimirum Hrappi cujusdam Islandi ſcelera, in Norvegiâ perpetrata, ut eum Hacon Hladarum Comes perſecutus fuerit, eoq; manibus ſuis erepto, in Nialis filios Comitis Sigurdi ſatellites ultionem verterit, qvæ prima malorum omnium, cædium incendiorumq; in Islandiâ ſecutorum cauſa, etiam in Orcades ultionis partem tranſmiſit. Karii, fidem excedens temeritas, perpetrataq; in aulâ Comitis Sigurdi, Rege Sericobarbo & Comitibus Orcadum & Hæbudarum præſentibus, inter ſacra menſæ, ipſo natali Servatoris feſto, cruenta cædes, qvam altera deinde in Cornavia ſecuta eſt Peregrinatio partium Romam, pacificatio & affinitas. Verus mortis Comitis hactenus ignoratus, annus, & dies monſtratur, ad qvod confirmandum auctoritas Jacobi Waræi adducitur.

Qvoniam Floſii mentio facta eſt, haud alienum videtur cauſſam adventûs ejus in Orcades exponere, & hæc altiùs repetita, qvæ his temporibus in Islandiâ geſta ſunt, ſimul declarabit. Grimum & Helgium, Nialis Islandi filios, Comitis Sigurdi ſatellites purpuratos, ab Hacone Comite, Norvegiæ Dynaſtâ alienam culpam iis imputante, ingenti injuriâ affectos, ope Karii Solmundii evaſiſſe, ſuperiùs retuli. In culpa fuit Thrain qvidam Sigfuſius, Nobilis Islandus, qvi magnis honoribus muneribusq́; à Comite Hacone, non qvidem immerito, pridem affectus, mox benignè & liberaliter dimiſſus, cùm nihil eum, præter ſecundos ventos, moraretur, ſceleratiſſimum hominem nomine Hrappum, ſed popularem ſuum, ſummorum criminum reum, nave receptum, anxieq́; inqviſitum celavit, ventumq́; proſperum nactus in patriam revexit. Is, per integram hyemem, nobiliſſimi Principis Gudbrandi, Dalorum domini, hoſpitio gratis receptus, filiam ejus ſtupravit, virumq́ ei à patre pudicitiæ cuſtodem conſtitutum, expertæ virtutis ac fidei ſenem, ſe in flagrante crimine deprehendentem occidit, occiſumq́; patri, cauſſamq́; cædis, palatium, cruentam geſtans ſecurim, exuto pudore, ingreſſus, ipſe qvoqve recenti cruore reſperſus, inter prandendum palam retulit. Immiſſos deinde, qvi comprehenderent, occidit, filium Principis graviter vulneravit, & vulneratum, humiq́; dilapſis Comitibus, ſtratum mordaciter cavillatus, affinitatis reſpectu, qvæ ſibi haud pariter atqve illi ſordeat, ei parcitum jactabat. Poſtea dilapſus, ſplendidiſſimum templum Comiti Haconi, Gudbrandoq́; commune exuſſit, atqve idola veſtibus nudata

nudata, foras extulit. Deniqve ſe inſeqventes, Comitem cum militum phalange, pernicitate pedum fruſtratus, receptum vecturamq́; à Nialis filiis, navigationi etiam accinctis in patriam poſtulavit. Iis abnuentibus, Thrainem ſollicitabat, præſentiſſimum vitæ periculum monſtrans, ignominiamq́; ei perpetuumq́; dedecus exprobrans, ſi ſe ſupplicem, in conſpectu ſuo, crudeliſſimo ſupplicio excruciatum mori pateretur: qvi ſortem peſſimi hominis miſertus, receptum navi, Comitis eum vindictæ ſubduxit. Ille his concitatus inq́: rabiem verſus, omni furoris vi in Nialis filios, utpote populares ejus, effusâ claſſiarios militesq́; eorum univerſos occidit: ipſos verò fratres, in vincula conjecit. Qvi, ope Karii, liberati, cùm domum rediiſſent, tantæq; per Karium (qvi eadem hyeme ſororem eorum ſibi conjugio ſociavit) maximumq́; fratrem Skarphedinem, injuriæ ſatisfactionem à Thraine poſtulâſſent, cum irriſu repulſi, ipſum & Hrappum, occiderunt. Id qvod *Arngrimus Chrymogea* Lib: II, in Niale pluribus narrat. Poſtea interveniente compoſitione, heredibus Thrainis ſatisfactum eſt. Pater autem Niall, vir providus, familiæ eorum potentiam metuens, omnem occaſionem ulterioris vindictæ amputaturus, beneficiis eam demulcere decrevit, Thrainisqve filium id temporis, puerum, nomine Hoskuldum, è nutricatu generi ſui, qvi & pueri patruus erat, ad ſe recepit, optimisq́; inſtitutis moribusq́; imbuit, filiisqve ſuis, qvi patrem ejus occiderant, enixè conciliavit. Adultum Curionem conſtituit, magno qvidem labore latis novis legibus, qvibus ſtatus omnis juridicus mutatus eſt. Poſtremo ei uxorem virginem, genere opibusq́; eximiam, Floſii fratris filiam, nomine Hildigunem procuravit, qvam, niſi Curio factus, obtinere non potuiſſet. Atqve his beneficiis obſtrictum, cum tota familia, ſibi ſuisq́; reddidit devinctiſſimum. Fuit vir in vicinia nomine Maurdus Valgardius, genere qvidem & opibus potens, ſed affinitate potentior, qvi, rogatione novæ legis, curionatu exciderat: Is ergo non amiſſam modò dignitatem, ſed etiam ſupremam totius provinciæ poteſtatem, patris conſilio, ſibi aſſerere moliebatur. Id cùm, vivo Niale filiisq́; ejus & Curione Hoskuldo, aſſeqvi deſperavit, calumnias inter eos, diſſidiaq́; & rixas, in certas deniqve cædes erupturas, ſerere tentavit. Utrosqve ergo inviſere, muneribus, crebrisq; colloqviis & conviviis, fictâ benevolentiâ allicere cæpit. Ut verò fidem integritatis ſinceriq́, affectûs, animis utriusqve partis inſtillavit, ſingulos ſeorſim, unum ad alterum ultro citroq́ calumniari, materiam ſeminaq́; diſſidiorum ſerere, atqve omni arte inter ſe committere aggreſſus eſt, callidè ſimulans, ejus ſalutem ſibi maxime cordi, ad qvem abſentes criminabatur. Hoskuldus fidem omnem dictis ejus derogans, palam monuit, fruſtra nutricios ſuos ſibi ſuſpectos reddere conaturum: neqve enim ullam ſimultatum cauſſam interveniſſe, nihilq́; ſubeſſe, qvominùs ſibi eandem benevolentium de iis, qva, ad id usqve tempus, uſus fuerit, poliiceretur: qvod ſi ſibi necem molirentur, malle ſe ab iis occidi, qvàm ſe indignum qvicqvam in eos admittere. Singulis deniqve calumniis nervosè refutatis: apage, inqvit, nebulo, cum nugis iſtis, qvibus nos invicem committere moliris. Cæterum ſive negligentiâ, ſive contemptu, hæc ad eos, qvos Maurdus criminabatur, deferre intermiſit. Verùm haud pariter, adversùs calumnias, obſtructas aures Nialis filii habuêre: qvas, ut primum perpendere cæperunt, patri celarunt, tandem etiam perſvaſi, nî occupâſſent, omnes ejus inſidiis perituros. Igitur, qvo dictorum fidem calumniator ipſo facto probaret, viſum eſt, eum in ſceleris periculiq́; ſocietatem trahere, qvod is, ne ſe ipſum ſu pectum reddendo, oblatam occaſionem dilabi ſineret, minimè refugit. Omnes igitur conjurati numero qvinqve & in his Karius, Hoskuldum primo vere, ſummo mane domo egreſſum, togâ, qvam uxoris patruus Floſius ei nuper dederat, amictum, ex inſidiis adorti, ſuo qvisqve vulnere ſauciatum occiderunt, cujus ſola eaq́; ultima hæc verba excepta ſunt: Deus miſereatur mei, vobisq́; condonet. Occiſi cruorem uxor, togâ, qva indutus erat, abſterſit, excepitq́ ſangvineam, inq; adventum patrui Floſii reſervavit, qvem magnâ verborum benevolentiâ invitatum, in ſede altiore, ad ſolii formam excitatâ, collocavit. Indignantem, palamq́; vociferantem, nec Regem ſe nec Comitem eſſe, qvibus is honor competat, togâ illâ ſangvinolentâ induit,

fero

ferociter expoſtulans, ut cædem affinis, nî infamis in poſterum haberi vellet, intrepidè, imò vulnus qvodlibet vulnere mortifero, ulciſceretur. Periculi plenum mandatum, nec tamen Floſio recuſare integrum, imò ut tunc mores erant, planè ignominioſum fuit: itaque qvantumvis repugnans, turbatusq; in ſe tamen recipere litem coactus eſt. Nec minor ſenem Nialem mœror è nutritii cæde inceſſit, qvem adeò dilexit, ut nunqvam ſine lacrymis mentionem ejus facere poſſet, palamq; teſtatus ſit, maluiſſe duobus filiis orbari: prædixit namque ſibi uxoriq; cum univerſa ſobole maſculina, cædem eam exitio futuram, ſolum generum Karium evaſurum, cujus fortunam hoſtibus inexpugnabilem prævideret. Nec fefellit præſagium: nam eodem auctumno die XXI. Auguſti feriâ ſecundâ, adulto veſpere, poſt horam nonam Floſius cum ſeptuaginta armatis (centum habet Arngrimus) domum ejus viginti qvinque propugnatoribus munitam obſidebat, nec tamen propius accedere auſus, qvàm ſinguli intra tecta ſe recepiſſent, Niale tum primum, imminente fato, cæcutiente: ſuggeſſit enim faciliùs intra parietes, qvàm ſub dio defenſionem proceſſuram. Tum primum ferro & flammâ graſſatus Floſius, domum armatis undiqve circumſeſſam incendit, Niali priùs, cum uxore, & univerſo ſexu fœmineo, exeundi poteſtate factâ. Is autem abnuit, ſeniorem ſe præfatus, qvàm ut filios ulciſci poſſet: malle mori, qvàm vitam infamem ducere. Sed nec uxor Bergthora, oblatum beneficium admittere voluit, juvenculam ſe marito ſociatam dictitans, nec in morte deſeruram. Fidem excedit nepotem ex filia & genero Kario, parvulum puerum nomine Thordum, prætuliſſe, eum avo aviaq; truculentum illud mortis genus oppeteere qvàm ab iis divelli, vel ſi prætulit, id ei fuiſſe permiſſum. Hunc igitur ſub corio bovino inter ſe collocabant, qvod cùm crudum eſſet, incendium minus facilè concepit, ideoq; tria horum corpora integra inventa ſunt, digito tantùm pueri, qvi extra porrectus, flammâ abſumpto. Fœminæ puerique; cæteri omnes exeundi licentiâ uſi ſunt. Inter fœminas Helgius Nialis filius, Comitis Sigurdi ſatelles, aſpectu pulcher & imberbis, muliebres indutus veſtes in ultionis ſegetem emiſſus, ſed agnitus a Floſio fœminam iſtam compactioribus humeris videri dictitante, ubi ſe proditum animadvertit, educto, qvem ſub ſtolâ occultabat, gladio unum eorum obtruncavit, viciſſim à Floſio capite ſtatim mutilatus. Solus Karius, reliqvis felicior, tandem etiâ omnium ultor, vindexq; acerrimus, aduſtis veſtibus, adeſisq; igne armis, ægrè fumo, cujus ductum ſeqvebatur, obvolutus evaſit, minatus gladium, igne mollitum, ſangvine ſe hoſtium induraturum. Inſeqvente anno, cauſſa hæc in publicis inſulæ comitiis, maximâ contentione ardoreq; partium, diſceptata eſt, ſciſſaq; in factiones univerſa penè Respublica. Maurdus incendior omnis mali, magnaq; pars cædis Hoskuldi, uniusque vulneris auctor, non modò liber à pœnâ & perſecutione, ſed prorſus extra culpam poſitus, inſuper *Procurator* ad litem à factione Hoskuldiana poſt ipſius cædem, mox à Nialina electus eſt. Ei jam ab altera parte, vir juris peritiſſimus Eyolfus Bolverkius oppoſitus eſt, pecuniâ ad id conductus, vir genere nobilis, qvippe atnepos Thoriteini Rufi, cui cùm Maurdus, licet eloqventiâ jurisq; ſcientiâ paucis comparandus, impar tamen eſſet, Thorhallus uxoris Helgii frater, haud nobilitate inferior, apud Nialem educatus, inq juris patriæ ſcientia accuratè informatus, in ſubſidium vocatus, cùm ex ulcere pedis adeò vehementer laboraret, ut liti in ereſſe non poſſet, decumberetq; in tentorio, ſæpiùs per internuncios conſultus, omnes Eyolfi ſubtilitates eluſit. Tandem, Maurdo tam graviter impingente, ut reſtitui in integrum non poſſet, adeò exarſit, ut haſtâ pedi impactâ, ulcus continuò reſcinderet, protinusq; absqve claudicatione reſiliens contrariæ partis unum transfigeret. Atqve hoc veluti claſſico, à forenſi diſceptatione avocatum omnem prope conventum ad arma concivit. Inde prælium mutuæq; cædes, atqve inter cæteros Eyolfus Bolverchius cæſus eſt, jureq; cæſus judicatus, qvòd ad patrocinium cauſſæ tam iniqvæ pecuniâ ſe corrumpi paſſus eſſet. Tandem cum armata manu Snorrius Curio interveniens, tumultum compoſuit: nec tamen univerſa controverſia tranſigi poterat, cum Karius alterq; Nialis gener Thorgeir cognomento Skorargeir, impiger vir, pugilq; ſtrenuus, nullam pro ſua parte ſatisfactionem admittere vellent:

cœteri autem factionis Nialinæ in tantum mitigati sunt, ut præter satisfactionem cædium, Flosius cum omnibus, qvi incendendæ domui operam contribuerant, triennium exsularet. Interim Karius & Skorargeir, ubicunque eos aggredi poterant, occiderunt vel vulnerarunt. Qvindecim semel ex iis dormientes, isti tantum duo cùm offenditsent, non priùs adorti sunt, qvàm excitâssent, armaq́; capere permsissent, qvorum demum qvinqve occisis, reliqvi in fugam versi. Iterum Karius, vix semiviro adjutus, ut *Arngrimus* loqvitur, ex octo confligentibus, alios fugavit, alios interemit, sed loci opportunitate nonnihil adjutus. Tertiò senas unà hostium manus sustinens, superioribus victoriam obtinuit. Nec contentus in patria eos persequi, in transmarinas regiones vindictæ studio tractus, ne ibi qvidem securos permisit. Hucusque Arngrimus. Flosius cùm ex pacto patriâ anno MXIII. excederet, in Orcades tempestate delatus, naufragium passus est. Verum cùm sibi à Sigurdo Comite, ob cædem filiorum Nialis, qvòd ejus satellites fuissent, metueret, nec tamen effugere posset, ultro eum adiit, nomenq́; & patriam qværenti, ingenuè confessus est. Omnia de incendio, qvippe ante biennium perpetrato, Flosiiq́, nomine, & sociorum, Comes jam dudum perceperat: itaqve institit qværere, ut aulicus suus Helgius Nialis filius viveret: vixit, inqvit ille, donec eum obtruncarem. Cæde aulici exasperatus antea Comes, responso etiam magis irritatus, omnes simul comprehendi, protinusq́; occidi jussit. Erat in aula Sigurdi magno in honore Thorsteinus, Halli de Sida filius, Comiti in primis, qvippe sangvine junctus, omnibusq́; proceribus acceptus, cujus sororem Steinvorem Flosius uxorem habuit: is intercessione tum suà, tum amicorum, impunitatem sororio exoravit. Flosius itaqve more Principibus eorum temporum familiari (si cui occisi militis, vel aulici, cujuscunqve dignitatis aut sortis, gratiam facerent, videreturq́; reus ejusdem sortis, vel etiam amplioris, capax, eum occisi locum subire jubebant, sibiq́; eadem ministeria præstare) in Helgii locum receptus est, atque omnibus præterea comitibus ejus venia data. Interea Karius ex Islandiâ in insulam Orcadum unam Fridereyam dictam (qvæ inter Hialtlandiam & Orcades jacet) delatus, ad Davidem Hvitium seu Album divertit, ubi longo tempore moratus, omnia de Flosio cognovit. Festo deinde Jolensi (Julia vocant, qvòd illo tempore, perinde ac hodie, in memoriam nati Dei XXV. Decembris celebrabatur) Sigtryggus Sericobarbus Hiberniæ Rex, sollicaturus auxilium Comitis, eò advenerat. Accesserat & sororius Comitis, Comes Hæbudarum Gillius, invitatus ad convivium illud Sollenne. Medio in solio Rex accumbebat, ab utroqve latere Comites; interiùs à Comitis Sigurdi dextro latere, Regis Comitisq́; Gillii satellites; ad Gillii siniſtram exteriùs Flosius & Thorsteinus, eorumq́; comites ordine sedebant. Universa aula convivis strepebat.

Hic autem veterum triclinium habitus, diversus ab illo receptiore, qvem Olafus Mansvetus Norvegiæ Rex postea in usum revocavit, describitur, ubi unicæ fores Regi in intima parte, solio transverso parieti juncto, pari ab angulis distantia, insidenti obversæ, scamnis absqve soliorum apparatu, circa latera utrinqve dispositis conspiciebatur. Nec diffiteor eum, qvem postea Olafus promiscuum esse voluit, prioribus seculis in usu fuisse. Veteris Schema tale. Inter occidentem orientemq́; longitudo protendebatur. In transversis parietibus, iisq́; mediis, fores sibi invicem oppositæ; scamna ab utroqve latere parietibus affixa, longitudinem triclinii æqvabant. Si Regum vel Comitum sedes ellent, vel si horum aliqvis excipiendus, mediis in scamnis solia altiora erecta sunt, atqve in eo, qvod austrum spectabat, Rex vel Comes considebat: in opposito ad alium parietem, supremus minister, cui Rex propinare solebat; ab utriusqve dextra digniores, à siniſtra, qvi dignitate superabantur. Utrisqve inter epulas mensæ appositæ, deinde remotæ. Ante convivarum præcipuos, dapiferi, pincernæ & lychnuchi, sua qvisqve ministeria obibant. Locus Regio solio oppositus honoratissimus, an & Episcoporum (fortè etiam Principum hospitio exceptorum) qvi Regibus latera claudere solebant, prælatus, dubito: Reginas qvidem ad siniſtram Regibus, sed communi cum iis solio

sedisse

sediſſe legimus. Inſignem ex Chronicis Norvegicis locum hac de re affert *Thomas Bartholinus, Antiqvitatum Danicarum Lib. II. Cap: XI.* viſu dignum.

Hæc, ad ordinem convivii, qvod Comes Sigurdus celebravit, alaq; hujusmodi facilius percipienda, inſerui. Inter prandium ordinem incendii Nialini, cum Rex & Comes Gillius accuratiùs exqvirerent, appoſita eſt ante eorum menſam ſcila, cui Gunnar Lambinus ad horum enarrationem delectus inſideret: fuit is Nialinæ domûs hoſtis inveteratus, partesq; Thrainis priùs, deinde Floſii abſqve intermiſſione ſecutus. Eodem tempore, dum his recenſendis occuparetur, Karius cum Davide Hvitio & Kolbeine Roſſeyam advecti, de improviſo triclinium ingrediuntur. Forte eo ipſo tempore Rex Sigtryggus qvæſivit, qvâ fortitudine Skaphedin, incendium paſſus fuiſſet: egregiâ primo longoq; tempore reſpondit Gunnar, ad ultimum tamen muliebriter flevit. Non tulit hanc vocem Karius: itaqve citato gradu, infeſto gladio Gunnarem petens, illicò obtruncavit, rhythmoq; ex tempore fuſo, qvi etiamnum proſtat, gloriatus eſt, vanum calumniatoris triumphum fuiſſe, nec diurnum. Ut verò occiſi capitis in menſam Principum procidentis ſangvine violento menſæ, convivii & diei tam feſti ſacra temerata, dignitatemq; ſuam, tam enormi facinore proculcatam, Comes Sigurdus animadvertit, qvamvis Karium impensè dilexerat, juſtâ tamen iræ accenſus, abſqve morâ eum comprehendi occidiq; præcepit. Tanta autem gratiâ Karius in aula polluit, ut nemo eſſet, qvi ſe loco moveret. Itaqve Comiti reſpondit; tantum abeſſe, ut ipſum læſerit, ut gratias inſuper ſibi debeat qvod ſatellitem ejus ultus ſit. Mox eadem, qva ingreſſus eſt, celeritate, egreſſus ad navem properavit, ſecundoq; curſu in Cataneſium delatus, Trasvichæ, longo tempore, apud virum primarium, nomine Skeggium, permanſit. Dilapſo Kario, Rex tum temerariam hominis audaciam, tum etiam celeritatem admiratus: fortem certè virum, inqvit; Comes Sigurdus incomparabilem pronunciavit. Floſius nullam inter ſe & eum reconciliationem interveniſſe, ideoq; nihil ab officio ſuo alienum feciſſe, reſpondit, qvaſi, ſine ullo locorum, temporum, perſonarumq; diſcrimine hoſtem ubiqve & ſemper occidere licitum eſſet & honeſtum. Mox ipſe Floſius ſeriem incendii omnem verè & abſqve ullius ignominiâ enarravit, fidemq; meruit. Feſto deinde paſſionis domini, clades Briana incidit, de qvâ dictum eſt. Floſium ab Hæbudis in Britanniam, ſeu Carnaviam profectum Karius per exploratores certior, è Kataneſia, donatus à Skeggio nave, perſecutus, eò navigationem direxit. Erat inter incendiarios qvidam, nomine Kolus Thorſteinius, qvi priſtinam offenſam intemperantia linguæ magis exaſperavit, ei, viduam locupletem ibidem ducturo, dum pecuniam ſub dio numeraret, cùm decem voce noviſſimâ efferret, ſuperveniens ex improviſo Karius, caput præſecuit, Floſiumq;, per nuncios de cædis auctore, certiorem reddidit: neqve enim clandeſtinæ cædes infamiâ caruerunt. Ipſe in aqvilonem ad Brunsvikam curſu directo, annum, in oppido Scotiæ Hvitburgo, apud Comitem Melkolſum, tranſegit. Floſius, poſtqvam funere ſatis amplo Kolum extuliſſet, transmiſſo oceano Romam profectus, à Pontifice delictorum omnium veniam magnis impenſis impetravit. Principumq; inter peregrinandum gratiam aſſecutus, in Norvegiam ad Comitem Eiricum (rectiùs Svenum aut Eirici filium Haconem) pervenit, ibiq; hyemavit, à qvo nave, multoq; farre donatus, in patriam feliciter reductus eſt. Seqventi anno Karius Romam & ipſe profectus, poſt impetratam ſimiliter Pontificis abſolutionem, Thrasvicham Cataneſiæ oppidum repetivit, ubi dum hyemaret, uxor ejus Helga Nialis filia in patria mortua eſt. Proximo anno cum patriam repeteret, in provinciâ, Floſio ſubjectâ, navi ad Scopulos appulsâ, mercium omnium jacturam fecit. Ipſe cum nautis, infeſtos fluctus, mariſq; tempeſtatem eluctatus, cùm inimico litori redditus, nihilo eſſet ſecurior, neqve enim ſpes erat inde, invito Floſio, elabendi, qvin igitur, ait, virtutem Floſii experimur. Nullo igitur nuncio præmiſſo, eum acceſſit: domum ingreſſus agnitusq; non ut hoſtis, ſed tanqvam intimus amicus excipitur. Sopitis igitur inimicitiis, etiam affinitatem cum Floſio junxit, ductâ in uxorem Hildigunne, Curionis Hoskuldi, qvem occiderant, Viduâ. Karii eulogium *Arngrimus in Crymogeâ*

Crymogeâ non omiſit: tradit enim fuiſſe illum ſi qvis aliàs, manu promptiſſimum virum, animoq; invicto, qvi magnâ integritate, majora magnanimitatis & conſtantiæ argumenta ſæpiùs dederit. Hi cùm ſatellites Comitis Sigurdi fuerint, haud ineptè illam vitæ eorum, geſtorumq; celebrium, partem, qvamvis minimam, qvæ ad Orcades, vel ditionum ejus aliqvam in Scotiâ, pertinet, vel qvæ ad illam illuſtrandam faciunt, hiſtoriæ ejus appendicis loco annecti exiſtimo: nam, & præter cætera, hinc etiam tempus belli Brianici, ſupremusq; vitæ Sigurdi Comitis annus & dies, alias controversa, erui poterit. *Chronica* qvidem *Norvegica*, cæteræq; Membranæ, annum ei à nato Chriſto MV aſſignant: qvod ſubſiſtere nullo modo poteſt. Nam, anno tertio poſtqvam *Svenus* Daniæ Angliæq; Rex mortuus eſſet, Gunnlaugus Ormstunga, ſeu Serpentis Lingva, nobilis Islandus, Ethelredi Angliæ Regis ſatelles, domi militiæq; cum Sigurdo Orcadum Duce vixit. Valdè autem inter Scriptores Anglicos & noſtros, tam Danos, qvàm Islandos, de obitu Sveni, primaq; Knuti, filii ejus, expeditione in Angliam directâ, controvertitur: ſed neqve noſtri Anglis, nec illi noſtris, in anno mortis Sveni, neutri etiam ſibi conſentiunt. Horum qvidem alii, annum Chriſti MXII alii MXIV, iiq; plures, vitam ejus terminâſſe ſtatuunt: noſtrûm alii MVI alii MVIII alii MIX iiq; plures, volunt. Secundum eorum hypotheſin, qvi XII fovent, Sigurdus Orcadum Comes Seculi illius decimo qvinto, ex opinione poſteriorum etiam, decimo ſeptimo, omninò vixit. Gunnlaugi operâ uſus. Neutrum conſiſtit; nam *Marianus Scotus* anno poſt obitum Sigurdi qvarto ſupra decimum natus, annum, diemq; feriam etiam & feſtum, qvo Brian Hiberniæ Rex cæſus eſt, adducit, in anno licèt erratum ſit, non qvidem ab eo, ſed Typographo, editionis Vechelianæ, qvi lineam ad alium annum digeſſit. Dicit autem in Paraſceve Paſchæ feriâ ſextâ IX Cal: Maji anno MXVI, manibus menteq; ad Deum intentum, necatum; qvo nihil noſtrorum traditionibus, ſi annum exceperis, convenientius dici, vel ſcribi poterat: nam & genus mortis, feſtumq; idem, nobiſcum expreſſit. Annus in editionem intruſus ſe ipſum ſubvertit, neqve enim admittit diem paſſionis domini in nonas Calendas Maji, ſeu, qvod idem eſt, diem XXIII Aprilis, qvi ne qvidem viginti illis annis, qvi milleſimum ſeqvuntur, unqvam in illud feſtum incidit, præterqvam anno ſalutis MXIV. Hic itaque Sigurdum Comitem, unà cum Briane, rebus exemit humanis. Qvod qvidem pro aſſertione noſtratium, qvi mortem Sveni Regis ad annum MIX applicant, valdè pugnat: nam anno MXII, qvi iis tertius à morte Sveni eſt, Comiti miniſteria præſtare poterat Gunnlaugus, nec tamen ultra annum ſeqventem, nempe MXIII: nam auctumno illinc diſceſſit. Vere autem ſeqventi, dum Gunnlaugus in Norvegiâ eſſet, Sigurdus cæſus eſt, qvi annus erat circuli Solaris decimus qvintus, lunaris octavus, inſignitus literâ Dominicali C. His ad amuſſim conſentit *Waræus*, (qvi poſtqvam hæc ſcripſi, ad manus meas pervenit) Antiqvitatum *Hibernicarum Cap: XXIV. pag: 136.* cujus verba hic inferre non pigebit.

Sub initium (inqvit) *anni MXIV vel paullo ante Brienus Borou Rex, cum plurimis Hiberniæ Regulis egit, ut conjunctis viribus, Sitricum omneſq; Oſtmannos Dublinii, utpote publicos regni hoſtes, ex Hiberniâ expellere conarentur. Sitricus contra, certior factus, qvid Brienus moliebatur, nullum non movit lapidem, ut ſe ſuoſq; propugnaret. Pace igitur (ut antea diximus) cum Malmurrio Murchardi filio, Rege Lageniæ factâ, ſuppetias tam ab eo, qvàm à Danis ſive Norvegis, qvi Manniam & Hebrides (Hibernis Inchagall) incolebant, obtinuit. Magnis copiis ſic utrinqve coactis, concurritur tandem Clontarfæ, prope Dublinium, Aprilis XXIII, ubi poſt longam acerrimamq; pugnam, victoria (ſic pleriqve habent) ceſſit Brieno, qvi tamen ex vulnere, qvod in prælio acceperat mortifero, mox exſpiravit. Sunt contra, qvi aſſerunt, Danos ſive Oſtmannos, cum eorum acies nutare cæperit, Brieno occiſo, redintegratis viribus, in Hibernos irruiſſe, eosq; magnâ ſtrage profligâſſe. Qvi hanc ſententiam tenent addunt etiam Brieni temeritatem magno fuiſſe Danis commodo: Ille enim (ut fertur) auxilia, cum filio ejus Donato intra triduum ventura, non præſtolans, ne priorum actorum gloriam obſcurare videretur, cum hoſtibus congredi facile perſuaſus eſt: id qvod ſibi ſuiſq;*

poſtea

postea fuit exitio: In exercitu suo, Melachlinum porro habuit, tunc Midiæ, ante Hiberniæ Regem, qui in prælio ob priores injurias, alienati in eum animi indicia dedisse fertur. Cum Brieno ceciderunt, filius ejus Murchardus, & Murchhardi filius Tirdelvacus, magnus etiam procerum numerus, & cæterorum 7000. vel ut aliqui habent 11000 Ex Danis sive Ostmannis & Lagenienſibus, plurimi etiam perierunt: sed numerus incertus est. Inter eos primarii numerantur, Dubgallus Aulafi filius, Bruodarus classis Danicæ præfectus, qui Brienum occiderat, Mælmurrius Rex Lageniæ, Donaldus Dux Fortualensium, & alii, quos prætereo. Sunt qui tradunt cadavera Brieni, & filii ejus Murcardi, nec non Donati O Kelli, Doulani O-Hartegan, & Gille Barmedi, ad Killmainan, villam unico milliari à Dublinio distantem, juxta antiquam crucem lapideam ab Hibernis sepulta esse. Alii verò asserunt corpora Brieni & Murchardi filii Swordam (villa est ad 6. à Dublinio lapidem) delata, inde à Mælmurrio Eochæ filio, Archiepiscopo Armachano (quem Annales Hibernici S. Patricii Comorbanum appellant) clero comitante, Armacham deportata, in Ecclesiâ Cathedrali ibidem, cui benefactor fuerat Brienus, fuisse condita. Prælio finito Sitricus, cum Ostmannorum reliquiis Dublinium se recepit, ac Melachlinus, Rex Midiæ, à popularibus, Rex Maximus Hiberniæ denuo declaratus est.

Meminit etiam ejusdem libri *cap: IV pag: 28.* Taddæi filii Brianis, cujus filium Tirdelvacum, O-Brien Momoniæ Regem Kincoræ anno MLXXXVI aliis LXXXVII ætatis LXXVII diem suum obiisse tradit. Notandum hic Taddæum hunc nostris Tannium dialecto veteri Norvegicâ Britonibus etiam usitata usurpari d in n convertendo, sic pro madur, homo, pronunciamus man, pro Fidur nomen viri Finn, pro Mudur, qvod os denotat Munn, & id genus alia.

CAP: XII.

Comes Sigurdus qvatuor filios moriens reliqvit, qvorum nomina Sumarlidius, Einar distorto ore, Brusius, & ex nova conjuge Thorfinnus, tum qvinqvennis. Inter hos, de hæreditate paterna, exorta contentio, morte fratris Sumarlidii renascitur, componitur à Brusio. Ejus æqvitas, pietas in fratres, moderatio, damnosus cum fratre Einare contractus. Einaris ingenium, avaritia, pervicacia, gravamina in plebem. Thorkelis Nutritii intercessio, primô felix, mox ipsi plebiq; damnosa. Comitis Einaris clades. Ultio de Eyvindo Urarhorn, ejus descriptio. Comitis Einaris insidiæ. Thorkelis Nutritii fuga, reditus. Pacificatio inter Comites. Inter Comitem Einarem & Thorkelem Nutritium insidiæ occupatæ. Comitis cades. Thorkelis in Norvegiam fuga.

SEcundum mortem Sigurdi Comitis, filii illius adultiores Sumarlidius, Brusius, & Einar, Orcades & Hialtlandiam æqvis portionibus inter se dividebant, transmarinis provinciis, Caranesiâ & Sudurlandiâ Thorfinno fratrum minimo permissis: eum namque Avus maternus, Scotiæ Rex Melcolmus (nostris Melkolfus pronunciatur) Comitem creavit, earumq; ditionum possessionem confirmatione Regiâ, stabilivit. Cùm autem Rossiæ Moraviæ & Dalorum hic nulla mentio fiat, licet suspicari, Comitem Sigurdum, aut earum possessione, ante mortem, excidisse, aut, nominum confusione, huic Sigurdo à Scriptoribus attributa, qvæ priori Sigur-

do competebant. Thorfinno itaque tenello, tutores dati ſunt: ut autem primùm adolevit, haud obſcura avaritiæ ingeniiq; audacis, & animoſi, belloq; dediti, indicia prodidit. Diſſimilia ſingulis fratribus ingenia erant. Vaſto Einar alta ſemper ſpirabat, vultu truci, ſermone inſvavi, animo immiti, & ad bella magis qvam ſubditis expediret, propenio, adverſusq; pericula intrepido. Bruſius mitis qvietusq; & otii ſtudioſus, eloqvio facundus, manivetusq; & tractabilis. Sumarlidius ei per omnia ſimilis, natu qvidem maximus, ſed qvi omnium primus in fata, morbo ſolutus, imprölis conceſſit. Qvo mortuo, Thorfinnus inſularis paternæ ditionis trientem poſtulabat, tunc qvidem, cùm patri ſuccederetur, controverſum, jam verò fratris morte, ſine ullo dubio ſibi debitum. Obſtitit Einar, dictitans Caraneſiam & Sudurlandiam, qvas communis pater antea tenuit, trientem Orcadum excedere: æqvior Bruſius, plus ſe, qvam qvod jus ſibi addiceret, poſſeſſione complecti velle negans, ceſſit Thorfinno triente, qvem Sumarlidius poſſidebat. Qvem Einar, qvaſi derelictum, confeſtim occupat, armiq; detinet, atqve ita inſularis paterni imperii beſſem adeptus, potens diveſq; evaſit: nec tamen reditibus iſtis contentus, continuo, graviq; militum delectu, ad excurſiones piraticas, ſubditos fatigavit, & tantùm non opibus exhauſit: verùm haud ſemper felici ſucceſſu domum reditum eſt. Inde coloni, exhauriri facultates, filios periculis, absqve intermiſſione, hoſtiumq; telis objici, multos etiam abſumi, dolentes, neqvicqvam ad obſeratas aures, qverelas ſuas deferebant: nihil enim in conſcribenda, ad militiam nauticam, juventute, à priſtinâ conſvetudine vel omiſit, vel mutavit. Unde rerum omnium caritas, mox etiam fames ſecuta, eam inſulæ partem afflixit, qvæ imperio ejus paruit: abundabant autem, qvibus frater Bruſius, in conſervandis tum ſuis, tum etiam ſubditorum facultatibus, qvàm acquirendis, vir melior præfuit.

Inter Proceres Orcadenſes longè præſtantiſſimus Amundius habebatur: opibus enim, & dignatione, & prudentiâ, omnes inſulanos anteivit. Prædium Sandvicham in Hroſſeyæ (nunc Pomonæ) promontorio Hlaupandisneſia (vel Lopandisnes) incoluit: cui filius, pari indole & virtute, nomine Thorkell, juventutis inſularis facile princeps. Cùm nihil a ſolito rigore Comes Einar, in rapiendis, ad piraticæ uſum, ruſticorum liberis, remitteret, teſti tandem ſubditi, opem Amundii, inſtante vere, implorabant, obnixè orantes, ut preces ſuas, qvas penuria omnium rerum, durum illud neceſſitatis telum, expreſſerat, ad comitem deferre ne gravaretur, eumq; aptâ oratione edoceret, qvo in ſtatu civium res verſarentur. Qvibus ille moderatè respondit, intractabilem eſſe Comitem, nec civium qvantumvis æqvis precibus, mites unqvam aures præbuiſſe; ſibi qvidem in præſens amicum. Si tamen diſſenſio interveniret, eo tum ſe, tum illum ingenio eſſe, ut metus ſit ne tandem res ad periculum spectaret; ejus itaqve aures ejus, qvas mitigare non poſſet, nec odioſis qverelis fatigaturum. Deſperato patris auxilio, filium ſollicitabant, diu multumq; reluctantem: tandem exorarunt, ut petitis annueret. Nimis id præpropere promiſſum patri viſum eſt: ſed, qvod jam retractari non poſſet etiam cum periculo præſtandum. Proximo igitur conventu, à Comite indicto, Thorkell gravamina civium, ſimul etiam ſupplices preces expoſuit, fame macerari plebem, diſtractis qvi agros colant, fœnum ſecent, fabriles operas exerceant, piſcatu vel aucupio communem inopiam ſublevent, patriam, continuâ bellorum tempeſtate, civibus orbari, iis enim alendis onerari qvi ad operas omnes aut inutiles eſſent qvippe manibus aut pedibus truncati, aut aliqvo fœdo vulnere deformati, propriis etiam matribus faſtidioſi redeant, vel nimiâ licentiâ efferati, omnes labores detrectent. Qvibus benignè auditis reſponſum accepit, ſe interceſſioni ejus tantum daturum, ut cum ſex navium claſſem, hac æſtate expedire propoſuiſſet, jam tribus contentum ſe futurum dixerit: caveret tantùm, ne ſæpiùs hæc poſtulata iteraret. Magno verborum honore Comiti gratiæ à Thorkele, cum ingenti omnium aſſenſu, nec ei minores à plebe actæ ſunt.

Hac, tam parvâ, manu, eo tempore, contentus Comes, auctumno rediit, proximâ æſtate amiſſum, militum paucitate, lucrum, majore delectu reparaturus.

Duriſſimâ

Duriſſimâ igitur conqviſitione cùm, vere novo, claſſiarios cogeret, iterum Thorkell colonorum precibus victus, pro iis deprecabatur. Hac pertinaciâ majorem in modum offenſus Comes, gravamina, hac interpellatione, plebi ſe aucturum, non levaturum reſpondit, in tantumq́; creſcente irâ, excanduit, ut, vix ſui potens, publicè minaretur, proximo foro, alterum eorum haud ſalvum exceſſurum: atqve his dictis ſolvit conventum. Qvibus cognitis, Amundius filium periculo, iræq́; Comitis ſubducturus in Cataneſiam ablegavit, manſitq́;. longo tempore, apud Comitem Thorfinnum, eiq́; dum tener eſſet, edicationis officia præſtitit, Foſtri, id eſt Nutritius, proinde cognominatus. Complures alii præſtantiorum civium, ſævum Einaris imperium ſubterfugientes, aut in Norvegiam, aut aliàs regiones, plurimi tamem in Cataneſiam ad Thorfinnum, conceſſerunt. Is, poſtqvam adolevit, Legatos ad fratrem Einarem denuo miſit, trientem Orcadum poſtulatum. Qvod ubi negabatur, claſſem Cataneſiâ in inſulas direxit: nihilo Segnior Einar, armis eum prohibiturus, copias contrahit. Videns autem Bruſius, fratrum contentionem, publicam qvietem everſuram, ipſe qvoqve, qvantum ingenio ab omni certamine alieno, militem conſcribit ſeq́; paci conciliandæ medium interponit. Qvæ his conditionibus coaluit, ut Thorfinno triens inſularum cederet, nihil imminutâ poſſeſſione reliqvarum in Scotiâ provinciarum: Bruſius autem & Einar, diviſas ante ditionis partes in unum conferrent, Einari adminiſtratione, & tuendorum finium curâ commiſsâ, hac lege, ut qvi eorum diutiùs viveret, utramqve partem hereditate caperet. Inæqvalis & iniqvus mutuæ iſtius adoptionis contractus viſus eſt eò, qvòd Bruſio filius eſſet, Einari verò nullus, Id qvod ſic ad verbum ex autographo reddere placuit, cùm inde eliciatur, Orcades fuiſſe ex eorum feudorum genere, qvæ maſculina vocant, nec ad fœminas tranſeunt.

His peractis, Thorfinnus, ſuo triente Gubernatorum adminiſtrationi commiſſo, ipſe potiſſimùm in Cataneſia reſedit. Einar piraticis excurſionibus Scotiam, Hiberniam, & Bretlandiam, ſingulis æſtatibus, infeſtabat, non autem ſemper pari fortunâ. Congreſſus enim cum Konuſoguro (fortè Conochoro O-Melaghlin Rege Midiæ) Hiberniæ Rege, in Ulfreksfiordo, præter ingentem opum, hominum qvoqve tantam jacturam fecit, ut, plerisqve amiſſis, unicâ tantùm nave fugâ evaſerit. Qvam tamen cladem Norvegis, qvi cum Rege militabant, potiſſimùm imputabat. Qvorum Dux erat nobilis vir Eyvindus Urarhorn, Sancti Olafi Norvegiæ Regis ſatelles purpuratus, eiq́; intimâ amicitiâ, ob ingentia merita carus: nam & eum, cùm primò de Regno Norvegiæ cum Comite Sveno dimicaret, claſſe & militibus impensè juvit, & Qvæſtorem Regis Sveciæ Rojum Skialgium, cenſum è Norvegiæ provincia, Sveciæ vicinâ, exactum deferentem, cum triginta militibus oppreſſit, cenſumq́; reduxit, prætereaq́; pretioſas veſtes, carè in Ruſſia emptas, aliaq́; cimelia, à Præfecto Sveciæ Regis Thorgauto Skardio intercepta, vi & armis extorſit, ipſo cum ſociorum nauticorum plurimis interempto, in ultionem miniſtri Sancti Olafi, Gudlaugi Girſcii, qvem paullo ante exſpoliatum interemerat. Hic idem Eyvindus Urarhorn, ſeu Uricornu, ſeqvente æſtate, ex Hibernia in Norvegiam navigans, fluctuum ventorumq́; mutuas operas ſibi invicem præſtantium, ſævitiâ, à recto curſu abreptus, ad celebrem Orcadum portum, Aſmundarvogum, ubi Sigurdus Craſſus ab Olafo Tryggvino pridem captus erat, deflexit. Ibi eadem tempeſtate detentus, morabatur usqve, dum Comes Einar, inſtructâ claſſe, eum invaſit, captumq́; occidit, maximâ ſociorum parte dimiſsâ, qvi eodem auctumno in Norvegiam redeuntes, Regi necem Eyvindi retulerunt: qvam, licèt graviter ferret, verbis tamen temperavit, prout ſolebat, qvoties graviter læſum ſe ſentiebat.

Interea Thorkell Nutritius, in Orcades ad colligenda tributa Comiti Thorfinno debita miſſus, fit certior, Einarem ſibi imputâſſe, qvod Thorfinnum, ad extorqvendum ſibi trientem inſularum, inſtigâſſet, eoq́; nomine infenſum, opportunitatem, ſe de medio tollendi, anxiè qværere. Qvanta igitur potuit celeritate commiſſum ſibi negotium expedivit, & qvæ percepit, Thorfinno retulit. Adjecit præterea, ſi intra terras, Einaris imperio ſubjectas, aut vicinas illis provincias, morandum

randum eſſet, vel ſibi vel ei moriendum: remedium ergo diſcrimini vitandum fore, in remotioribus a poteſtate ejus terris, tutum exſilium. Probato conſilio, Thorfinnus ſvaſit, ut Norvegiam Olafumq; Regem peteret, Principum qvippe convictu aptum illum brevi tam manſvetum facilemq; Regem ſibi conciliaturum, imò, ubicunqve terrarum degeret, in magna exiſtimatione futurum. Paruit conſiliis Thorkeli, eodemq; auctumno ad Olafum profectus, comiter per integram hyemem excipiebatur, breviq; gratiam Regis tantam conſecutus eſt, ut ad ſecretiora conſilia adhiberetur: fuit enim rerum gerendarum mirè peritus. Interea de rebus Comitum ita coram Rege diſſeruit, ut facile, cùm de Einare parciùs loqveretur, in Thorfinnum pronior appareret. Itaqve appetente vere, Rex navi ad eum directâ, amicè illum ad ſe invitavit: nec Thorfinnus honorem à Rege ſibi exhibitum, oblatamq; ultro gratiam abnuit. Ad eum itaqve profectus, ſummo ſtudio excipitur, magnamq; æſtatis partem ibi moratus, ſub diſceſſum inſtructiſſimo myoparone donatur, qvi proinde ſeqventem ſe Thorkelem navigio, qvo in Norvegiam vectus erat, pariter remuneravit. Cùm ad Orcades rediiſſent, Comes Einar, collectis copiis, claſſiq; impoſitis, in ſtativis excubabat: Bruſius verò, ad utrumqve profectus, eos inter ſe reconciliavit. Receptus, eſt in gratiam Thorkel, cui confirmandæ, ſecuritatis caussâ convivia invicem exhibenda utriqve injungebantur. Primò Comes à Thorkele in prædio Sandvicha excipi debuit: hic, vice versâ, digredientem inde domum, ad id, qvod ipſe inſtruxerat, ſeqvi. Magnificè omnia, à Thorkele apparata, ingenti alacritate exhibebantur, nihilq; intermiſſum, qvod, ad Comitis honorem, facere poſſet: verùm triſtis ille & ſeverus, nullum exhilarati animi indicium præbebat. Hoc tenore totum convivii tempus procedebat. Qvo finito, Thorkell Comitem domum ſecuturus, moras de iuduſtria nectebat: præmiſit enim ſpeculatores, qvi vias explorarent: hi autem redeuntes, tribus diverſis locis, armatas cohortes, in inſidiis abditas, & procul dubio in caput ejus ornatas, retulerunt. Qvo cognito, neceſſarios ſuos, colonosq; undiq; evocatos, exſpectabat, prætextisq; aliis atqve aliis longioris moræ cauſſis, Comitem detinebat, qvi impatiens, tempus profectionis dilabi, excuſatione domeſticorum negotiorum eludebatur. Oblongum erat tricilinium, in brevioribus parietibus, binis ex adverſo foribus, ſibi invicem oppoſitis, interciſum; focus in pavimento ſtabat, Comite, in ſuperiore loco, ſedente; illum, focumq; intercurrens Thorkel, nunc per has, nunc illas aut intrabat, aut exibat: ad alias armata phalanx, vicinia excita, ſatellitibus Comitis inſciis, ſtabat. Cum noviſſimè ingrederetur, Islandus qvidam nomine Haldor eum comitatus, fores eas clauſit, ante qvas, Comitis milites in excubiis erant. Qværenti tandem Comiti, accinctus ne eſſet itineri, jam ſe paratum reſpondit, ſimulq, ſublatum gladium in caput ejus, ingenti ictu, dejecit: qvi cùm, è celſiore ſede, in vicinum focum præceps rueret, idem Islandus, cæteris negligentiæ increpatis, eum inde extractum juxta pulpitum collocavit. Egreſſus itaqve per alias, qvam intravit, fores Thorkell, à ſuo præſidio excipitur. Satellites Comitis, ubi eum mortuum deprehenperunt, ſubito caſu conſternati, animos ab ultione avertebant. Duce qvippe deſtituti, req; adeò inopinâ perculſi (omnia enim ſincerè ab utraqve parte, ſopitis inimicitiis, agi putabant) plurimi etiam inermes, pars Thorkeli amici, adverſus præparatas ad defenſionem vires, fortunamq; viri, eum ad meliora ſervaturam, ſi qvid tentâſſent, damnum profecto ſe cenſuros prævidebant: dilapſi itaqve Thorkeli nullo impedimento fuêre. Ille, nullâ interpoſitâ morâ, naves expedivit, inq; Norvegiam, poſt primas hyemis noctes, pervenit, ſtatimq; magnis itineribus, ad Olafum Regem profectus, benignè recipitur, gratior hoc facinore perpetrato, qvòd, cùm, occupatâ cæde, cui deſtinatus erat, ſe ipſum conſervâſſet, tum etiam hoſtem Regis, ſatellitisq; ejus percuſſorem, ſuſtulliſſet; manſitq; hac hyeme, apud eum.

Cap:

CAP: XIII.

Comite Einare caſo, inter fratres Bruſium, & Thorfinnum in ordine Comitum decimum qvintum, de triente inſularum, qvem is moriens reliqvit, controverſia oritur, altero vi contractus, altero jure hereditatis ſibi eum vindicante. Uterqve in Norvegiam ad Sanctum Olafum navigat, Bruſius in ſuas partes priùs ſollicitaturus, Thorfinnus conatus fratris impediturus: uterqve inſulas in feudum, beneficiò Regis, accipere, inq; clientelam concedere, hoc ſtatu eligunt. Thorkelem Nutritium Rex iis, ob fratris cædem infenſis, conciliat, qvi Comitem Thorfinnum, domum profectum, ſeqvitur, eiq; ſe per totam vitam addicit. Duæ inſularum partes Bruſio à Rege traduntur, tertia Thorfinno. Rege Scotiæ Melcolmo mortuo, ignotus Scotis Rex, Karl, vel Karolus, ſuccedit, qvi ex Cataneſiâ feudisq; Thorfinni tributa exigit, renitenteq; Thorfinno feudum Comiti Moddani concedit. Hinc bella inter illum & Moddanem, deinde cum ipſo Rege Thorfinno felicia, cæteris damnoſa, tandem etiam exitialia. Veritas ignotæ Scotis traditionis aſtruitur, & explicatur. Thorfinni magnificentia.

Secundùm eædem Einaris, Bruſius duos inſularis imperii trientes ſibi vindicabat, vi contractûs inter eos notiſſimi, qvo convenit, ut ſuperſtes in omnia defuncti bona ſuccederet. Thorfinnus pactum, legi inimicum, juri ſuo præjudicare poſſe negabat, cùm ad ſe, juſtâ hereditate excludendum, neutri eorum jus vel poteſtas fuerit: ideoq; partem dimidiam inſularum, ut Bruſius ſibi redderet, poſtulabat, ſed fruſtra in præſens: utramqve enim, eâ hyeme, (*Codex Flateyenſis* duas hyemes habet) detinebat. Iſti controverſiæ dirimendæ conventus indictus, ubi proceres ſe fruſtra interponebant: neqve enim Thorfinnus juri hereditario qvicqvam decedere, nec Bruſius contractui vim fieri paſſus eſt. At fortiori qvidem jure Thorfinnum nixum perpendenti conſtat, ſi ipſius conſenſus non intervenerat: qvia tamen Bruſius, dum litem inter fratres compoſuit, pacis & concordiæ reducendæ & ſtabiliendæ, cùm publicâ civium, tum privatâ ſuorum cauſsâ motus, ad iniqva pacta ſuo damno deſcendit, Thorfinnum qvoqve, qvi præſens interfuit, trientemq; controverſum, annitente, ſuoq; jure decedente Bruſio, vi illius pacti adeptus eſt, conſenſiſſe præſumptio eſt: Conſenſum autem hac occaſione, vel limitâſſe, non abhorret ab illius ingenio: dixerat enim Bruſium eâ indole eſſe, ut unico ſaltem triente contentus eſſe poſſet. Bruſius ad hæc reſpondit, cùm de paternâ hereditate controverteretur, triente ſe contentum fuiſſe, qvem etiam, nemine reqvirente, poſſideret, jam de hereditate fraterna, novis pactis firmatâ, qvæſtionem eſſe: ſe qvidem, qvantumvis fratri viribus imparem, jus tamen ſuum aliqva honeſtâ ratione tueri malle, qvàm eo, hoc ſtatu decedere. His dictis conventus ſolutus eſt. Videns autem potentiorem eſſe fratrem, qvàm ut vim ejus ſuſtinere poſſet, (nam præter populoſas Scotiæ provincias, qvæ illius juris erant, Avi etiam materni Scotiæ Regis auxiliis fruebatur) in Norvegiam trajecit, adducto ſecum filio Rognvaldo, tantùm decenni, jam tum qvidem domandis piratis adhibito (teſte

vitâ Thorgeiri Havardi Islandi, profligatæ aliàs audaciæ viri, qvi ei tunc temporis militabat, verſuq́; Thormodi Kolbrunis Poëtæ, Divi Olafi ſatellitis celeberrimi qvo popularem ſuum fratremq́; adoptivum Thorgeirem celebravit) profectusq́; ad Regem benignè exceptus eſt. Ut verò ſtatum controverſiæ inter ſe & fratrem Thorfinnum expoſuit, auxiliumq; Regis ad jus ſuum propugnandum, ſuâ viciſſim operâ, ſtudioq́; oblato, efflagitavit, reſpondit ita Olafus: Haraldum Pulchricomum omnia Orcadum allodia proprietatis jure acqviſiviſſe, qvæ deinde Comites in fide clientelari, nunqvam in proprietate, beneficio ejus tenuerint. Formula verò illa de Allodiis, qvorum mentionem Olafus injecit, ad verbum expreſſa in *Codice Flateyenſi*, ut & vetuſtiore alia membrana exſtat. Allodia autem ſingula, ſimul & ipſum feudum, hoc ſenſu comprehendi exiſtimo intelligiq́; ſupremum Regis, idq́; directum, dominium, utileq́; Vaſallorum ſeu Comitum, qvod reſpectu ſubvaſallorum directum, ſed immediati domini utile eſt. Nam ſi Rex agros, allodiaqve ſingula proprietatis, directi, ſcilicet dominii, jure tenuit, poterant tamen à civibus Comiti Einari de Ceſpite oppignerari, eo jure, qvô ipſi ea poſſederant, iisqve iterum à Comite Sigurdo Craſſo eodem tenore, vel etiam reſervatis qvibusdam juribus reſtitui. Ne verò qvicqvam, ad talium locorum notitiam pertinet, deſiderari poſſit, ab iis, qvi hujus feudi indolem ſubtilius excutere volunt, verbis codicum formulisqve iſtiusmodi religiosè mihi ubiqve inſiſtendum duxi. Sed ad rem, Rex jus ſuum poſtulatorumqve æqvitatem vel exinde liqvidò patere affirmat, qvòd exactus Regno Eiricus Blodoxius, deniqve filii ejus, Comites Orcadenſes in obſeqvio habuerint. Cùm verò agnatus meus (ait) Olafus Tryggvinus eò delatus eſt, juramentum fidei pater tuus Sigurdus ei præſtitit: atqvi ego in omnem hereditatem ejus ſucceſſi. Exigo itaqve, ut, ſolenni homagio præſtito, Clientem Vaſallumq́; meum te profitearis, atqve ita inſulas in feudum, in poſterum, meo beneficio accipias. Fac deniqve periculum, tibine, jam ipſo jure, fratre potiori, meum, an ei, Scotiæ Regis ſubſidium magis conducat. Hanc ſi conditionem averſaris, nos tamen nihilominus poſſeſſiones prædiaq́; qvæ majores noſtri agnatiq́; in tranſmarinis occidentis regionibus poſſiderunt, recuperare enitemur. Ingentem animo Comitis ſollicitudinem inopina Regis poſtulata incuſſerant. Ergo qvicqvid in utramqve partem, aut metus aut ſpes ſubjecerat, ſecreta æſtimatione penſans, tandem conciliantium ſententiam reqvirit, providè conjiciens, ſi ſubjiceret ſe Regi, imminutam fore libertatem, ſi verò ſubjectionem abnueret, planè amiſſam; hoc certè rerum ſuarum ſtatu, cùm in poteſtatem ejus reciderit: neqve enim eum, qvippe pertinaci ingenio Principem, cæptis deſtiturum prius, qvàm ea ad optatum decretumq́; finem perduxerit: parvi omnino penſurum, qvamcunqve fortunam ſibi fecerit. Itaqve qvamvis utraqve conditio plurimum acerbitatis haberet, Regi tamen ſe ſubmittere, cum univerſa ditione hereditariisqve provinciis omnibus, elegit, qvæ omnia & ſingula ejus poteſtati jurejurando permiſit, atqve ita in ejus clientelam tranſiit.

Ut verò Thorfinnus, fratrem in Norvegiam profectum, cognovit, ne qvid ſibi inde damni emergeret, proviſurus, ſtatuit & ipſe eò navigare. Incitabat tum priſtinæ Regis gratiæ magna fuducia, tum purpuratorum favor & ſtudium, ad cauſſæ ſuæ patrocinium propenſum, qvod, præſentiâ ſuâ, accendi, plures etiam in partes trahi poſſe minimè dubitabat. Iter itaqve ſummâ feſtinatione maturat, redditusq́; litori Norvegico, ad Regem celeriter properat, omnium, qvæ inter eum & Bruſium convenerant, ante adventum, ignarus: neqve enim in mentem venerat, Bruſium in clientelam Regis conceſſiſſe. Lætus adventu ejus Rex, tanqvam, de cœlo miſſo, munere, qvòd absqve ullo periculo, Diis qvaſi porrigentibus, ſibi poſterisq́; jus in inſulas aſſerere, easq́; ad regni obſeqvium revocare, iſtâ occaſione liceret. Ei itaqve qvæ inter ſe Bruſiumq́; acta eſſent, ſimul etiam argumenta, pro jure ſuo militantia, eodem ordine, qvo Bruſio, luculenter exponit, idem ab eo obſeqvium trientis, qvem teneret, deditione, pari juramento, exigens. Thorfinnus, ſubterfugia qværens, callidè ad ſingula poſtulata reſpondit, promeruiſſe Regem, ut ſi res cum hoſte eſſet, ei qvàm enixiſſimè auxiliaretur, ejus enim ſibi gratiam,

tiam, ingens ad utrumqve fortunam momentum: in clientelam autem concedere haud ſibi integrum, cùm, iſto obligationis genere, Scotorum Regi antea devinctus ſit. Cognitâ tergiverſatione, Rex, ſi ſubjectionem abnueret, alium inſulis ſe præfecturum minatus eſt: caveret autem ejus ſecuritati, jurando, ſe eum nullo modo infeſtaturum: qvod ſi in horum neutrum conſentire vellet, planum eſſe, conſilia perniciosa coqvi: cùm ergo ab eo ſibi metuendum ſit, nec ſe iniqvè facturum, ſi ſuæ ſecuritati qvàm optimè caveat. His auditis, Comes, tempus ad deliberandum, deq; tanta re, cum iis, qvi ſibi à conſiliis eſſent, conferendum poſtulat. Qvo impetrato, id in integri anni ſpatium extendi reqvirit; liberum interea reditum ad ſuos: domi enim præcipuam conſilii vim eſſe, ſe vero puerum ætate, tantis rebus decidendis imparem. Rex, ubi jam eſſet, ibi deliberare, deliberataq; concludere juſſit. Interea Thorkel, tunc aula Regis, per occultum nuncium Comitem monuit, ut temporis præſentis, qvàm præteriti, ubi eſſet, qvàm unde veniſſet; Norvegiæ qvàm Orcadum aut Cataneſiæ meminiſſe mallet: nec perſvaderet ſibi reditum, in patriam, ſui arbitrii futurum, ni ſe prius, omnemq; controverſiam, non ita pridem unà cum ipſo in Regis poteſtatem, à fortunâ translatum, arbitrio ejus permitteret. Durum videbatur, patrimonium in Regem tranſcribere, durius etiam ſacramento confirmare, qvietam ejus poſſeſſionem illis futuram, ad qvos nullo ſangvinis jure pertineret: præſentis tamen neceſſitatis, conſiliiq; Thorkelis ratione habitâ exemplo fratris, in clientelam fidemq; Regis, ſe cum triente inſularum dedit. Ingeniorum diſcrimen in fratribus Regi ſtatim obſervatum. Altum Thorfinnus ſapiebat, ideoq; poſt deditionem ad reliqva facilis, cùm nullas conditiones à Rege propoſitas abnueret, ſuſpectum ſe de promiſſis majori levitate reſcindendis, juramentoq; per occaſionem violando reddit: qvippe potentiâ fiduciaq; Scotiæ Regis inflatus, facile ſe extortum vi patrimonium, recuperaturum ſperavit. Bruſius moderatus, ſuisq; contentus uti alienis non inhiabat, ita nec ſuis privari volebat: tardè igitur & providè in cæteris conſenſit: unde maiorem conſtantiæ & perſeverantiæ fidem meruit, ut qvi ſegnis ad pacta facienda, ſegnior etiam ad rumpenda videretur futurus. His ita conſtitutis, Rex freqventem conventum indixit, qvò etiam Comites, ambo vocati, convenerunt, ubi populum his verbis affatus eſt. Eo fine convocavi vos, Cives, ut, qvæ inter me & Comites Orcadenſes convenerunt, cognoſceretis: Orcades enim & Hialtlandiam, mei juris provincias, ſeq; meos Vaſallos agnoſcunt, & in poſterum profitentur; id qvod jure jurando ſtabiliverunt: itaqve feudi jure, qvantum ſinguli antea habuerunt, iis proinde permitto, nempe ſuum cuiqve trientem: ſed reſiduum eum, qvi comitis Einaris fuerat, mihi adjudico, in multam ſcilicet cædis ſatellitis mei unicè dilecti, Eyvindi Urarhorn, qvem is occiderat cui qvem præficiam ipſe providebo. Volo autem Comites mei, vobis reconciliatum Thorkelem me arbitro, ſi vobis ita placet. In hoc, perinde ut alia fides ab iis ſine morâ data Spoſpondit & Thorkell ſe judicio Regis ſiſti, nec plura illo in foro acta ſunt. Rex Comitem Einarem tribus ſatrapis ſeu Baronibus æqvabat, indictamq; Thorkeli multam triente minuit, qvòd à Comite, inſidias ſibi ſtruente, ad vim præviſam propulſandam provocatus, eò vel invitus proceſſiſſet: reſiduum Comitibus in ſatisfactionem adjudicatum. Rebus ita compoſitis, Thorfinnus diſcedendi poteſtatem poſtulavit, qvâ impetratâ, ſummâ feſtinatione reditum maturat. Omnibus paratis, cum in navi, qvodam die, potaret, ex improviſo, Thorkell ad genua ejus procidens, gremio caput, arbitrio ejus commiſſum affirmans, impoſuit. Comes: qvî hoc, ait, lite jam, judicio Regis, decisâ. Juſſus ergo Thorkell ſurgere, cùm ſe erexiſſet: qvod Bruſium, inqvit, attinet, judicium Regis colam, tu verò, pro arbitrio, qvicqvid volueris, ſtatue: neqve enim me latet, invito te intra Orcades mihi neqvaqvam tutum, qvantacunqve poſſeſſionum mearum ſecuritate per Regem pactâ aut definitâ: itaqve ſi tibi ita cordi eſt, jurabo, me nunqvam illuc rediturum. Ad hæc Comes conticuit; poſt aliqvam deinde moram: qvandoqvidem, ait meum judicium Regio præfers, me jam in patriam proficiſcentem comitaberis, manebisq; apud me, qvamdiu voluero, nec abſqve venia diſcedes. ad

imperium meum defendendum, aliaq; negotia meo nomine peragenda, qvoad vixerimus, obſtrictus. De pecuniaria multa poſtea ſtatuam. Thorkell ſe in poteſtate ejus, ſine exceptione, futurum pollicitus, ſponſione & juramento fidem obligavit, ſtatimq; eum, cum primùm licuit, diſcedentem comitatus. Hæc dies conſpectum Regis & Comitis, colloqviaq; in poſterum mutua, diremit.

Bruſius qvoqve ad profectionem ſe parabat, verùm lentè, ne, nimiâ feſtinatione, agendorum aut in uſus ſuos comparandorum qvicqvam negligeret. Prius autem, qvàm diſcederet, Rex eum advocatum ita affatus eſt. Cum imperium noſtrum ultra Oceanum extenſum, in tranſmarinis illis oris, fido cuſtode indigeat, te potiſſimum deligere placet: ne verò meâ clientelâ imminutus videaris, adjicio trienti tuo etiam meum, qvi Einaris antea fuerat. His viribus, auxilioq; meo, fratri Thorfinno ad inſulas defendendas, haud imparem te futurum animadverto: fidem, filio apud me relicto, oppignorabis. Grata erat Bruſio trientis controverſi acceſſio, qvi ſine ulteriore mora, relicto filio, amicè dimiſſus domum ſub auctumnum pervenit, liteq; victor duos ſibi trientes vindicavit. Thorfinnus uno in præſens, recentis juramenti reverentiâ, contentus, reſedit, uti conſvevit, in Cataneſia, Orcadum parte, miniſtrorum adminiſtrationi, commiſsâ, ſecurus piratarum & injuriæ, à civibus, direptionibus Danorum & Norvegorum, ſive dum prædatum in occidentales regiones, pergerent, ſive redirent, obnoxiis, propulſandæ, qvibus, utroqve tempore, promontoria de populari, boviumq; & ovium greges ad alimenta rapere, ſollenne erat. His compeſcendis, Bruſius omnes impenſas & pericula ſuſtinuit, fratre, ne pro ſua qvidem parte, qvicqvam conferente, cum tamen tributa omnia inde decerperet: cui hanc iniqvitatem qveſtus Bruſius, reſponſum accepit, ſi duas ſibi partes permitteret, ſolum ſe inſulas absqve ulla ejus impenſa defenſurum. Qvod, licèt non tam propere, tamen poſtqvam Knutus ille potens Daniæ Rex, poſſeſſione Norvegiæ Sanctum Olafum deturbâſſet, ita conveniſſe traditur. Nec longo poſt tempore, Scotiæ Rex Melcolfus exceſſit, (*Buchanano* Milcolumbus Secundus eſt, qvi obitum ejus in annum ſalutis MXXXIII. refert) nec ab hac relatione noſter auctor diſcrepat. Sanctus enim Olafus anno MXXX cæſus eſt: de ſucceſſore Melcolfi major exoritur controverſia. Donaldum ſeu Duncanum, ejus ex filia Beatrice, nupta homini nobili Crino, inſularum Occidentalium Thano & reliqvorum Thanorum præfecto, Nepotem, *Buchananus* ei ſucceſſiſſe perhibet (qvi *Mariano Scoto* Donchad, *Simoni Dunelmenſi* Machethad, utriqve ad annum ſeqventem, in qvem Melcolfi obitum referunt) nec Thorfinni qvi tertius nepos erat, uſqvam meminit. Noſtri Scriptores, Karl vel Karolum qvendam Hundii filium, ei in regnum, regio etiam titulo ſurrogatum, tradunt, de qvo ſeqventia adjiciunt, nimirum, qvod è Cataneſia ac aliis regni provinciis tributa exegerit: Thorfinnum verò, & avi materni beneficio commiſſum ſibi feudum, & tantæ hereditatis exiguam portionem, ſibi neqvaqvam adimendam, nec gravaminibus onerandam, urſiſſe, neqve ad novas conditiones deſcendere voluiſſe. Hinc bellum exortum: nam Carolus filium ſororis ſuæ Moddanem (aliud exemplar Mutatanem ſeu Mutanem nominat) Comitem creavit, Cataneſiæq; præfecit, qvi in Sudurlandiam (forſitan Thorfinni imperium tunc temporis averſatam) infuſus, magnas ibi copias comparavit. Qvibus, per exploratores, cognitis, Thorfinnus è Cataneſiâ habito delectu, haud contemnendam manum collegit: cui cùm ſe Thorkell Nutritius cum magnis copiis ex Orcadibus adveniens, conjunxiſſet, Moddani haud impar videbatur. Itaqve Scoti, vires ejus veriti, in interiora ſuæ regionis ſe recipientes, copias ſupplementis augent. Nec Thorfinnus interea ſibi deficiebat: multas enim Scotiæ provincias populatus, Sudurlandiam etiam & Roſſiam ſibi ſubjecit: inde in Cataneſiam revertens, Dungalsbæis, cum magna copiarum parte, qvinqve etiam inſtructis navibus ſubſiſtit, Thorkele cum reliqva manu in inſulas remiſſo. Moddan deinde, ad Karolum, Regem profectus, injurias à Thorfinno damnumq; illatum qveſtus, majorem in modum eum accendebat, admodum indignè ferentem, provinciarum direptionem, aliarumq; inſuper jacturam. Itaqve, Moddane cum haud exiguo exercitu, terreſtri itinere per

mediter-

mediterranea in Catanesiam missō, ipse undecim navium classe, delecto milite instructâ, eò etiam tendit, dieq; constituto, cum Comite se in Catanesia conjungit, Thorsinno, angustiis inter utriusqve copias incluso exitum præclusurus. Qvi adventu Regis cognito, copiis navibus impositis sinum Picticum transmissurus Orcades petit. Sed Rege, numero navium multumq; freto, acriùs insequente, remis velisq; qvàm citissimè poterat, præsenti se periculo exempturus, Sandvikam tendens, ad promontorium Dyrnesiam, orientem versus, classem applicat, missisq; ad Thorkelem nunciis jubet, ut copias, qvantâ posset celeritate, colligeret, Brusio interea in parte insularum septemtrionali, qvam tenuit, remanente, nec ad tantos se tumultus movente. Adulto vespere in promontorium appulsus, noctem ibi exegit, incertus, qvanto spacio Regem post se reliqverit, qvi summo mane exortus, undecim istis navibus in improvisum Comitem invehitur. Is viribus impar, cum in tanta celeritate frustra se auxilia exspectaturum prævideret, paullulum dubitat, an, permissâ hosti classe, cum universa præda commeatuq, & qvæcunq; veheret, ipse cum sociis terrâ saluti suæ consuleret, an tantillâ manu, naviumq; numero longè minore dimicaret, qvarum qvinqve rostra adversus undecim in hostes essent convertenda. Vicit periculum pudor deserendæ classis, spes qvoqve à conscià virtute mutuata: Concinna itaqve, & brevi, oratione, militibus ad arma inflammatis, remis concitari naves, magnoq; impetu in hostem dirigi jubet, qvo, primâ coitione turbati, animos despondeant: primo enim metu perculsos, haud subito se collecturos. Nec segniùs, qvam jussi, remos expediunt, hostes invadunt, naves vinculis inter se connectunt, tantoq; ardore se inferunt, propugnatoribus Regiæ navis plurimis, qvi in anteriore parte rem gerebant, occisis, reliqvi vulneribus laboribusq; fessi, in mediam navem trepidi retro confluerent. Thorfinnus instandum fortunæ ratus, è puppi suæ navis in proram prosiliens, forti exemplo milites ad rem strenuè gerendam accendit, inqve regiam navem, acie rarescente, magnam partem milite exinanitam, transgressurus, sequi se classiarios clarâ voce jubet. Rex inopino, sed evidenti periculo, perculsus, protinus fugiturus catenas incidi mandat: id verò impediturus Comes, asseribus ferro præfixis, harpagones vocant, injectis, prælato signo, ipse suos præcedens agmineq, irrumpens, tantum Regi metum incussit, ut momento, cum paucis iis, qvi reliqvi erant, in proximam transiliens, trepidâ fugâ citato remigio altum peteret. Comes fugientes diu multumq; sed frustra, persecutus, ubi metum iis ad elabendum, fortiores vires, qvàm spem suis, qvantumvis in prædam accensis, ad insistendum suppeditare animadvertit, ad Orcades cursum reflexit. Ibi Thorkele cum numeroso milite obvio, iterum Regem, in sinum usqve Scotiæ Breidafiordum, qvò fugâ elapsus novo delectu bellum reparavit, persecutus est, orasq; Scotiæ, qveis primum advectus est, populatus, fit certior, Comitem Moddanem in Oppido Catanesiæ Thorsa, cum magnis copiis subsistere, auxiliaq; ex Hibernia, ubi familiæ ejus, necessitudinumq; pars satis potens, exspectare. Eò Thorkel cum parte copiarum missus, Comite in castris remanente, vicinaq; territoria vastante, magnis itineribus, & per Catanesiam tutis, profectus, (tantâ enim omnium Provinciæ istius incolarum tamq; eximia caritate diligebatur, ut nemo de adventu ejus Moddanem certiorem faceret) cùm, de nocte, Thorsa perveniret, faces ædibus, ubi Comes acqvievit, admovit, qvi ad periculum attonitus, è superiore ædium parte desiliens, gladio Thorkelis obtruncatur: reliqvi aut occisi, aut fugâ dilapsi, pars etiam deditione in fidem recepta. His peractis, celeriter in sinum Breidafiordum, auctus etiam è Catanesia milite rediens, novisq; copiis è Sudurlandia & Rossia collectis, ad Comitem in Moravia (prope Moraviam fragmenta habent) pervenit, ibiq; aliqvantisper morati sunt. Interea Carolus Rex, ex australibus, orientem occidentemq; interjectis, exercitum cum confluentibus ex Hibernia à Moddane præparatis auxiliis, præter ea, qvæ Principes provinciarum suppeditabant, adversus Thorfinnum ipse, se duce, dirigit. In promontorio Thorsnesia, qvod ab austro sinum Bæfiordum (Breidafiordum habent fragmenta) respicit, concursum est, Scotis numero prævalentibus. In prima acie Thorfinnus ante signa dimicans, inauratâ ga-

leâ insignis, amictus gladio, hastâ punctim cæsimq; hostem ambabus manibus ferit, primoq; in Hibernos tanto ardore invectus, ut compulsi retro, desertis ordinibus, nunqvam deinceps restitui possent. Nihilo segnius Rex, pugnandi artificiô, utraqve manu feriens inter primos atqve confertissimos procurrendo, suis undiqve laborantibus succurrebat, illatisq; in aciem Comitis signis, dubio Marte diu pariter certatum est, donec, Thorfinno acrius invecto, Scoti inter spem & desperationem hæsitantes sensim pedem retulerunt. Laxati deinde ordines, mox hoste in interiora recepto, dissipati: trepidatio inde, fugaq; etiam Regem inter palantes abripuisse perhibetur: alii cæsum referunt. Thorfinnus, occasione vincendi strenuè usus, cum suis se sequentibus eò vehementiùs & ferociùs fugientibus instare, sparsosq; & effusa fugâ incompositos, crebris ac gravibus ictibus prosternere haud omisit. Vastatis deinde agris, mox diffusiore populatione longiùs Comes provectus, magnam Scotiæ partem subigebat. Usqve Fifam (qvam etiam intrâsse fragmenta testantur), Thorkele cum parte copiarum aliò misso. Istam occasionem Scoti sibi haud incommodam rati, parte exercitûs nudatum, etiam illi, qvi nuper in obsequium juraverant, defectionem molientes, contractis copiis aggrediuntur. Revocatis igitur, qvos dimiserat, perfidiam ulturus in eos movet, subitoq; terrore omissis defensionis consiliis, perculsos, per loca deserta, saltus & silvas, aviaq;, latebras qværentes, aliqvanti per persecutus est, & ne defectio impunita, alios ad idem faciendum invitaret, agros omnes ejus provinciæ, qvam fugâ dispersi latibulis destinârant, incendit; nec villa qvidem ea tempestate intacta remansit; qvicqvid virilis sexûs ætate maturâ obvium erat, occisum; feminæ senesq; gregum more acti, cum lacrimis & gemitu in deserta fugiebant. Retrogressus deinde in aqvilonem, ad classem, provincias, qvas transibat, ad obsequium adegit, delatusq; in Catanesiam, ibi pro more hibernabat, singulis æstatibus, ingenti exercitu, ad expeditiones piraticas adhibito. Hæc licèt à Scotorum Scriptoribus magnopere dissentiant, qvi hunc Karolum è Regum suorum indice penitus, inter qvos his temporibus proximus, *Marianus Scotus*, expungunt, nituntur tamen auctoritate *Arnoris Islandi*, Thordi filii, Comitum Pöetæ appellati, patriâ lingvâ *Jarlaskallð*, qvi Thorfinni Comitis Aulicus purpuratus Pöetaq; fuit, & qvidem tanto honore cultus, ut è regione solii comitis accumberet, loco, ei soli competente, qvi Aulicorum primas teneret. Hic, cùm bello, qvod hic describitur, ipse interfuisset, non potuit non delirare, si Regem à Duce aliqvo distingvere nescivit: eumq; hæc carmina (exstant autem sex) præsente ipso Comite composuerit, publiceq; cecinerit, certè nec Comes, aut ullus, militumq; sanior fuisset, si aut ignorassent, cum qvo congressi fuerant, aut ipsum falsa, risumq; omnibus moventia, componere permisissent. Verùm, cum eorum, qvæ hucusqve de Thorsteino Rufo, Rege Biola, Comitibusq; qvi ante Thorfinnum vixerunt, memoravi, nihil Scriptoribus Scoticis innotuerit, qvæ tamen ad Scoticam historiam valde pertineant, qvis defectum historiæ Scoticæ non animadvertit? Hæc enim conficta nemo sanus dixerit: nam & hac eadem historiâ continentur qvædam, qvæ Buchananus etiam notavit, ut in processu operis planum fiet. In membrana autem longè ante Calcographiam inventam, vetustissimo charactere, vetustioribus etiam fragmentis, hæc verbotenus scripta sunt. Si utiqve illa vera, qvis hæc falsitatis convincet. Defectum historiæ Anglicæ *Gvilielmus Malmesburiensis*, his verbis qveritur, ubi de Venerabili *Beda* loqvitur. *Sepulta est* (inqvit) *cum eo rerum gestarum omnis penè notitia, usqve ad nostra tempora: cùm enim pigro, semper succederet pigrior, multo tempore, in tota insula, studiorum decepuit fervor.* Vixit autem Gviliemus Malmesburiensis anno Christi MCXXVI, & seqq. penè centum annis post Melcolfum Secundum. Invasisse regnum videtur hic Karolus, paucisq; mensibus tenuisse, ideoq; inter Reges non numeratus, aut etiam in Scotiâ, illis temporibus, plures simul regnabant, singuli jure tituloq; Regis; id qvod ex Legatorum Knuti Magni ad Sanctum Olafum colloqviis cum Poëta ejus & Stallario Sigvato constat. Neminem enim Principum, tantum in eum deliqvisse memorant, qvin eo adito supplicibus factis venia patuerit: expertos id nuper duos

duos Septemtrionalis Scotiæ provinciæ Fifæ Reges, qvibus non modò venia data, sed etiam ditiones permissæ, ingentia præterea munera. Idem *Bromton Abbas Jornalensis* confirmat his verbis: *Eodem anno Canutus Rex, Româ rediens, Malcolmum Regem Scotiæ sibi rebellantem, sicut & prius fuerat, subjecit, ac alios duos Reges Melbeache, & Jermare in deditionem recepit.* Notat consvetudinem Scriptorum Hiberniæ *Jacobus Waræus Antiqvitatum Hibernicarum Cap: IV.* his verbis. *Cæterum* (inqvit) *in serie, qvam hic exhibemus, ne qvis deesse putet Reges aliqvot Hiberniæ, de qvibus fit mentio apud Scriptores, notandum Regulos sive Reges provinciæ alicujus, vel particularis regionis, in Hibernia, apud eos, aliqvando Reges Hiberniæ falsò dictos.* multaq; exemple producit Hæc ad annum Christi MXXXIII aut seqventem referenda videntur. Insignis de hac re locus extat apud *Thomam Dempsterum in Apparatu ad Historiam Scoticam, lib:, 2 Cap: 16 p: 89.* In limine libri, ubi prolixè de monstrat multos Reges Scoticos, à Scriptoribus omissos, multos etiam insertos qvi non reges sed Regum filii erant, qvam etiam consvetudinem in aliis qvoq; regnis obtinuisse, multis gravibusqve argumentis exemplisq; tam ex Romanis, qvam aliarum gentium Historicis, Poetisq; fusè probat.

His opum incrementis Thorfinnus magnificentiam, non modò antecessoribus suis, sed etiam aliis Principibus, imò Regibus inusitatam adjecit. Illi namqve Aulicos suos Proceresq; per universum festi Julii tempus, conviviis excipere, suisq; eos impensis alere contenti: hic verò integram hyemem, omnibus ac singulis satellitibus, proceribusq; cibum cervisiamq; liberaliter præbuit, ut ad publicas tabernas accedere nulli opus esset.

His temporibus Norvegis, Danis, & Anglis Knuto Potente imperante, Brusius debitum naturæ solvit itaqve Thorfinnus universas insulas, nemine resistente, sibi vindicavit.

CAP: XIV.

Comes Rognvaldus, in numero Comitum decimus sextus, à patre Brusio, Sancto Olafo obses datus, in aula ejus educatur, optimisq; disciplinis imbutus, exitiali Regi pugnæ interfuit. Vulneratus, fratrem Regis Haraldum, valde saucium, in fugæ societatem receptum, sanandum curat, secumq; in Russiam ducit. Ibi limitum custodiæ præfectus, cum filio Sancti Olafi Magno, in regnum revocato, Norvegiam petit, Comesq; Orcadum factus, bessem insularum datum sibi in feudum à Rege, patruo Thorfinno reddente, accipit, eumq; contra hostes suos seqvitur, victoriasq; participat, ubiqve magno successu. Tandem, patruo trientem insularum repetente, cum cives hinc inde nutarent, in Norvegiam navigat, auxiliaq; à Rege magno impetrat. Bello superior & prope victor, à Kalfo Arnino, Thorfinno se jungente, invaditur, suosq; fugientes secutus, iterum Norvegiam petit. Unicâ navi Orcades delatus, improvisusq; superveniens, patrui aulæ faces subdit, atqve universâ hac exustâ,

uſtâ, omne patrui imperium unico edicto ſibi ſubdit: ſed patruus, qvi cum uxore evaſerat, iterum rediens, par pari refert. Rognvaldus elapſus, à perſeqventibus comprehenſus, capite truncatur.

Interea Rognvaldus, Bruſii filius, in Ruſſiâ magnas res geſſit. Primò, Divo Olafo, à patre, qvo fidem ſuam oppigneraret, obſes datus, iis artibus eruditus eſt, qvibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur: omnia enim in illo præclara, ſive animi dotes, ſive formæ decus ſive corporis vires ſpectarentur, nihil mediocre pollicebatur. Longo ſic tempore apud Regem educatus, in aula adolevit, teſte Poëtâ, *Ottare Nigro*, cujus de eo carmen ſupereſt. Noviſſimè Regem exſulantem in Ruſſiam, redeuntemq; in Norvegiam ſecutus, bello Stiklaſtadenſi, Regi exitiali, interfuit. Magnâ deinde, ob fortem fidelemq; operam, iſto periculo navatam, gloriâ, poſtea qvoqve in ſobolem, ejus invictâ, rebus qvantumvis dubiis, conſtantia celebris. Imminente bello, ſomnus Regem altior complexus, cum ad incurſum usqve hoſtium detineret, Finnus Arninus Procerum maximus, uniceq; carus, eum excitavit: increpatus, qvòd amænum ſomnium interpellaſſet, illud ſibi exponi poſtulavit. Cognito, per ſcalas à terra in cœlum pertingentes, tranſcendere ſibi viſum, perveniſſeq, ad ſupremum gradum, cùm excitatus fuerat, haud pariter ſibi atqve ipſi lætam viſionem præfatus Finnus, inſtans ei fatum, ſi præter ſomniantis vanas imagines qvicqvam portenderet, conjectabat. Eodem tempore lectas è tubere baccas, in volam cum infunderet Rex, excepit Rognvaldus dictum, qvod exercitui voluit, baccis ab eo applicatum, notatoq; errore, lingvæ lapſum ſignificavit, tum Rex: ita eſt, inqvit, agnoſco lingvæ errorem, tu autem memento, cum ſimilis tibi lapſus obrepſerit nec tibi vitam deinceps diuturnam ſperandam. Illo prælio Rex occumbens, poſt mortem Indigetum collegio inſertus, innocentiæ ſanctitatisq; ſuæ tanta argumenta, Numine plenus, edidiſſe dicitur, ut non è Norvegia ſaltem, ſed totâ etiam Europâ confluxus, patrocinium ejus implorantium, donariaq; ferentium, ingens fieret. Baſilicæ hinc innumeræ, inter qvas una in ipſa imperiali urbe Conſtantinopoli, alia in Hiſpania ejus nomini conſecratæ ſunt. Omnes præſtat, qvæ Nidaroſiæ exſtitit, cujus magnificentia niſi hodie ipſa rudera prædicarent fidem excederet. Illo prælio ſaucius Rognvaldus, inter fugientes evaſit, aſſumpto ſecum fratre Regis Haraldo. Secundum *Codicem Flateyenſem*, octodecim, *ſecundum Chronica* verò, qvindecim annorum adoleſcente, & ipſo graviter vulnerato, qvem apud Ruſticum pauperem ſanandum reliqvit, ignarum qvinam eſſet. Ipſe, tranſito monte Kiolo, in Jamptiam, inde in Sveciam ad Regem Aunundum profectus, inibi commorabatur. Haraldus nomine, genereq; diſſimulato, ut primùm ſanatus eſt, uno tantùm itineris Comite, Ruſtici filio viâ abditâ, per ſolitudines & inculta in Jamptiam pervenit. Inde, occultis itineribus, Helſingiæ deſerta permenſus, in palude qvadam, dimmiſſo comite, verſum fecit, qvo ſe præſentis ſtatus miſeriam meliore fortunâ qvandoqve permutaturum, ſolatus eſt. In Sveciam delatus, unà cum Rognvaldo, reliqvias exercitus, qvi Divum Olafum ſecutus eſt, in Ruſſiam urbemq; Regiam Holmgardum deportavit, intimâ caritate à Rege Jarisleifo in gratiam Divi Olafi, cujus uxoris ſororem, ipſe duxerat, excepti, limitum regni cuſtodes, unà cum Eylifo Aldeiguburgi, Comitis Rognvaldi è ſorore Regis Olafi Tryggvini filio, conſtituebantur. Rognvaldus is Veſtrogotiæ primum Comes Olafi Sveciæ Regis, Aunundi patris amitinus fuit, qvem, qvòd, invito Rege Olafo filiam ejus Aſtridem Olafo Sancto in uxorem tradidiſſet, ſoror Aſtridis Ingibiorg Ruſſiæ Regis Jarisleifi uxor, deſponſata prius Divo Olafo, cum pacta illa pater reſcidiſſet, iræ illius ſubduxit, Aldeigoburgiqve Comitem in Ruſſiâ conſtituit, (uti id fuſiùs & ex profeſſo in hiſtoria Sancti Olafi expoſitum eſt). E Ruſſiâ deinde profectus Haraldus, Conſtantinopolim ſe contulit, meruitq;

meruitq; ſub Imperatoribus Græcis, multos per annos, tandemq; ſupremus militiæ Dux conſtitutus, tantas res geſſit, ut exinde rediens in Norvegiam ibi qvoqve geſtis terribilis, ſeptemtrionis fulmen meritò fuerit apellatus. Partem ejus vitæ illam, qvæ ad nos pervenit, rerum Norvegicarum hiſtoria repræſentat. Inter ea Rognvaldus Bruſii filius in Ruſſia remanſit, æſtivis temporibus in cuſtodiendis limitibus occupatus, hibernis verò Holmgardi, in aula Regis; decemq. in univerſum, dum iſto munere vacaret prælia geſſiſſe, *Arnoru* ſuperſtite verſu, memoratur.

Et jam Norvegos ſublati Regis pœnitere cæpit. Itaqve in Ruſſiam, ubi filius ejus Magnus, apud Regem Jarisleifum educabatur, rebellium antеſignanus Kalfus Arninus, idemq; inflicti Regi unius lethalis vulneris auctor, ſed ab eo priùs ad ſummam dignitatem potentiamq; evectus, cum Principe alio inſigni viro, nec cæde regiâ contacto Einare Thambarskelfere, ingenti comitatu profectus, Aldeiguburgum venit. Concitatior Rognvaldus Kalfum protinus occidiſſet, ni ab Einare edoctus, pœnitentiâ præteritorum ſtimulatum, ad arceſſendum in paternum Regnum filium Divi Olafi Magnum, civium Norvegorum nomine, eò profectum eſſe. Orare itaqve Rognvaldum, ut Holmgardum imperii ſedem eum ſecum deduceret, cauſſamq; eorum, tum etiam univerſi populi Norvegici, & in primis Magni Regis filii, cujus maximè intereſſet in paternum regnum reſtitui, promovere, apud Regem Jarisleifum Reginamq; dignaretur. Pertæſam enim univerſam gentem imperioſum fœminæ Alfivæ Regnum, ſub umbra adoleſcentis Sveni, Knuti Magni, ſuiqve filii, res civium pro libitu verſantis. Hoc itineris ſcopo mitigatus Rognvaldus, cùm primùm per nuncios fide publicâ literas à Rege impetrâſſent, qvibus ſecuritati Legatorum cautum erat, itineris ſe ſocium addidit, eorùmq; poſtulatis Reginæ primo, deinde ipſi Regi commendatis, illam in partes Norvegorum traxit. Difficilior Rex, fidem Normannorum, poſt editum in Patrem pupilli ſcelus, proditionis ſuſpectans, ne tamen eum regno civiumq; ſtudiis fruſtraretur, duodecim præſentium Norvegiæ procerum fidem, omnia ſincerè agi, ſacramento interponi placuit. Soli Rognvaldo ſacramentum remiſſum, fidei & ſtudii, in Regem Regiamq; familiam perſpectiſſimi intuitu. Kalfus Pupilli tutor conſtitutus, in obſeqvium ejus juravit, ſacramento, qvo Regem, ſive intra regni fines ſive extra, aſſiduè ſeqvi, omnemq; operam ad regnum ei ſtabiliendum, augendumq; impendere, tenebatur. His peractis Magnum proceres Norvegorum, omnium ordinum voce, cùm Regem renunciâſſent, homagio præſtito, in ſatellitium ejus aſcripti. Holmgardi deinde feſtum Jolenſe transactum, mox Aldeiguburgum itum, ubi naves præparatæ. Inde, diluta glacie hibernâ, primâ navigatione in Sveciam iter directum, ubi validæ copiæ ſtudiis potiſſimùm Novercæ contractæ, ipſa deinde comitante, in Jamptiam, transmiſſo; monte Kiolo, in Veradalum expeditio facta, tandemq; in Thranheimum deſcenſum. Ibi omnium ordinum accurſu ſtudiisq; novus Princeps, alacritate maximâ, excipitur, ſingulis, novis meritis, admiſſum in patrem ſcelus eluere certantibus. Mox Nidaroſiâ deductus in publico Eyratingenſi foro, univerſæ Norvegiæ Rex ab omnibus proclamatur, anno ſalutis MXXXV. Nec multo poſt, Svenus Knuti Magni filius, deſtitutus Norvegorum ſtudiis, regno exceſſit. Rognvaldus autem Bruſius, ſimul in Norvegiam redit, de obitu patris certior, atqve inſuper cognoſcit, omnes inſulas Patruo Thorfinno occupatis, in ejus poſſeſſionem tranſiiſſe. Cupidus itaqve patrimonii ſui inſpiciendi, veniam profectionis à Rege petit, qvi juſtâ cauſsâ motus, Comitis eum dignitate ornarum, donatis tribus longis navibus, à claſſiariis, commeatu, neceſſariisq; omnibus inſtructiſſimis, dato inſuper in feudum triente, qvem pater ejus beneficio Divi Olafi poſſidebat, benignè dimiſit, monens ut ad ſe, qvandocunqve placeret, rediret, auxilia, qvantis, & qvandocunqve indigeret, paratiſſima adepturus: atqve ita, mutuâ caritate ſe invicem complexi, diſceſſerunt. Rognvaldus Orcades rectà petens, paternis villis primò aliqvantiſper inſpectis, inde per Legatos à Patruo patrimonium ſuum, trientem Orcadum, partem qvoqve qvam Divus Olafus poſſidebat, qvippe datam ſibi in clientelam à Rege Magno, poſtulat. Ea tempeſtate Thorfinnus ſociis Hæbudenſibus mutuis

injuriis ſe invicem infeſtabant: ideoq; auxiliis ſibi opus eſſe ratus, reſpondit, trientem qvidem, qvem pater ejus habuit, ſe non obſtante, ei patere, reliqvum nullo jure poſtulari, metu qvippe à Sancto Olafo, cùm in ejus poteſtatem inciderint extortum: ad mutuam amicitiam inter ſe & Nepotem ſtabiliendam facere, ſi poſſeſſionem illius non urgeat, qvippe jam diu certati juris: Si tamen fidus ſibi amicus, prout ſangvinis jura exigunt, eſſe voluerit, auxiliisq; juvare, haud ſibi partes illas malè locatas videri, qvas animi exhilarandi cauſsâ teneat, ſe enim brevi auxilio ejus indigere, qvod pluris, qvàm cenſus, qvi inde pendatur, æſtimandum. His relatis, Rognvaldus, haud plus poſtulari, qvàm jure debeatur, reſpondit: verùm, cùm tam facilè poſtulatis, annuerit, ſe qvoqve amicum ei futurum, ſubſidiisq; qvantum poſſet, ſubventurum. Atqve ita, absqve controverſia, utramqve inſularum partem vindicavit. Vernante anno, Thorfinnus Rognvaldum per nuncios in expeditionis ſocietatem evocatum, certiorem facit, ut delectum undiqve militem, numero qvàm maximo, colligat. Qvi nihilo ſegniùs, qvæ petebantur, exſecutus, poſtqvam naves militesq; comparâſſet, ad patruum cum univerſis copiis proficiſcitur. Paratus & ille claſſe copiisq; advenientem alacriter excipit. In Hiberniam, Hæbudas, & ſinus Scoticos vis omnis translata: noviſſimum prælium in ſinu ab aqvis Vatzfiordo appellato geſtum, optatoq; eventu finitum, celebrante id *Arnore* Comitum Poëtâ, carmine, qvod adhuc ſupereſt. Inde in inſulas reditum, ibiq; hyems exacta, cùm cæteroqvin in Cataneſiâ, Gaddgedlis Thorfinnus plerumqve reſideret, urbisne an prædii neſcio, loci certè nomen eſt, inq; finibus Cataneſiæ qværendum. His ſtudiis aliqvot annorum ſpatio indultum, mutuâ dum ſimul eſſent concordiâ: ſed qvam calumniatores, ut fit, locum gratiæ ſibi præſtruentes, inter diſtractos labefactare conabantur. Interea, dum qvadam æſtate Scotiam & Hæbudas Thorfinnus popularetur, nec alimenta copiis ſuſtentandis ſuppeterent, qvod Hiberni armenta gregesq; longiùs avertiſſent, qvàm perſeqvi turò poſſet, miſſi in Angliam manipuli, qvibus indigebant, diripiunt. Angli celeriter ſe colligentes, prædones adorti, non prædâ eos tantùm nudarunt, ſed etiam ſtrenuiſſimo qvoqve occiſo, imbecilliores, cladis reliqvias, teſtesq; ad Thorfinnum mittunt, cum magna verborum inſultatione, audaciam ei & temeritatem exprobrantes. Qvo audito; malè qvidem ſe ſuorum calamitates habere reſpondit, qvas tamen emendare non poſſet, at inſultationes, licèt in præſens, non tamen in longinqvum impunitas fore, eodemq; auctumno copias domum reduxit. Initio veris è Cataneſia, Hibernia, variisq; Scotiæ provinciis & omnibus inſulis Hæbudenſibus, Orcadibus inſuper, ingenti exercitu contracto, Rognvaldum qvoqve cum manu, qvantâ poſſet, maximâ claſſeq; in auxilium excivit. His in Angliam directis, obvia qvoqve vaſtare, cædere prædasq; abigere cœpit. Imperabat tum Angliæ *Hordaknutus* dum hæc gererentur in Daniâ abſens. Hunc Hardaknuth & Kanutum Durum Scriptores appellant, haud qvidem rectè: nomen enim id à provinciâ, ut rectè obſervavit antiqviſſimus Daniæ Scriptor *Sveno Aggonis*, licèt & provinciæ illius & Regis nomen, cui id primò inditum fuerat ignoraret, Jutiæ Horda, Danicè Harſyſſel, in primum ejus nominis Regem translatum, in hunc, poſt longum ſeculorum decurſum promanavit. Duces militiæ limitumq; cuſtodes ad compeſcendam hanc tempeſtatem, cùm copias qvoqve eduxiſſent, poſt acerrimum conflictum ſuperati, populationibus longiùs diffundendis viam aperuerunt. Nec Thorfinnus ſibi defuit: longiùs enim provectus incendiis cædibusq; partes inſulæ, qvas præteribat, maximam ætatis partem fœdabat. Præter tres velitationes, bis, juſto prælio, collatis ſignis cum hoſte congreſſus, victor inde, prædisq; & ſpoliis onuſtus, domum repetivit, ibiq; hyemavit. De his exſtat *Arnoru* teſtimonium, duobus verſiculis comprehenſum. His temporibus Kalfus Arninus, Magno Divi Olafi filio Tutor datus, Regi paternæ cædis ſuſpectus factus, majoris periculi metu, ſpontaneum ſibi exſilium indixit. Excedens regno, agris omnibus, fiſco regio addictis, multatur. Ad affinem igitur ſuum Thorfinnum conceſſit: duxit enim Thorfinnus filiam fratris ejus, Finni (qvi poſtea Comes factus eſt) Ingibiorgem, Comitum matrem deinceps dictam, uxorem. Hic cùm magnum famulorum

lorum militumq; numerum ſecum duxerit, ad eorum ſuſtentationem magni ſumptus reqvirebantur, qvos tamen Comes ipſe ſuſtinebat. Id cùm arduum eſſet, multi ei ſuggeſſerunt, ut trientem alterum, qvem permiſſu ejus magis, qvam deditione, Rognvaldus diu tenuiſſet, repoſceret. Miſit itaqve anno MXLVI. legatos in Orcades, qvi hæc poſtulata deferrent. Qvibus auditis, remotisq; dum amicos conſuleret, iterumq; admiſſis, referte, ait, Patruo, qvæ ſine fraude & perjurio reddi neqveunt, nec honeſtè poſtulari; magis etiam impiè, ſi is, qvi poſtulat, niſi eodem ſcelere poſſidere neqveat: me qvod attinet, precarium tantùm in trientem, qvem poſtulat, jus habeo, fidei meæ commiſſum, ſolummodo ut cuſtodiam, non ut alienem: proinde fidei Regi Norvegiæ, Magno, fidei Deo datæ memor, donec, ut reddam, juſſerit, detinebo, nec redditurus in poſterum, ſi penes me eſſe voluerit: qvid Patruus Sancto Olafo, ſacramento promiſerit, ipſe viderit, nec oblitum exiſtimo. His renunciatis, Thorfinnus admodum iratus, malè ſibi Rognvaldum beneficium facilitatemq; rependere qveſtus, dum partem, qvam indulgentiâ ſuâ tot annos tenuerit, vano juris præ ſexu vindicare conaretur, niſi armis repetitam haud qvaqvam ceſſurus. Qvid enim jus Magno ad hereditatem fratris ſui: an injuria visq; à Divo Olafo adhibita, ſpecioſo juris vocabulo colorata, verum ei jus in aliena transferat, ſeq; ad patrimonium ſuum poſſeſſionesq; deferendas, ejusq; avaritiæ ſatiandæ deferendas obliget. Nec multo poſt, exercitu per Scotiam & Hæbudas collecto, pronunciavit, ſe armis jus ſuum à Rognvaldo repetiturum, qvod moderatione & lenitate aſſeqvi neqviviſſet. His cognitis, Rognvaldus amicos convocat, docetq, imminere ſibi à Patruo periculoſum bellum, ſe tamen nihilominus dimicaturum, nec patrimonium ſuum, aut etiam feudum Regium, omnibus inexpertis, ei dediturum: qværit itaqve, qvid ſvadeant, qvantum auxilium præſtituri. Multum ibi ſententiis variatum: alii in partes Rognvaldi proniores, imperium integrum, nec ulla ex parte imminutum, conſervandum: alii haud iniqva poſtulari, partis nimirum controverſæ nec diuturnam poſſeſſionem, qvam Rognvaldus jam longo tempore detinuerat, nec ei certamen adverſus tantas vires, Scotiâ Hæbudisq; excitas, tutum, qvibus duo Orcadum trientes ſuſtinendis omnino impares erant, qvi conditionibus tranſigendum rati, Orcadum æqvalem diviſionem offerendam cenſebant, id etiam Thorfinnum ſangvinis nexui daturum. Rognvaldus, perſpectâ diversâ ſuorum, ſed omnium voluntate à certamine alienâ, negabat, ſe ditionis ullâ parte, ſed potius in præſens universâ ceſſurum, iturumq; in Norvegiam ad fratrem adoptivum Regem Magnum, ejusq; viribus amiſſa recuperaturum. Sine morâ profectus, Regi, qvo in ſtatu res ſuæ eſſent, expoſuit. Lætus adventu amici Magnus, apud ſe detinere cupiens, provinciarum qvantum ad ſtatum familiamq; ex dignitate ſuſtentandam ſufficeret, obtulit: verùm copias claſſemq; ad recuperandum imperium tuendumq; ſufficientem poſcenti auxilia promiſſa. Promptiſſimo qvolibet in expeditionem lecto, poſt exiguam moram dimittitur. Miſſi inſuper ad Kalfum Arninum nuncii, qvi ſtatûs prioris agrorumq & poſſeſſionum reſtitutionem Regis nomine promitterent, ſi Rognvaldi partibus aggregatus, in Thorfinnum arma caperet. In Hialtlandiam delatus Rognvaldus, ejus inſulæ delectu auctis copiis, inde in Orcades transfretravit, amicorumq; concurſu inſtructior, Kalfum de promiſſis Regis per nuncios certiorem factum propenſum ad Regis gratiam recuperandam, nec auxilium abnuentem cognoſcit. Interea Thorfinnus è Scotiâ & Hæbudis in Cataneſiam validum exercitum excivit, qvem claſſi impoſitum in Orcades transportaturus, Rognvaldum cum triginta majoris molis navibus ad ſe in Cataneſiam tendentem, in ſinu Pictico, ipſe ſexaginta ſed minoribus inſtructus, obvium habuit. Sub rupibus, à rubro forſan colore Raudabiorg dictis, concurſum, totisq. claſſibus, ſimul ab omni parte, pugna conſerta eſt. Aderat & Kalfus Arninus cum ſex navibus, altitudine cum Rognvaldianis certantibus, ſpectator tantùm pugnæ & alieni periculi, neutri partium acceſſit. Cùm diu æqvo Marte pugnatum eſſet, Thorfinni milites ex humilioribus navibus dimicantes, vanaq; incaſſum tela jactantes, vim Rognvaldianorum è ſuperiore loco, ſpicula telaq; haud incerto jactu, ſed graviore,

& pondere ipſo liberatiore ictu ingerentium, vel cominus gladiis ferientium, ſuſtinere neqvibant: ita enim conſerebant ex propinqvo pugnam, ut prope collato pede res gereretur. Haut mirum itaqve, ſi, ab illa parte, ſecuta propugnatorum cædes, naviumq; vaſtatio. In claſſe Thorfinni, prætoria, qvæ ipſum vexerat, magnæ molis triremis, inter omnes eminebat, imperio Ducis in eam aciëi partem producta, unde pugnatoribus, par periculo gloriæ, materia, cæteris exemplum oſtendebatur. Hanc ab utroqve latere Rognvaldi claſſis invadit, & veluti nube telorum eminus conjectâ undiq; obruit: cominus gladiis, & id genus armis, vi ſummâ, certatum, ſpe ſi ulteriùs adniterentur, Thorfinnum capi, uniusq; horæ ſpatio poſſe debellari. Accendit animos faventis fortunæ ſucceſſus, præſentia Ducis & hortamenta: nec minus Thorfinnianos, obverſans oculis, tum ſui, tum Principis periculum, & ultima neceſſitas ad reſiſtendum. Diu incurrentis hoſtilis claſſis impetum mutuâ adhortatione firmati tulerunt Thorfinniani, donec, ſuorum acie multâ cæde rareſcente, Rognvaldus tranſitum ad eos moliebatur, ſuos ferociter inclamans, ut, tranſcensâ hoſtium nave, cohortem prætoriam cominus inciderent. Ad extremum periculi & prope perniciem ventum erat, nî Thorfinnus inciſis protinus vinculis, qvæ dimicantes naves invicem connectebant, ad litus accelerâſſet. Ibi cæſorum corporibus, & in his è ſua tantùm navi ſeptuaginta, præter vulneratorum magnum numerum, expoſitis, lectis ex omni claſſe fortiſſimis prætoriam inſtruit. Expoſitus & Poëta *Arnor*, carus Comiti ſatelles, non ex vulnere debilis, ſed, (ut videtur) ut absqve periculi metu, qvæ ab utraqve parte gererentur, obſervare, memoriæq; metricâ arte, conſecrare poſſet. Inde ad Kalfum converſus, de auxilio eum ſollicitat, falli ipſum dictitans, ſi firmiorem Magni Regis gratiam ſe, jam exſulem capite ſuo mercaturum ſtatueret, qvam florentiſſimo rerum ſuarum ſtatu, Regis tutor & unicè dilectus, conſervare non poterat. Certe nec ei usqvam receptum patere, ſi victor Rognvaldus imperium Magni trans oceanum in occidentem proferret: ſe verò victore nihil ei defuturum: nam neutrum eorum, ſi vires conjungerent, injuriæ pronum aut vinci facilem eis, qvi in occidente regnarent. Neqve ei decorum, ſe pro utriusqve libertate dimicantem deſtituere, commune periculum, more felis pulvino incubantis vitando. Peccari præterea in jura neceſſitudinis, qvibus arcto affinitatis vinculo invicem juncti eſſent, præſertim cum pars adverſa nullo tali nexu ei cohæreat. Hac adhortatione concitatus Kalfus, ſuas naves expedit, remisq; qvàm validiſſimè, concitatas, in Rognvaldum ſimul cum Thorfinno maturè dirigit, tunc qvidem plurimis earum, qvæ Rognvaldum, ne Thorfinnum diſcedentem inſeqveretur, morabantur, ante reditum ejus vaſtatis, reliqvis verò fugam circumſpectantibus. Novis auxiliis firmatâ claſſe, fluctuans ſimul acies reſtituitur, & pugna inſtauratur. Kalfus in minores naves invectus, è celſioribus puppibus & proris, magnâ vi telorum emiſsâ, ingens damnum intulit, ſpiculis & ſagittis tam graviter ac validè incidentibus, ut nec parma aut caſſides, neqve loricæ adverſus ictus & vulnera protegerent. Singulis itaqve ordine vaſtatis, brevi omnem Rognvaldi claſſem milite remigeq; nudavit: videntes autem Norvegi, naves à latere, in hoſtium poteſtatem redactas, ipſi, ruptis vinculis, in altum evecti fugam capeſſebant, paucis admodum circa Rognvaldi prætoriam remanentibus: inde acies inclinare cœpit, maximâ claſſis vi dilapsâ. Tum verò prætoriam Thorfinnus & Kalfus ab utroqve latere obſidentes, ingens certamen cladesq; mutuas ciebant, dum illos victoriæ haud ambigua ſpes, hos ſalutis tutandæ neceſſitas ad defenſionem urget. Nec tamen diu tot impetentium impreſſio, à feſſis vulneratisq; paucis, qvi ſupererant, militibus ſuſtineri potuit: itaqve Rognvaldus, reſciſsâ catenâ, mutuo navium pugnantium vinculo, ſublatis dolonibus effugit, cùm eſſet in exitu dies. Tenebrarum beneficio elapſus, eadem nocte directum in Norvegiam curſum, non priùs intermiſit, qvàm ejus oris redditus. Inde ad Magnum Regem profectus amicè, ut ſemper, excipitur, ad longiorem moram manſionemq; invitatus.

Die, qvi bellum victoriamq; ſecutus eſt, Thorfinnus, ſingulis inſulis luſtratis, qvotqvot fugâ elapſos deprehendit, vel in deditionem accepit, vel, (qvorum tamen

tamen pars major) occidit, omnibus insulanis, etiam iis, qvi Rognvaldo Sacramento erant obligati, in suum obseqvium jurare compulsis. Ipse, numerosâ satellitum phalange stipatus, in insulis, conqvisito undiqve commeatu, hiematurus Kalfum in Hæbudas ad continendam in obseqvio gentem misit. Haud longum interfluxit tempus, cùm Rognvaldus Regi indicavit, esse sibi in animo Orcades repetere. Supra vires id Regi, illo præsertim anni tempore visum: manendum ad initia veris, donec, mitescente hieme, fluctus qvoqve mitigati, navigationem faciliorem redderent: parata tum auxilia cum copiis, classeq; idonea, ad vindicandam patriam futura. Rognvaldus potentiorem esse Thorfinnum, tot insularum provinciarumq; Scoticarum viribus, auxiliis etiam affinis sui Kalfi, subnixum, qvàm ut vinci possit absqve magnis copiis, classeq; haud modica, qvæ immodicas impensas reqvirerent, magno etiam victoris damno, militumq; jacturâ. Nolle se regium exercitum iterum in casum discrimenqve dare: decrevisse potiùs unicâ tantum navi, selectissimis bellatoribus instructâ, celeritate tantâ, ut ne adventum nuncius ullus præcedat, principio hiemis, in insulas trajicere, fortunamq; experiri: futurum, ut aut securos incruentâ victoriâ opprimat, aut si prævia fama prodiderit, præsidium ab oceano pateat. Rex, probato consilio, si successus conatui non responderet, ad se redire jussum, navi lectissimis militibus adornatâ, & in his, nonnullis aulicorum suorum primi gradûs, cum faustâ apprecatione dimittit, nunqvam amplius visurus. Qvi optatum nactus ventum, & deinde Hialtlandiam, cognovit Thorfinnum, illo anni tempore, securum, cum haud magno stipatorum numero in Orcadibus hiemare: qvi potissimam satellitum partem ad sua jam dudum remiserat omnium, qvippe securus in Hrosseya resedit. Qvo Rognvaldus, ut primum ad insulas appulit, moræ impatiens profectus, adeo improvisus supervenit, ut adventum ejus nemo prius sentiret, qvàm, omnibus foribus armato milite obsessis, tectis faces succenderentur. De nocte id factum est, pluribus acqviescentibus, somnoq; oppressis, Comite tamen comissante, qvi, ut hostilem impetum senserat, misit ad fores scisitatum, qvo duce impeteretur, responsum Rognvaldo. Tum verò omnes, ad arma concurrentes, exitum per fores moliebantur, sed frustra armatis obsistentibus. Svadente igitur Thorfinno supplicatum, si qvibus parcere statuent, iis exitum permitteret: permissus hîc promiscuè feminis servisq; non tamen libero egressu, qvippe extractis à militibus: Aulicis verò id negatum, qvòd eos esse Rognvaldus censeret, qvorum vita, qvàm mors, minùs sibi conduceret. Et jam flamma omnia tenuit, cùm Thorfinnus, asseribus qvibusdam subtus effractis, ulnis uxorem gestans, illunis noctis tenebris, & fumi vento impulsi caligine obvolutus, nemini observatus evasit, mox, repertâ scaphâ, ad promontorium qvoddam remigio vectus. Rognvaldus, ædium singulis in cineres redactis, omnes insulas sibi subigit, missisq; in Catanesiam & Hæbudas Legatis, imperium omne, qvod Thorfinnus tenuit, sibi vindicat: nec erat, qvi obseqvium detrectaret: cùm nemini constaret Thorfinnum evasisse. Ille interim apud amicos, in Catanesiâ latitans, ita se occultè continuit, ut nulla fama evitati periculi exorta suspicionis ansam præberet. Interea Rognvaldus Kyrkiuvogi, multis satellitum turmis stipatus confidens, iis alendis magnos sumptus fecit. Appetente festo Jolensi, magno comitatu in Papeyam minorem, ad multam polentam domum vehendam, cereviſiæ conficiendæ profectus, cùm per vesperam foco assidentes corpora diutius calefacerent, focariusq; ligna modò defectura indicaret, Comes respondit: his consumptis satis annosi fumus (voluit autem dicere, satis calefacti fumus) primusq; lapsu lingvæ observato, mentem jam lingva præcurrebat, ait, neqve id mihi priùs contigisse memini. Subit mentem, qvod Nutricius meus Sanctus Olafus Stiklastadis, cùm errorem lingvæ ejus notarem, prædixit, nimirum cùm mihi tale qvid accideret, haud exinde longam vitam sperandam: vivit fortè Agnatus meus Thorfinnus. Vix hæc effatus est, cùm circumsessam hostibus domum deprehendit, ibi Thorfinnus, cum agmine armatorum molientibus, egressum ferro, manentibus igne minatus, lignilia foribus præstruxerat. Exeundi venià omnibus, præter Aulicos Comitis, datâ, mox ignis ædibus subjectus. Pluri-

bus egredientibus, ſucceſſit vir, veſte lineâ amictus, inqve foribus ſtabat, Thorfinno, ut manus Diacono porrigerent, mandante, brachiis lignili innixus, in modum jaculi nervo propulſi, tam lignile, qvàm circumſtantium globum tranſiliens, procul ab omnibus ſolo redditus, momento inter nocturnas tenebras avolat, Thorfinno, ut fugienti inſtarent vociferante, Comiti qvippe Agnato ſuo Rognvaldo (neqve enim alium tantæ agilitatis roborisq́ documentis exhibendis parem) diviſi in manipulos alii ſuperiora, Thorkell Nutricius inferiora, orasq́; maritimas luſtrabat, auditoq́; canis in litore latratu, qvem Melitæi generis unum, Rognvaldus in ſinu geſtabat, ejus, perſeqventibus oblatrantis, ſonum ſecutus, Comitem aſſecutus comprehendit, utq́; occiderent, propoſito interfectori præmio, imperabat: omnibus recuſantibus, ipſe tam triſte miniſterium exſecutus eſt: vidit enim alterutri omninò moriendum. Patratâ cæde, Thorfinnus ſuperveniens factum non culpavit. Mihi Thorkell rectiùs feciſſe videtur, ſi conſervato, in adventum Patrui, Rognvaldo, ejus arbitrio eum permiſiſſet: abdicato qvippe jure ſuo, inq́; Thorfinnum translato, dimitti forte poterat: erat enim Rognvaldus Princeps pius, fidei promiſſorumq́ tenax, & jurisjurandi obſervantiſſimus, ut nullus ab eo deinceps metus eſſet: nec Magnus Norvegiæ Rex, iſtâ tranſactione, magis timendus erat, qvippe longè minùs læſus, qvam cæde cariſſimi ſibi amici & adoptivi fratris: id ſi minus tutum viſum, poterat tamen cuſtodiæ mandari. Poſtridie navis Rognvaldi, polentâ onerata, in eum modum inſtructa eſt, qvalis erat, cùm domo ſolverat, prorâ puppiqve occiſorum clypeis, ornatis; totidem qvoqve remiges, comitesq́; alii impoſiti, qvos Rognvaldum ſecuti ſunt. Hoc dolo Kirkiuvogum petitur, deceptiq́; ſatellites Rognvaldi, inermes obviam procedunt, Principem ſuum officioſè excepturi: triginta erant, qvorum plures Regis Magni Aulici, omnes autem juſſu Thorfinni, ſtatim occiſi, uno excepto, qvem, in nuncium cladis electum, in Norvegiam ad Regem hac contumeliâ illudendum amandavit, poſtqvam & ij, qvi in Papeya erant, omnes periiſſent. Corpus Rognvaldi in Papeyam majorem translatum, ibiq́; humatum eſt, ingenti populi luctu: omnes enim Orcadum Comites, qvà animi, qvà corporis formæ viriumq́; ornamenta præſtâſſe perhibetur. Statura illi magna, multa cæſaries, colore flava, robur ingens par audaciæ, mira agilitas, ingenium ſagax & ſubtile, ſimul etiam probum & conſtans, ut nihil in illo Principe, præter fortunæ conſtantiam deſideraretur. Meminit illius Poëta Islandus *Ottar Niger*, in carmine qvodam laudes divi Olafi continente, cujus integrum carmen in *Codice Flateyenſi* exſtat, atqve alio etiam MS. Exinde Thorfinnus, nemine obſtante, univerſas Orcades ſuæ poteſtatis fecit.

Hæc, primo vere, in Norvegiam relata Rex Magnus admodum ægrè tulit: in primis Rognvaldi cædem, à teneris, educationis utriusqve ſortis ſocii fratrisq́; loco habiti cultiq́; qvam ſe prima qvaqve occaſione ulturum minabatur: Diſtractus autem bello adverſus Svenum Ulfium (qvem à matre Eſtritium Danici Scriptores vocant) qvi Vaſallus Daniæ, Progregis titulo, ab eo præpoſitus, per defectionem Regem ſe edidit, ultionem in præſens maturare neqvibat. Prælium in freto Pictico inter Comites geſtum, Kalfo ſe Thorfinno adjungente, *Arnor* carmine celebravit, cujus aliqvot verſus adhuc ſuperſunt.

CAP: XV.

Thorfinnus Magni Regis potentiam formidans, in Norvegiam ad eum navigat, fitq́; ita familiaris, ut ſecretioribus conſiliis adhiberetur. De ſatisfactione ab Aulico Regis, pro fratris cæde, in præſentia Regis poſtulatus, reſponſo minus conſiderato, bilem

bilem Regi movet, metuq; periculi se subducens, Orcades repetit. Magnus, Patruo Haraldo, in regni consortium accepto, tandem etiam successore destinato, in Dania moritur. Thorfinnus Haraldi amicitiam ambit, profectusq; in Norvegiam, assequitur. Romam proficiscitur, inq; itinere, Imperatoris Romani, Regisq; Danici benevolentiâ fruitur. Redux, mansvetius vitæ genus amplexus, statum insularum novis legibus format. Basilicam ædificat, ejus filii, mors, verus mortis annus, eulogium.

Hoc tempore, anno nimirum MXLVI. Haraldus Sigurdi Siris filius, Regis Magni Patruus, Constantinopoli, Russiaq; redux & in Norvegiam delatus, dimidiam ejus partem, à Magno dono accepit. Inde simul regio titulo & auctoritate annum regnârunt. Habito per universum regnum delectu, exercitum longè maximum, classi impositum, in Daniam trajecturi, ventis obstantibus in portu Lystriæ Seloë detinebantur: cùm fortè duo myoparones, eundem portum intrantes, Magni Regis navi se applicuerunt. Ex altero vir togam candidam indutus, regiam ascendens, ab anteriore parte in posteriorem, puppim usqve, locum ubi Rex prandebat processit, & Rege, cum decenti honoris significatione inclinatoq; corpore, submissè salutato, panem (qvi tenerrimè expansus, qvali vulgus Norvegorum hodieq; utitur, in mensa appositus jacebat) fractum ori esurus ingessit. Rex, salutante resalutato, ut edentem animavertit, poculum porrexit, intuitusq; qvinam esset qvæsivit: hic verò Thorfinnus, inqvit, vocor: nonne Thorfinnus Comes, ait Rex: sic in occidente usurpor, respondit, adsumq; cum duabus navibus singulis viginti transtrorum, selecto milite, prout nostra fert conditio instructis, tibi in hac expeditione, modò gratum sit, militaturus, futurus & ipse cum copiis universis, secundum Deum, tuæ potestatis, in præteritorum satisfactionem. Ad hæc cùm procul stantes confluxissent, qvæ dicerentur accuratiùs percepturi: bene habet, Thorfinne ait Rex: decreveram, si fortè nos invicem conspiceramus, id agere, ne proinde, qvæ sub discessum interveniissent, referre posses: hoc autem statu, indignum Majestate meâ facerem, si te occiderem: itaqve expeditionis Comes esto, & pacificationis leges in commodius tempus exspecta. His dictis, salutato Rege, in propriam navem rediit. Longum deinde tempus, in eodem portu exactum, qvò multus, ex Vicha, miles, augmentum exercitus, confluxit, inde, cùm primùm secundus ventus flaret, in Jutiam vela daturus. Interea Thorfinnus, frequentes cum Rege, longosq; sermones serere, seq; adeò in ejus gratiam insinuare, ut non modò placere, sed etiam secretioribus consiliis adhiberi cœperit. Fortè qvodam die, cùm pro more Regem in puppi sedentem accedens, invitatusq; assideret, amboq; hilares comportarent, vir qvidam satis vegetus, veste rubrâ, puppim ingressus, Regem venerabundus salutat: hic benignè exceptus, (erat enim Aulicorum ejus, ordinis superioris unus) ad Thorfinnum se mox convertit, & Te qvidem allocuturus huc accessi, ait, proferri jussus, qvam, inqvit, satisfactionem mihi offeras scire velim, pro fratre meo, qvem Kyrkiuvogi, cum aliis Regis satellitibus, occidi mandâras. Fandòne audivisti, respondit Comes, cædium multam luere, insvetum mihi: fit id eam præcipuè ob caussam, qvòd, ut plurimum, sine caussa nullas perpetrari sinam. Nihil ad me, respondit Satelles, qvid cum aliis agas, si pro hoc satisfeceris, ei enim jure sangvinis arctè junctus sum, sed & ego aliqvam rerum mearum jacturam ibidem aliàs malè tractatus, meum autem mortuq; fratris jus persequi mihi unicè incumbit, nec mea refert, qvantacunqve lenitate Rex suum jus relaxet, si ipsi honorificum videtur, satellites suos ad supplicia raptos, ovium in morem

rem

rem mactari. Ad hæc Comes respondit, intelligo qvidem causſæ meæ hoc in loco præſidium in eo conſiſtere, qvòd in tua poteſtate non ſum: tunc is es, cui tunc peperci? ita eſt, reſpondit ſatelles, nam licuit tibi, me, perinde atqve alios, interficere. Tum Comes, probare ſe qvidem hìc vulgatum illud, ait: præter ſpem multa obtingunt: neqve enim id mihi unqvam damno futurum ſperavi, qvòd in hoſtes nimis eſſem lenis: jam peperciſſe tibi crimen eſt: certè, ſi te cum aliis ſodalibus tunc occidiſſem, me hìc ad Principes non detuliſſes. Rex Comitem intuitus, adhuc (inqvit), Thorfinne, meorum nimis paucos ſine ſatisfactione occidiſſe videris, tinctaq; ſangvineo colore facies conceptam animo iram prodidit. Excedens itaqve Thorfinnus, navem repetit, nec, eo veſpere, plura intercedebant. Mane ſeqventis diei, vento ad votum ſpirante, univerſa claſſis è portu, in mare Jutlandicum ſev Cimbricum, evecta, ante meridiem Thorfinnum navigationis Comitem habuit, qvi, flexo deinde in occidentem curſu, ad Orcades rectâ navigavit: Magnus verò & Haraldus in Daniam, ubi plurimum æſtatis exactum, Sveno, cum exercitu, in Scania ſe continente, nec copiam pugnæ unqvam faciente.

Ejusdem anni auctumno Magnus ibidem ex morbo deceſſit, teſtamento ſub finem vitæ publicato, qvo totius Regni Norvegici Heredem Haraldum Patruum ſcripſit. Mihi teſtamento haud eguiſſe videtur, cùm propinqvior heres maſculus nullus eſſet: nam licèt filiam haberet, tamen ſucceſſionis in regnum ab antiqviſſima memoria, ſeqvior ſexus incapax, in borealibus regnis usqve ad tempora Margaretæ Danicæ ſemper judicatus videtur. Hunc in modum fortuna, Thorfinno blandita, omni periculo eripuit: ut enim creſcentem in dies potentiam Magni animadvertit, meritò eximuit: nam præter acceſionem Daniæ, regni, illo ſeculo, arctoi, occiduiq; orbis, ſpoliis florentiſſimi, Patruus etiam ſui temporis, Imperatorum omnium rei militaris ſcientiâ, diuturnoq; uſu peritiſſimus, perpetuo rerum ſucceſſu glorioſus, auriqve citra exemplum, ſub Boreo axe ditiſſimus, qvod Conſtantinopoli, immenſi ponderis, avectum (qvantum in unum locum congeſtum ſeptemtrio nunqvam viderat duodecim juvenes cervicibus vix ſuſtinere potuiſſe tradit *Camdenus in Brigantibus*, Anglis in prædam ceſſiſſe, qvod tamen pars integri) ex æqvo inter ſe & Magnum diviſerat, tantisq; opibus inſtruxerat, ut nihil illi proinde invium videretur. Itaqve ad deditionis conſilia converſus Thorfinnus, callido commento, ſecuritatem ſibi præſtruxit, prægustato pane regio, qvo, ipſo invitante, hoſpitali teſſerâ acceptâ, ab omni vi in poſterum tutus eſſet, poſtqvam ab hoſte in hoſpitem tranſiiſſet. Vix hoc metu liberatus eſt, cùm derepente alter exortus, non imperii ſed vitæ ſollicitudinem incuſſit: dum ſibi apud Regem, cæteroqvin clementem, ſed priſtinis offenſis pridem irritatum, nec ſatis conciliatum, atqve ideo obtrectantium criminationibus obnoxium, tum ob Aulicorum, cognatorum cædibus exaſperatorum, occultas inſidias, haud omninò tutum animadvertit. Prudenti itaqve conſilio, majore metu minorem caſtigans, domum repetiit, ſi non de integro in poſterum imperio, certè parte tamen, intra Scotiam, ut de vita qvoqve ſecurus: cùm ex inſulis in continentem effugium pateret. Id qvod nuper proprio, tum etiam Proavi Einaris de Ceſpite exemplo edoctus erat. Tandem, morte Magni, omni, ab eo, periculo liberatus, ut ſe qvoqve omni metu exſolveret, Legationem ad Haraldum in Norvegiam direxit, fœdera amicitiamq; cum illo juncturus: qva benignè auditâ, renunciari Rex jubet, gratum ſibi adventum ejus futurum. Qvo cognito, duabus navibus, ſingulis viginti ſcalmorum, centumq; comitibus, in Norvegiam transfretans, Regem in Hordiâ offendit, qvi adventu ejus lætus, magna honoris benevolentiæq; ſignificatione eum excipit, & diſcedentem præclaris muneribus ornat. Inde in Daniam, terreſtri itinere, tranſvectus, Regem Svenum Alaburgi aſſecutus, exqviſitiſſimo convivio exceptus eſt: ibi primùm Romam iter ſibi inſtitutum, ad criminum veniam impetrandam, minasq; cœleſtes declinandas, pharmacum iſtis ſeculis præſentiſſimum, palam fecit. Provectus deinde in Soxoniam, ab Imperatore Henrico, cognomento Nigro, humaniſſimè habitus, Regalia dona percepit, atqve inter alia, complures ad profectionem eqvos. Romam profectus,

ctus, omnium peccatorum absolutissimâ veniâ à Pontifice impetratâ, reditum maturabat. Itinere deinde felicissimè absoluto, domum qvàm ante religiosus magis revertit: nam & piraticâ inde abstinuit, animamq; ad civilem administrationem pacisq; studia appulit, & leges in publicum utiles, condidit, & principali deniqve sede, in provinciâ Byrgensi (Byrgis herad) fixâ, magnificam ibi Basilicam ædificavit, Christo dedicatam, ubi primò Episcopalis sedes, inter Orcadenses fundata est.

Ex Ingiburge, ab eventu Comitum matre dictâ, liberos, qvi pueritiam excesserunt, Paulum & Erlendum progeneravit, staturâ conspicuos, & venustate formæ (decore à materno, non item paterno genere tracto) insignes, prudentiæ etiam & moderationis laude celebres. Diffusas imperii provincias ad finem usqve vitæ, in obsequio retinuisse, omniumq; Comitum Orcadensium potentissimus fuisse perhibetur. Novem enim Comitatus in Scotiâ, qvorum nomina, negligentiâ Scriptoris, magnam partem omissa, possessione complexus est, omnesq; præterea Hæbudas, & in Hiberniâ amplam ditionem, teste *Arnere* Comitum Pœtâ, cujus unicum carmen ad hujus relationis fidem stabiliendam supereſt. Qvinqvennis, Comes ab Avo materno Melcolfo, seu Micolumbo, eo nomine secundo, creatus est; qvatuordecim annos natus, primam expeditionem suscepit, aliorumq; Principum ditiones infestavit; Comitis titulo secundum auctorem, qvem seqvimur, septuaginta, secundum alios verò sexaginta, annos gavisus est; mortuus tandem senescentibus annis imperii Haraldi Imperiosi, seu Strenui Norvegiæ Regis: neutrum tamen cum calculo supra monstrato, qvi patris ejus obitum in annum Salutis MXIV refert, qvo qvinqvennis erat, consistere potest: produxit enim vitam ad annum vel MLXXXIV vel MLXXIV, fuissetq; hac ratione vel XVIII vel VIII annis Haraldo superstes. Seqvar itaqve *Chronica Norvegica*, Danicis typis impressa, qvæ eum qvinqvaginta annos præfuisse tradunt. Decessisse itaqve videtur anno MLXIV, duobus annis ante cædem Haraldi, Septemq; annis, postqvam Melcolfus tertius Scotiæ regnum iniit. Qvæ qvidem ita cohærent, cùm idem Rex Ingibiorgem Comitum matrem uxorem postea duxisse perhibeatur, ut mox dicetur: neqve enim Margaretham, Edgaris Edlingi sororem, ante annum illius seculi LXX duxit, ut ex *Simone Dunelmensi de rebus gestis Anglorum* constat. Conditus est in templo Servatoris, qvod ipse in provincia Byrgisherad exstrui curavit, cum magno provinciarum hereditariarum, desiderio luctuq;: reliqvæ, qvas bello subegerat, imperium durum detestatæ, morteq; ejus gavisæ, plurimæ defecerunt ad eos, qvorum agnatis aut Parentibus ereptæ fuerant, eorumq; se præsidio tutabantur. Citò itaqve Orcadenses, qvantum damnum morte ejus illatum, senserant. Fuit Thorfinnus Princeps animo corporeq; ingenti, facie turpi & macilentâ, capillo nigro, superciliis majoris notæ, staturâ ingenioq; omnino militari; in cœptis pertinax, honoris divitiarumq; cupidus, felix bello, prudensq; & impiger. Post conflictum cum Rognvaldo, Kalfus Arminus interdum apud eum mansit: Interdum Occidentem piraticâ infestavit: Fuit & aliqvando in Angliâ Thingmannorum cohortibus præpositus.

CAP: XVI.

De *Pauli & Erlendi, Thorfinni filiorum, Matre Ingibiorge, eorumq; progenie.*

Thorfinno filii successerunt adeò concordes ut Comitatum indivisum simul regentes, reditus communiter participarent. Paulus, natu major, auctoritate præfuit, eorum mater Ingibiorg, Melcolfo tertio Scotiæ Regi, cujus cognomen nostrates *Langhals*, longum collum, minùs rectè reddiderunt, nec tamen adeò ineptè, qvin intelligi possit eundem, qvem Scoti Cammorum vocant hunc fuisse. *Buchananus* megalo-cephalum vertit. Eorum filius fuit Duncanus, Scotiæ Rex,

qvem Buchananus nothum ſuſpicatur, cùm tamen ex priore uxore natus ſit. Hic eſt ille Duncanus, qvi Donaldum Banum Patruum ſuum regno exturbavit, ab eo viciſſim interfectus, poſtqvam annum & ſex menſes eodem teſte regnâſſet. Hujus poſteritatis, apud eundem magnum ſilentium. Noſter auctor filium Wilhelmum nominat, virumq; inſignem perhibet fuiſſe, dum glorioſum appellat. Memorat etiam hujus filium Duncani nepotem, Melcolfi ex Ingebiorge pronepotem, Vilhelmum Ødlingum (adeling, atheling, Edeling, Ødling) Clitonem ejusdem ſeculi ſcriptores verterunt, qvem omnes Scotos, Regem exoptâſſe perhibet. Horum progenies ſi poſſit erui, inq, hodiernum diem deduci, certè qvi inde deſcendunt, ab ultima memoria genus ſuum facile poterint repetere: mihi, hoc loco ſufficiet, Buchananum cum noſtris antiqvitatibus conciliâſſe, ejusq; errorem monſtrâſſe: inde de reliqvis noſtrorum traditionibus, idem erit judicium.

Jam familias a Thorfinno deſcendentes referam. Paulus, Orcadum Comes, uxorem habuit, filiam Comitis Haconis, Ivaris filii. Iſte Ivar Haconis, Comitis Hladenſis, ex filiâ nepos fuit. Haconis Ivaris uxor fuit Ragnhildis, Magni, cognomento Boni, Norvegiæ Regis filia, Sancti Olafi neptis. Uxoris Pauli germana ſoror fuit Sunnifa, cujus filius Hacon, cognomento Norvegus. Conjux ei Ragnhildis, Eirici Boni, Daniæ Regis filia. Eorum filius Eiricus Lamb, ſeu agnus, *Helmoldo* & noſtro auctori Spaki, ſeu ſapiens, vel etiam mitis dictus Daniæ Rex. ex hac uxore Divi Olafi pronepte (cujus nomen non reperio) Paulus hos liberos ſuſcepit, filium Haconem, qvi patri poſtea in Comitatum ſucceſſit, filiam Thoram, qvæ Haldoro Bryniulfi Ulfaldi ſeu Cameli, (qvod elephantem, *interpres Chronici Norvegici* Danici malè vertit) nobilis Norvegi, Divi Olafi ſatellitis filio, poſtea nupſit; eorum filius Bryniolfus, cui uxor Giridis Dagi filia, Secundam Ingiridem, qvam duxit Einar Vorſakrakus.

Tertiam Herbiorgem, matrem Sigridis & Ingibiorgis cognomento Ragnæ, uxoris Sigurdi de Veſtneſia, horum liberi, Hacon Pik & Bryniulfus. Sigridis Herbiorgis filiæ liberi fuere, Hacon Barn (ſeu puer) & Herbiorg, qvæ nupſit Kolbeino Hrugæ ſeu acervo. Qvartam & eadem uxore filiam procreavit Paulus Ragnhildem, cui filius Benedictus (neptis ex eo Ingibiorg, pronepos Erlingus Archidiaconus) filia Bergliot, qvæ nupſit Havardo Gunnaris filio, eorum filii Magnus, Hacon cognomine Klo, Dufniall & Thorſteinus. Horum ſinguli è Comitum ſtirpe progenerati, Procerum Orcadenſium familiam conſtituunt, adq; hanc hiſtoriam pertinent. Hos ramos Paulus emittit. Jam qvinam ex Erlendi ſtirpe creverint videndum. Uxor ei Thora, Sumarlidii filia. Sumarlidio pater Uſpacus, Uſpaci mater Thordis, Halli de Sida nobilis Islandi filia. Halli de Sida mater Thordis, Thordiſis pater, Auſſur cognomento Keliſelgus, filius Hrollaugi, fratris Einaris de Ceſpite Orcadum Comitis, atqve hæc familia ex Islandiâ promanavit, qvæ inibi in florentiſſimos ramos diſperſa, tres Epiſcopos celebrat, & in his Sanctum Jonem diœceſis Holenſis Epiſcopum, ejusdem Halli pronepotem, ex filio Eigile nepte Thorgerde, conſecratum anno MCX denatum anno MCXXI. Erlendus & Thora hos liberos habuit, filios Erlingum & Magnum, qvi poſtea inter ſanctos relatus, qvoad Romana religio viguit, ab Orcadenſibus pro tutelari numine cultus eſt, de qvo deinceps plura: Filias Gunhildem & Ceciliam, cui maritus Iſachus, eorum filii Endridius & Kolus. Tertia Erlendi Comitis filia illegitima Jatvor, ejus filius Bergus.

CAP: XVII.

Haraldus Imperioſus ſeu Strenuus Rex Norvegiæ, expeditionem in Angliam movens, Paullum & Erlendum Comites Orcadenſes ſecum ducit, ibiq; caditur. Inter filios, Duces Orcadenſes, fratrum

trum concordiam lites labefactant. Hacon Paulli filius peregrinatus in Sveciam, fatidicum consulit. Inde Norvegiam repetens, Regem Magnum Nudipedem, (cujus Æra contra Scriptores Svedicos asseritur, ut & paternum uxoris ejus genus) ad bella in occidentem transferenda, instigat, qui in Orcades primò movens patrem ejus, & patruum captivos in Norvegiam mittit, mox Hæbudas occupat, Angliseyam infestat, Comitem Hugonem Sagittâ transverberat, cum Melcolmo Scotiæ Rege transigit, occiduas omnes Scotiæ insulas freto navibus pervio à Scotiæ continente diremtas lucratur, ejus in afferenda Canteria æstus. Ex omnibus insulis, regno constituto, filium Sigurdum Regem creat, sedemq; regiam Orcades facit. Kolo Kalii filio nuptias filiæ Comitis Erlendi conciliat. Norvegiam repetit, nono regni anno in Hiberniam expeditionem facit, post multas victorias, exactamq; hiemem magnamq; æstatis partem, Hibernorum fraude occiditur. Nostrorum Scriptorum traditiones cum exteris Scriptoribus conferuntur dissensus monstratur. Concluditur, Magnum prius ad sceptra Norvegiæ perveniisse, pluresq; expeditiones feciisse, qvàm nostrates notárunt.

Paulo & Erlendo, morte patris, ad Orcadum regimen provectis, Haraldus Sigurdus, à severiore imperio imperiosus, vel etiam strenuitate Strenuus dictus, è Norvegia cum ingenti classe, Hialtlandiæ primùm, inde Orcadibus advectus, Reginam Elisabetham, cum filiabus Maria & Ingigerde ibidem reliqvit. Auctis, ex insularum delectu, copiis, adsumptisq; in societatem expeditionis, utroqve Comite, in Angliam, classem direxit, Kliflandiæq; (Cliveland) litori appulsus, Scardaburgò (*Scarboruugh*) expugnato, ad Hellernesiam profectus, cum hoste certamine inito, victoriam reportavit. Die Mercurii, qvi festum Matthiæ (qvod in seqventem diem Jovis incidebat) præcessit, Eboraci, cum Comitibus Valthiofo & Morcaro confligens, Morcarum occidit. Dominicâ proximâ Eboracum oppidum ponti Stafnfiordensi (*Staimfordbrige*) adjacens, deditione receptum. Postridie relictis ad naves filio Olafo, cum utroqve Orcadum Comite, & affine suo Orrio ad ordinandam civitatem, classe egressus, in itinere ad prælium imparatus, obvium habuit Haraldum Godvinium Angliæ Regem, cum ingenti exercitu. Isto conflictu inter pugnandum Rex Normannorum fortiter occubuit. Peractâ cæde, Orrius cum Comitibus & reliqvis copiis superveniens, pugnam instauravit: cæsus & ipse cum potissima exercitûs parte. Secundùm eam victoriam Haraldus Angliæ Rex, Olafo filio Regis, Comitibusq; cum classe & copiarùm reliqviis, reditum in patriam permisit, qvi eodem auctumno anni nimirum MLXVI Hrafnseyrâ solvens in Orcadibus hiemavit. Ibi cognito, uno eodemq; die, eadem horâ, qvâ pater cæsus est, filiam Regis Mariam repentinâ morte sublatam concidisse fides invaluit. Ambos unâ eademq; animâ præditos fuisse. Florebant illo tempore res Orcadenses, Regum Norvegiæ favore & gratiâ, mutuæq; cognationis vinculo sustentatæ: erant enim matres Regum Comitumq; sorores patrueles. Primo vere Olafus in

Norvegiam redux unà cum fratre Magno, omnium ordinum voce, Rex renunciatus eſt. Longo deinde tempore, mutua Comitum concordia durabat, qvoad filii eorum adultiores facti: tum verò ingenita iis ferocia, longam tranqvillitatem labefactare, diſcordiæq; ſemina jacere cæpit. Neqve enim Hacon Erlingum, natalium ſplendore inferiorem, ſibi, utpote genere Regio ſato, Magni Regis nepoti, nec amicos ejus, ſuis pares haberi, nec Erlingus Haconem ſibi, nec amicos ejus ſuis præferri paſſus eſt. Magnus horum moderatiſſimus fuit. Hinc diſſidia in dies, auctis ſuſpicionibus, creſcere, tandemq; eò procedere, ut ne ſatis ſecuri invicem converſari poſſe viderentur. Igitur patres Comites, indicto conventu, diſſidii cauſſas cogniturі, eos inter ſe conciliare ſtudebant: verùm, cum ſuis qvisqve filiis magis, qvam æqvitati, faveret, translata qvoqve ad eos diſcordia, conventum ſimul, & diuturnam concordiam ſolvit. Magnâ qvidem Procerum ſubditorumq; moleſtiâ hæc geruntur, qvorum pars melior, ad reducendum priſtinum conſenſum, ſummo ſtudio allaborantes obtinuerunt, ut in Hroſſeya utriqve convenirent. Ibi inſulis, ex æqvo inter ſe diviſis, ad eum modum, qvi Patris eorum Patruiq; tempore obtinuit, amicè reconciliati, pactis qvidem ſtabant, qvoad Hacon Pauli filius, piraticâ plerumqve occupatus, domo aberat, qvi deinde ferocior, Patrui Patrueliumq; Miniſtros deprimere cœpit. Inde nova diſſidia, qvæ utrosqve ad præſidia, corporibus ſuis muniendis contrahenda, compulerunt, mox qvoqve ſecutæ impreſſiones mutuæ. His reprimendis Havardus Gunnaris filius, convocatis proceribus, in commune conſultare cœpit: verùm, cùm compoſitio, denuo tentata, non procederet, Erlingo eam, ni pacis oſor, & qvietis impatiens, Hacon inſulis excederet, ut fruſtraneam abnuente, res ad periculum ſpectabat. Communium igitur amicorum precibus ſollicitatus Hacon, ut publicæ utilitati privatis ſimultatibus poſtpoſitis, externarum nationum moribus inſpiciendis aliqvantiſper peregrinaretur, foris, qvàm domi, gloriæ comparandæ, materiam uberiorem ratus, facilè ſe exorari paſſus eſt. Nec promiſſa exſeqvi diſtulit, nam ſtatim, omnibus, qvæ uſus reqvirebat, comparatis, in Norvegiam navigavit, manſitq; ad breve tempus apud cognatum ſuum Regem Olafum, poſtremis Regni ejus annis. Inde in Sveciam ad Ingium ſeu Ingonem, Steinkelis filium, qvi ibi Regio titulo jureq; imperabat profectus, clementer excipitur. Ibi multi illi cognati amiciq;, à qvibus eximiè cultus eſt, in memoriam præcipuè Avi Materni, Haconis Ivaris filii, cujus fama in gente illa pergrata ſuperſtes remanebat: nam, poſtqvam ab Haraldo Strenuo, in exſilium pulſus eſt, ab Ingio benignè receptus provincias in Veſtro-Gothia & Vermalandia opimas, clientelari jure, beneficio ejus obtinuit, Regiq; & omni populo unicè acceptus, memoriam ſui honorificam, & deſiderium ſummum moriens reliqvit. Ejus exemplo Hacon cùm Regi primùm, deinde Purpuratorum ſingulis ſe commendâſſet, brevi eorum gratiam ſibi conciliavit: ſed nec diu moratus, anteqvam patriæ repetendæ deſiderio duceretur. Eà tempeſtate in Svecia Chriſtiana religio recens plantata, radices tenellas egerat, pluribus idololatriæ ethnicisq; ritibus deditis. Erant etiam, qvi magicis artibus, vel potiùs vaniſſimis ſuperſtitionibus, operam dabant, futurorum ſcientiam, fataq; hominum, inde collecturi. Ingio Principi pio, Chriſtianæq; religionis indefeſſo cultori, promotoriq; acerrimo, id genus hominum utpote Chriſtianæ inſtitutioni maximè noxium, valdè inimicum cùm eſſet, non illud modò, agmen, ſine lege Numinis vagum, ſed totum cum eo ethniciſmum, ritusq; & mores impios funditus exſtirpare omni ſtudio nitebatur, ejusq; veſtigia abolere. Qvod cùm Principes, primariiq; Cives, nimis ſe in ordinem cogi, invicem qviritantes, non ferrent, alium ſibi Regem ſacrificiis reducendis conſtituunt, fratrem nempe Reginæ Sveinum, inde Blot-Sveinum appellatum. Cujus metu Ingius in Gauthiam profugus, interjecto tempore, eum, de improviſo oppreſſum, incendio, cum ædibus, ubi habitabat, delevit, regnumq; iterum occupatum, ſanctioribus moribus & religione formavit.

Erat inter cæteros qvidam, qvi futurorum notitiam profitebatur, incertum (auctoris judicio) magicis artibus, an alio qvovis medio paratam: ab illo fatorum

ſuorum

ſuorum ſeriem cognoſcendi magnâ cupidine incenſus Hacon, ſedulò inqviſitum in oris maritimis deprehendit, ubi conviviis ruſticorum vicatim exceptus, futuram anni temperiem, & ejusmodi alia prædixit. Hunc de rerum ſuarum ſucceſſu, ſive ad imperia, ſive alia negotia, conſulens, nomen genusq; profiteri jubetur. Qvo cognito, unde, tibi, ait vates, me audiendi, arcanaq; per ſecreta artis meæ myſteria cognoſcendi cupido, cùm artis meæ Profeſſores, genus hominum majoribus tuis cognatisq; jam diu exoſum exſecratumq; fuerit: rectiùs hæc à proavo tuo, Olafo Craſſo exqviſiveris, cui omnem credulitatem jam pridem dicâſtis, qvem tamen aut minùs ſufficientem, aut ſi ſuffecerit, ſuperbiorem exiſtimo, qvàm ut viam tibi ad tam abſtruſæ rei notitiam pandere dignetur. Hacon ſe potiùs indignum, qvi Numen ejus conſuleret, qvàm potentiam tanti Divi attenuatam reſpondit: te verò, conſulendum ideo ſtatui, qvòd tum religione, tum aliis etiam moribus haud impares, nec nobis invicem invidendi videamur, nam reperit hîc patella operculum. Ille fiduciam ſui haud vanam futuram auguratus, imò magis conducturam, qvàm novam iſtam, qvæ jam dominaretur hominum animis, ſuperſtitionem, qvi ſe ipſos vigiliis, jejuniis & omnis generis abſtinentiâ affligant & excrucient, locoq; cognitionis rerum abſtruſarum, qvæ ſuam artem ſponte ſeqvatur, inediâ lentaq; tabe marceſcant, nullo neqve ipſis, nec eorum amicis, aut ad ſcientiam comparandam, aut qvalemcunqve rerum ſuarum ſucceſſum emolumento. Jubet itaqve bono animo eſſe: ſe enim nullam qvidem injuriam corpori ſuo illaturum, ſed nihilominus multò certiora ei relaturum, qvàm omnes Ingii Regis ſacrificuli, qvibus is omnia tribuat, expiſcari poſſint: triduum ad id reqviri, qvo exacto, ei redeundum. Interea temporis Hacon in eodem vico permanſit, qvo evoluto, illum in ſolitaria domo ſolum, alta ab imo pectore ſuſpiria ducentem, & manantem fronte ſudorem manu abstergentem, feſſumq; deprehendit, magni ſibi conſtitiſſe fatorum ejus notitiam, qviritantem. Depromere juſſus: longam (inqvit) tibi vitam longâ fatorum catena ducit; diu qvidem vives, famâ tamen eorum, qvæ admiſſurus es, longè diutius imò nullâ unqvam memoriâ obliteranda; patriæ tuæ ſolus tandem dominaberis, ſed dominatûs exſpectatione gravaberis, qvam habere, qvàm ſperare præoptabis; imperabunt & poſteri tui patriis arvis; proximus adventus tuus in patriam, magnas turbas ciet, canendiq; materiam ad poſteros Poëtis uberrimam; ſcelere te contaminabis, incertum, an expiabis; longiùs proficiſcere, qvàm perſpicio, nihilominus in ſeptemtrione morieris: dixi, qvæ comperta habeo, tu, prout libet, acqvieſces. Hacon multa qvidem prædixiſſe, meliora ſe tamen ſperaturum reſpondit, qvædam forte ei prætervisa crediturum: ille fidem dictis pro arbitrio ejus habendam, ſe tamen certa omnia, & omnino eventura attuliſſe aſſeverabat. His perceptis, ad Regem Ingium Hacon rediit, & poſt breve tempus, diſcedendi veniâ impetratâ, in Norvegiam ſe contulit ad Cognatum ſuum Magnum, Nudipedem dictum, qvi poſt Patrem Olafum Qvietum, ſeu Modeſtum vel potius, Pacificum à pacis ſtudiis, qvibus univerſum tempus, qvo regnavit, unicè deditus erat, nomen ſortitum. Hic idem Magnus filiam Ingii Steinkelis filii, Sveciæ Regis, uxorem duxit, unde manifeſtus error, qvi in Svedicam hiſtoriam irrepſit, oſtendi poteſt. Nam *Johannes Magnus*, eumq; ſecutus ſcriptorum recentiſſimus *Loccenius*, non hujus Ingii filiam Magnum duxiſſe ſtatuunt, ſed poſterioris Ingii Philippi, vel ſecundùm *Meſſenii Chronica Poetica*, Hallſteini, prioris Ingii fratris vel nepotis filii, nec ſynchroniſmum hujus Magni, & prioris Ingii agnoſcunt, qvamvis Loccenius Magnum omnibus hiſce Regibus æqvalem, ſtatuat. De Ingio qvippe Steinkelis filio tradit, bellum ei fuiſſe cum Jarisleifo Ruſſorum, Magno Norvegorum, & Sveno Danorum Regibus, & propugnacula, ad Vennerum lacum ſita, à Magno illum recuperâſſe. Id qvod Chronica Norvegica etiam tradunt in Magno Nudipede. De hujus autem ætate nullum eſt dubium: nam omnium, tum Norvegorum, cum Anglicorum Scriptorum ſuffragiis clarum. Ideoqve indubitatum eſt Haraldum Strenuum Norvegiæ Regem in Anglia prælio cæſum eſſe anno Chriſti MLXVI, proximo die lunæ, poſt feſtum Mathiæ, id eſt XXV Septembris.

Seqventi anno, qvi eſt MLXVII, Olafus Rex creatus Patri ſucceſſit, regnavitq́; ſecundum vulgarem calculum annos XXVI, deceſſit autem anno Chriſti MXCIII. ſucceſſit Magnus Nudipes, regnavitq; annos X, & deceſſit anno Chriſti MCIII. Jam verò *Loccenius* in ſuâ Chronologiâ principium Imperii Ingii, Philippi filii, in annum Chriſti MCX refert: ejus igitur filiam ducere Magnus non potuit, qvippe ante ſeptennium mortuus, qvàm Ingius Rex factus eſſet. Qvod ſi utriusqve Ingii tempore vixit, & cum utroqve bellum geſſit, ut *Loccenius* haud obſcurè tradit, certè ex ipſius Chronologia, hujus imperii periodus inter annum Chriſti MLXIII & MCXII vertitur, ſpatiumq́; XLIX annorum vel implet, vel ſuperat: nam ſeptimo Imperii ſui anno, Ingii filiam ſibi matrimonio junxiſſe, hiſtoria Norvegica tradit: Id qvod imperii ejus ſpatium longiùs adhuc producit. Atqvi non triginta annos vivendo, nedum regnando implevit.

Sed nec levior alter error de genere Steinkelis Sveciæ Regis, hujus Ingii patris, Svedicos ſcriptores abripuit, ad hujus Æræ demonſtrationem pluribus excutiendus. Olafi Skotkonungi ex ſorore nepotem *Johannes Magnus*, *Loccenius* ejus, vel etiam ſecundùm *Adamum Bremenſem* Emundi nepotem facit: atqvi genus ejus ab Haraldo Pulchricomo noſtri ſcriptores luculentiſſimè exponunt, à qvo, qvinto gradu diſcendit, hac ſerie. Mater ei Aſtridis, avus Niall, proavia Gunnhildis, abavia Ingibiorg, qvæ Halfdano Comiti cuidam nupſit, Ingibiorgis pater Haraldus Pulchricomus. Steinkelis filius Ingius, ejus filia Margaretha Fridcolla, Magno Nudipedi primò, deinde Nicolao Daniæ Regi nupta, ab Haraldo Pulchricomo ſeptima, à qvo Magnus Nudipes etiam ſex gradibus diſtat, hoc modo. Pater ei Olafus Pacificus, avus Haraldus Strenuus, proavus Sigurdus Syr, abavus Halfdanus, atavus Sigurdus Hriſius, tritavus ipſe Pulchricomus. Cùm igitur graduum inter eos differentia ſynchroniſmum non oppugnet, certiora hæc videntur, qvàm qvæ Scriptores Svedici tradunt. Accedit, ſororem hujus Margaretæ Chriſtinam nupſiſſe Haraldo Ruſſiæ Regi, qvi ſexto gradu dependet ab Eirico Emundio Sveciæ Rege, & Haraldo Pulchricomo æqvalis in Svecia regnavit, cujus filius Biornus de Colle, nepos Eiricus Victorioſus, pronepos Olafus Skotkonungus, abneptis Ingibiorg locata Jarisleifo Ruſſiæ Regi, qvorum filius ſed Eirici atnepos Valdimar, trinepos Haraldus, patris in regnum ſucceſſor, cui uxor fuit Chriſtina, Ingii Regis Sveciæ filia, Margaretæ Fridcollæ ſoror. Atqve hæc ſibi amicè conſentiunt, noſtriq́; auctoris traditionem ſtabiliunt, qvi Ingium Steinkelis filium Magno Nudipedi æqvalem fuiſſe tradit. Suffragatur his Nicolai Daniæ Regis Æra, qvi Magni Nudipedis viduam Margaretam poſtea duxit, ejus imperium ſecundùm *Hvitfeldium*, ab anno Chriſti MCVII initium capit, qvadriennio poſt obitum Magni Nudipedis. Hinc tempus, qvo Hacon in Sveciâ & Norvegiâ vixit, conſpicuum eſt. Nunc eò unde digreſſus ſum, redeo.

In Norvegiam vectus Hacon, cognovit Erlendi Comitis filios in Orcadibus omnia poſſe, ſubditosq; univerſos, eos in oculis ferre, lætos abſentiâ ſuâ, & qvo diuturniore, lætiores: ſuum autem patrem imperii ſecurum, in adminiſtratione eorum acqvieſcere, Proceresq́; & populum, partæ pacis commodis contentos, vereri, ne ſuo reditu tantis bonis priventur, ſubitoq́; turbis, diſſidiis, belliſq́; &, qvæ talia ſeqvuntur, calamitatibus involvantur. Hinc metuens, ne ſibi aditum ad imperium intercludant patrueles, munendum ſe adverſus eorum potentiam ratus, Magnum Norvegiæ Regem in partes ſuas trahendum ſtatuit. Qvod perfacile futurum animadvertit: partim qvòd, pacatis internis motibus, ſublato Thorere de Steig & Eigile de Aurlandia, perduellionis anteſignanis (id qvod cum *Chronico Norvegiæ* concordat, non item cum ætate Regis Melcolmi, qvi id temporis mortuus traditur, ut infra dicetur) nihil intra regni penetralia eſſet, unde ſeditiones aut periculum metueret: partim qvòd ingenium ejus vaſtum, gloriæ juxta ac imperii dilatandi cupidum, aliorumq́; Principum ditionibus inhians; ex ſermonibus ſæpius cum illo inſtitutis obſervaret. Nactus itaqve occaſionem, glorioſum tantoq́; Principe dignum prædicavit, mari tranſmiſſo, in Occidentem expeditionem facere, inſulasq́;

qvas

qvas domuit Haraldus Pulchricomus, ad obſeqvium Regni Norvegici reducere, occupatisq; deinde Hæbudis, Scotiam & Hiberniam irruptionibus incurſionibusq; patere: qvas ſi poſſet domare, eſſet, unde ingens ſupplementum haberi poſſit: ſingulas namqve victorias ſeqventium bellorum inſtrumenta futuras, ad ultimum qvoqve Angliam in ultionem Haraldi Avi ejus infeſtandam. His auditis, rectè eum & pro Majeſtate ingenioq; regio monuiſſe Magnus ait: verùm ſi ſe ad res tam arduas, & ſumptuoſas perſuadere verbis ejus patiatur, certè imperii occidentis partibus, impenſas ſuas penſaturum, ne habito qvidem reſpectu, ad qvem pertineant. Se ſuosq; haud obſcurè intelligi agnoſcebat Hacon: itaqve ad expeditionem, ſuis rebus nihil profuturam, parenti etiam noxiam, eum ulterius adhortari deſtitit. Sed nec ultra adhortatione opus erat, avaritiâ & faſtu ſatis ſuperq; ingenium Regium ſtimulantibus: nihil enim in votis prius habuit, qvàm, ut expeditionem eam primo qvoqve tempore adornaret. Mox itaqve ex univerſo Regno, ſingulisq; provinciis militem evocat, delectum præfectis imperat, claſſem parat, commeatum injungit, publiceq; profitetur, ſe in occidentem claſſem trajecturum. Parent ſatrapæ Regi, ſatrapis populi: ex omni Regni angulo, intenſiſſimâ conqviſitione, excita pubes, ad naves confluit qvas ſexaginta *Ordericus Vitalis* numerat, *Chronicon* verò *Mannia* centum adjicit. Ipſe Rex auſpiciis ſuis & imperio omnia dirigens, filium nomine Sigurdum, magnæ indolis & ſpei puerum octennem, ſecum ducit. Ducum præcipui. Vidkunnis Jonis filius, de Biarkeya, pronepos Thoreris Hundi ſeu Canis, ejus, qvi Divum Olafum letiali vulnere percuſſit; pater ei Jon Arnii filius; Arnius frater erat Kalfi, Comitis Finni, & Thorbergi, cujus filiam Thoram, Haraldus Strenuus, uxorem duxit: fuere itaqve Vidkunni pater, & Comitum Erlendi & Pauli mater, ex ſuo qvisqve fratre procreati. Vidkunni mater Ranveig, avus Sigurdus, Thoreris Hundi filius. Alter ducum Sigurdus, Hranii filius, fraterq; ejus Ulfus; tertius Serkus de Sognia; qvartus Dagus Eylifi filius; qvintus Scoptius de Giſcio, Thorbergi Arinni nepos, Erlingiq; Skialgii de Solio pronepos, cum filiis Augmundo, Thordo & Finno. Horum ſinguli provinciarum Præfecti. Securi præter hos Eyvindus Olbogius, id eſt cubitus convexus, Regis Stallarius, & Kalius de Agdis, & ipſe magni nominis præfectus, Sæbiorni filius, Thorleifi Sapientis, nepos, ejus, qvem Halifredus periculoſus Poëta natione Iſlandus, altero oculo, juſſu Olafi Trygvini Norvegiæ Regis, pio zelo incitati, orbavit. Fuit autem Kalius ipſe vir ſapiens, Poëta eximius & Regi in paucis carus. Orcadibus advectus, Comitibus Paulo & Erlendo captivis, in Norvegiam miſſis, filiisq; eorum Hacone, Erlingo, & Magno militiæ ſuæ adſcriptis, ſeq; ſecutis, filium Sigurdum inſulis præpoſuit, arbitrio conſiliariorum moderatorumq; ſub ejus nomine, adminiſtrandis. Infuſusq; in Hæbudas agros populatus incendiis & cædibus, villas vicosq; vaſtavit, indigenis qvaqva verſum diffugientibus: alios enim fuga in ſinus Scoticos, alios in auſtros ad Saltiriam, (aliis exemplaribus iisqve pluribus Satiria eſt, hodie Canteria) provexit: alii deditione recepta. Lodhuſa, omnium prima, expugnata, carmine id Biorno Curvimano teſtante. Scidia inde infeſtata, tributisq; ſubmiſſa; deſumptum inde pecus ad alimenta exercitûs. Mox inſulæ Tirviſt & Iviſt petitæ & exſpoliatæ. Ab inſulæ Sanctæ (S. Patricii) incolis prælium, direptionesq; abſtinuit, urbemq; ingreſſus, civibus pepercit: minorem Sancti Columbi ædem, cum aperuiſſet (alii ſaltem aperire voluiſſe tradunt, diſcrepant enim in hoc bina exemplaria pergamenea) nec tamen intràſſet, ſtatim occluſiſſe perhibetur, monitis in poſterum omnibus, ne qvis temerè ingrediatur: id qvod exinde obſervatum conſtat. Miſſca (forte Mula) poſtea expugnata, univerſæq; aqvilonaris inſulæ. Ulterius in auſtrum ad Ilam proceſſum, ibiq; rapinis, incendiis, cædibus longo tempore ſævitum. Inde eodem curſu ad Saltiriam navigatum; ab utroqve latere circumjacentes regiones, hinc Hibernia illinc Scotia, excurſionibus, & pari populatione interjacentes ad Monam uſqve vaſtatæ, eodem Poëta teſte, ipſaqve cum adiacentibus expugnata. Gudriodi Hæbudarum Regis filius nomine Lagmannus, Nordureyis, ſeu inſulis aqvilonaribus, tutelæ relictus, inſuſi in Hæbudas Magni vim ſuſtineri poſſe diffidens, fugâ, ſe ſub-

ſe ſubducturus, in inſulis aliqvantiſper delituit. Hiberniam deinde navi petentem, milites Magni à fuga, cum claſſiariis retractum adduxerunt, cui compedes ferreæ, mandato ejus injectæ. Haud obſcure auctor, qvem ſeqvimur, verbis hoc ſenſu deſcriptis, tum etiam hiſtoriæ Norvegicæ exemplaria MSS. plurima conſenſu innuunt, Gudriodum his temporibus imperium Hæbudarum Regio, filium Lagmannum præfecti titulo Nordureyas tenuiſſe, Mannenſium forte reliqviis in officio continendis. Bretlandiæ deinde (qvæ & Cornavia) claſſis appulſa, in fretum, qvod Angliseyam & continentem interfluit, provecta eſt unde ripa utraqve tam continentis, qvàm inſulæ jaculis infeſtata. Ad qvam claſſem litoribus arcendam validus in Cornavia exercitus, Ducibus Hugonibus duobus, Comitum dignitate conſpicuis, qvorum alter Generoſus, alter Groſſus appellabatur, ſubito exortus eſt: prælium inde acre, mutuo animorum ardore incruduit. Omnibus arma expedientibus, Magnus, Comitis Erlendi filius, in anteriore navis parte, cùm conſideret inermis, Rex cur ad arma non iret, exqviſivit: reſpondenti, cum iſtis hominibus, nullam ſibi, utpote nunqvam laceſſito, controverſiam, itaqve (ait) foros ſubi, itaqve te conde, ne ante pedes pugnantium proſtratus, impedimento ſis qvandoqvidem pugnare non audes, neqve enim religione te prohiberi exiſtimem. Is, omiſsâ corporis muniendi curâ, accepto pſalterio, Regiis divini Poëtæ hymnis, qvoad pugna durabat, relegendis ſe munivit: duravit autem longo tempore, ſtrenueq; ab utraqve, parte eminus jaculis, cominus gladiis res gerebatur. Hugonis Generoſi, memorabilis in primis virtus, eo prælio enituit, fiducia armaturæ nonnihil forte excitata: univerſum enim corpus, oculos præter gerendorum Duces arbitrosq;, firmiſſimâ loricâ munitus, cùm, pericula ſibi depoſcendo, ſuos ad imitandum exemplo provocaret, ipſum Magnum in ſe convertit, qvi, cùm eo die rem arcu gereret, aſſumto ſagittario, inter Halogenſes peritiſſimo, ſimul in eum, jacula dirigunt: caſſis, qva naſum tegebat, telo, qvod is propulit, ad latus decidente, collineata, altero oculus occiputq; transverberata, proſtrati Comitis gloria vel infamia, penes Regem duobus rythmis Chronicis adhuc contentis celebrata, auctor alterius Biornus Curvimanus, eorum temporum Poëta celebris, alter Thorkell Hamarskald ei æqvalis, qvibus Simon Dunelmenſis ad eundem annum ſuffragatur his verbis:

Anno MXCVIII Wintonienſis Epiſcopus Valcelinus in Nonas Januarii, die Dominica obiit. Æſtatis tempore Rex Anglorum Wilhelmus junior civitatem, qva Cnioman-nis vocatur, magnam partem illius provinciæ per vim ſuæ ditioni ſubegit. Interea Comes Hugo de Scrobbesberiâ Manavtam inſulam, qvæ conſvetè vocatur Angliseye, & cum eo Comes Hugo de Ceſtre cum exercitu adierunt, & multos Walanorum, qvos in ea ceperat, occiderunt, qvosdam verò manibus & pedibus truncatos, teſticuliſq; abſciſis excæcaverunt, qvendam etiam provectæ ætatis præsbyterum nomine Cenredum, à qvo Walani in his qvæ agebant, conſilium accipiebant, de Eccleſia extraxerunt, & ejus teſticulis abſciſis, & uno oculo eruto, lingvam illius abſciderunt, ſed die tertio, miſeratione divinâ illi reddita eſt loqvela. Eo tempore Rex Norriganorum Magnus, filius Regis Olavi, filii Regis Haraldi Harvagi Orcadas & Menavias inſulas, cum ſuo adjecuſſet imperio, paucis navibus advectus illuc venit, multis armatis militibus in ipſa maris ripa illi occurrit, & ut fertur, mox ab ipſo Rege ſagittâ percuſſus VII die, qvo crudelitatem in præfatum exercuerat presbyterum, interiit. Factum bonis exſecratum, à ſe vel ipſe vel poſteri amoliri voluiſſe ex *Orderico Vitali* diſcimus. Cæde Comitis territi cæteri illico in fugam verſi, præmium victoriæ Angliseya, ditioni ejus ceſſit, extrema in Occidente imperii Pulchricomi qvondam pars, ultra qvam Norvegorum neminem, imperii limites eo ſitu extendi e legimus, vel ut habet *Codex Regius MS. Kringla*, qvo Reges anteriores, qvi Norvegiam tenuerunt, longiſſimè in auſtrum (occidentem intelligit) imperii limites extenderunt, innuens præter Pulchricomum etiam alios hanc qvoqve inſulam poſſediſſe. Hæc inſula illo tempore Cornaviæ, qvam Bretlandiam vocabant, triens cenſita eſt. Verùm victoria haud incruenta fuit; magnâ, primi ordinis, virorum jacturâ, majore militum ſtrage, & pene maximæ partis vulneribus conſtitit. Inter cæteros Kalius multisvulneribus, nec ſingulis lethalibus

bus confossus: Sigurdus verò Sneis, ejus agnatus, Agdarum sat apa, occubuit. De Erlingo, Comitis Erlendi filio, Scriptores variant: Noster hoc prælio, Snorrius Sturlæus, pluraq; exemplaria pergamena, in Hibernia, una cum Rege Magno cæsum tradunt. Post prælium in Angliseya, Magnus, Comitis Erlendi filius, mensæ Regiæ ministerio adhiberi solitus, dapibus ferendis, qvamvis nec casside, lorica, aut ocreis, aut firmiore adversus densas telorum grandines integumento, munitus prope miraculum, illæsus evaserit: tamen, qvòd prælium detrectaret, contemni à Rege cæptus: indignationi se subducturus, clam noctu aufugit, dum milites qværerent, intra saltus latitans. Tandem in aulam Regis Scotiæ provectus, interdum ibidem remansit, interdum in Anglia vel Cornavia ad Episcopum qvendam, spontaneo à patria, qvoad Rex Magnus vixit, exsilio. Hæbudis & Angliseyâ subactis, dum Scotiæ litoribus infesta admovetur classis, oratores à Melcolmo obviàm missi, pacem cessione omnium insularum, ab occiduo Scotiæ litore ita directarum, ut lembo, gubernaculo directo, intermeari posset, impetrant. Mox Cantiria, (olim Satiria) peninsula singulis Hæbudarum præferenda, æstu Magni, conditiones, pacis ad utilitatem suam, pravâ interpretatione, detorqventis, insulis annumerata: Isthmum enim, qvo continenti jungitur, lembo, clavum in puppe tenens, terrestri itinere transvectus, navigantis specie navali intermeâsse professus, peninsulam extorsit. Edoctus, credo, sophisma à Beitio Goris filio, Noris, Norvegiæ eponymi, ex fratre nepote, qvo magnam Thrandheimi provinciæ accessionem, multis retro seculis nactus erat. Tantam victorum insolentiam, victis æqvi boniq; consulendam, Gallorumq; illud Væ victis, in Romanos obsessos jactum, & audiendum & concoqvendum, necessitas præscribit. Omitto in præsens aliud raræ insolentiæ exemplum, planè barbarum, ab hoc eodem Magno in Hiberniæ Regem Murcardum editum, qvod *Chronico Mannia* proditum, nostris non item scriptoribus, & proinde suspectæ fidei, Chronici tamen verbis, infra referendum: licèt in aliis insignis inter utrosqve in hujus Regis aliorumq; gestis consensus, dissensus in paucis appareat. Pace cum Scoto factâ, cùm Magnus se in Hæbudis hyematurum significaret, deprehendit multos patriæ revisendæ cupidos: variis enim sermonibus inter se mussitabant, exsilium magis, qvàm militiam indici; abutiq; sudore suo & sangvine Regem, ad aliena ipsi conqvirenda; nec qvæsitis posse satiari, cùm pingviora cupido ostendat, qvàm qvæ parta essent; & qvantumcunqve qvæsiverit, semper tamen plura, majoraq; restare; eundem militiæ laborumq; sibi, qvi avaritiæ Regis, finem exspectandum. Rex sauciorum vulneribus inspectis, Consiliarios de rerum deinceps gerendarum ordine consuluit: in his erat Kalius, cujus vulnera ægre sanari, nec certum, qvo fine terminarentur, cognovit. Is super incidentibus negotiis consultus, svasit, ut exercitum lustraret: relatum qvippe sibi, eos, qvibus plurimum fideret, qvantumvis magnis beneficiis obnoxios, dilabi. Ægre id Rex primò credere, ægriùs etiam fidem suam, spemq; de illis conceptam eludi, ferre: anteqvam multos amicorum furtim elapsos desiderabat. Qvorum nomina ad Kolium cùm detulisset, is disticho munera & largitiones in tales haud utiliter expensas, eorumq; ingratum animum perstrinxit: Rex aliud statim subnectens, replicuit, qvorum utrumqve adhuc exstat. Inde custodes instituti, qvi, ne qvis proinde aufugeret, sedulò providerent. Dum in Hæbudis erat Rex, filio Sigurdo, novem annorum puero, filiam Regis Myrkiartanis. (Murcardum *Chronicon Mannia* appellat Thialbi, Waræus Moriertachum Tirdelvaci, filium, nostrates Connactiæ Regem) nomine Biadmoniam, aliis Hiadmoniam, virginem qvinqve annorum, despondit. Hac eadem hyeme, Kalius ex vulneribus, in freto Angulseyensi acceptis, decessit. Proximo vere Hæbudis in Orcades delatus, cognovit eadem hyeme utrumqve Comitem in Norvegia mortalitatem expleviſſe, Erlendum qvi Nidarosiæ, Paulum, qvi Bergis situs est. Kolo Kalii filio, in solatium paternæ cædis, Comitis Erlandi filia Gunnhildis à Rege locata: dos dicta, prædia qvædam in Orcadibus, & villa in Papuleya; adjectus qvoqve honor inter nuptias, ut satraparum Regiorum collégio adlociaretur. Inde in Norvegiam cum uxore Regem secutus, in patrio prædio in

Agdis reſedit. Duo ex illo conjugio liberi, filius Kalius, filia Ingiridis qvos magnæ exſpectationis, ſollicita parentum cura educavit. Tradit *Chronici Norvegici antiquiſſimum exemplar* etiam Regium, Magnum, ſub reditum in patriam, Sigurdum filium, Orcadibus, & omnibus inſulis, tranſactione qvæſitis, cum Regio titulo præfeciſſe, Haconiq; Pauli filio, & Erlingo, Erlendi filio, curam ejus commendâſſe. Nono Regni anno, iterum Magnus Norvegiâ, magnâ claſſe, mare transvectus, Hiberniam bello qvaſſans in Connactia apud Regem Myrkiartanem ſeu Murcardum hyemavit, initâ cum eo ſocietate belli, Dublinum cum ſubjecta provincia, Dublinskire expugnatum, inſeqvente vere, pluribus provinciis ſociis armis ſubactis, Myrkiartan domum rediit. Rediturus & in Norvegiam Magnus, præſidio Dublini relicto, Ulaſtiram, ſev Ultoniam, noſtris Ulaſtyr, claſſem appulit: ibi dum commeatum, à Myrkiartane miſſum, exſpectat, inconſideratiùs in ſepta paludibus, impeditaq; loca, cum exercitu exſpatiatus, ab Hibernis, occaſionem iſtam temerè oblatam, obviis ulnis amplectentibus, ex inſidiis, undiqve exortis, circumventus, cum magna copiarum parte, dum ſolo depreſſiore ſe emergere inſtitit, occiditur, die Bartholomeo feſto, anno à nato JESU MCIII. Sigurdus filius, cognitâ patris cæde, relictâ in occidente uxore, Regis filiâ, patriam repetivit. His ſecundum ſcriptorum noſtrorum conſentientem traditionem expoſitis, nec ulla ex parte immutatis, aliorum etiam narationem breviter ſubjiciam: mox meum de ſingulis judicium curioſo lectori examinandum. Agmen *Chronicon Mannia* ducit.

Anno Domini 1047. *obiit pia memoria Edvardus Rex Anglie, cui ſucceſſit in Regnum Haraldus Godvini, contra qvem Haraldus Harfager Rex Norvegia prælium commiſit apud Stainfordbrige, & Angli victores exiſtentes, omnes fugâvit, de qva fuga qvidem Godredus cognomento Chrovan filius Haraldi Nigri de Iſelandia fugiens, venit ad Godredum filium Syrric, qvi tunc regnabat in Mannia, & honorificè ſuſceptus eſt ab eo. Eodem anno Guilielmus Baſtardus debellavit Angliam, & Godredus filius Syrrich Rex Mannia obiit, cui ſucceſſit filius Fingal.*

Anno 1066. *Godredus Crovan collegit multitudinem navium, & venit ad Manniam, prælium cum populo terra commiſit, ſed ſuperatus & fugatus erat, iterum exercitum ad naves coadunavit, venit ad Manniam, pugnavit cum Mannenſibus, victus & fugatus eſt. Tertio congregavit multitudinem copioſam, & venit noctu ad portum, qvi vocatur Ramſa, & trecentos viros occultavit in ſilva, qva erat in devexo montis ſupercilio, qvi vocatur Scacaſel. Orto lucis ſydere, Mannenſes conſtruxerunt aciem ſuam, & magno impetu facto, congreſſi ſunt cum Godredo, cumq; pugna vehemens eſſet, trecenti viri ſurgentes de inſidiarum loco à tergo, Mannenſes debilitare cæperunt, & in fugam compellere, cum autem vidiſſent ſe ſuperatos, nec aliqvem diffugii locum ſibi patere, nam reuma maris ramſa alveum impleverat, & hoſtes ex altera parte conſtanter perſeqventes, qvi tunc remanſerant, clamore miſerabili poſtulabant à Godredo vitam ſibi donari. Ille autem flexus miſericordia, & miſerans calamitatem eorum, qvi apud ipſos per aliqvod tempus nutritus fuerat, revocavit exercitum & prohibuit ne eos diutius perſeqverentur. Godredus ſeqventi die optionem exercitui ſuo dedit, ut ſi mallent Manniam inter ſe dividere, & in ea habitare, vel tantùm ſubſtantiam terra accipere, & ad propria remeare: Illis autem magis placuit totam inſulam vaſtare, & de bonis illius ditari, & ſic ad propria reverti, Godredus autem cum paucis, qvi ſecum remanſerant, de inſulanis auſtralem partem inſule & reliqviis Mannenſium aqvilonarem tali pacto conceſſit, ut nemo eorum aliqvando auderet jure hereditario ſibi aliqvam partem terra uſurpare, unde accidit, ut usqve in hodiernum diem tota inſula ſolius Regis ſit, & omnis reditus ejus ad ipſum pertineat. Igitur Godredus ſubjugavit ſibi Dublinam, & magnam partem de Layneſtir; Scotos verò ita perdomuit, ut nullus qvi fabricaret navem vel ſcapham, auſſus eſſet plus, qvàm tres claves inſerere. Regnavit autem ſexdecim annis, & mortuus eſt in inſula, qva vocatur Yle, reliqvit ſanè tres filios, Lagmannum Haraldum & Olaſum. Lagmannus, natu major, regnum arripiens, ſeptem annos regnavit. Rebellavit autem contra eum Haraldus frater ejus multo tempore, ſed tandem*

tandem captus à Lagmanno, genitalibus & oculis privatus est. Posthac Lagmannus pœnitens, quòd fratris sui oculos eruisset, sponte Regnum suum dimisit, & signo crucis Dominicæ insignitus, iter Jerusolymicarum arripuit, quo & mortuus est.

Anno 1075. omnes Proceres insularum, audientes mortem Lagmanni, miserunt, legatos ad Murecardum O-Brien, Regem Hiberniæ, postulantes, ut aliquem virum industrium de Regali stirpe in Regem eis mitteret, donec Olafus filius Godredi cresceret. Annuit eis Rex libentissimè, & quendam Dopnaldum filium Tade ad eos misit, monens & præcipiens ei, ut cum omni benignitate & modestia, Regnum, quod sibi non debebatur, gubernaret. Sed ille post, quam ad Regnum pervenit parvipendens præcepta domini sui, cum magnâ tyrannide abusus est Regno, &, multis sceleribus perpetratis, tribus annis enormiter regnavit. Tunc omnes Principes insularum, unâ conspiratione commoti, adversus eum congregati sunt, & expulerunt à finibus suis: ille autem fugiens ad Hiberniam non est ultra reversus ad eos.

Anno 1077. quidam Ingimundus missus est à Rege Norvegiæ, ut regnum insularum arriperet: cumq; ad insulam Leodus pervenisset, misit nuncios ad omnes Principes insularum, præcipiens in unum convenirent, & constituerent eum Regem. Interim verò ipse cum sociis suis, rapinis & commessationibus vacabat, mulierum & puellarum pudicitiam violabat, & fœdis voluptatibus, & carnis illecebris operam dabat, cumq; hæc nunciata fuissent Principibus insularum, jam in unum ad constituendum eum Regem congregatis, nimio succensi furore properaverunt ad eum, & supervenientes nocte, domum, in qua erat, combusserunt, & eum cum omnibus suis partim ferro, partim flammis, extinxerunt.

Anno 1098. fundata est abbatia S. Mariæ Cistertii; Antiochia à Christianis capta est; & cometa apparuit.

Eodem anno commissum est prælium inter Mannenses apud Sartwat, & aquilonares victoriam obtinuerunt, in quo bello occisi sunt Other Comes, & Macmaras, Principes ambarum partium.

Eodem anno Magnus, Rex Norvegiæ, filius Olavi, filii Haraldi Harfagre, volens explorare incorruptionem S. Olavi Regis & Martyris, præcepit, ut ejus mausæolum aperiretur. Episcopo autem, & Clero resistente, ipse Rex audacter accessit, & vi Regia aperiri scrinium fecit, cumq; & oculis vidisset, & manibus attrectâsset incorruptum corpus, subito timor magnus irruit in eum, & cum magna festinatione discessit. Sequente nocte Olavus Rex & Martyr ei per visum apparuit, dicens, elige, tu, inquam, unum è duobus, vel vitam cum Regno infra triginta dies amittere, vel à Norvegia discedere, & eam amplius nunquam videre. Expergefactus Rex à somno, vocavit ad se Principes, & majores natu, & exposuit eis visionem; illi autem conterriti, hoc consilium dederunt ei, ut cum omni festinatione de Norvegia exiret. Ille sine mora coadunari fecit classem, centum sexaginta navium, & ad Orcadas insulas transfretrat, quas sibi statim subjugavit, & transitum faciens per universas insulas, easq; sibi subjiciens pervenit usque ad Manniam, cumq; applicuisset ad insulam S. Patricii, venit videre locum pugnæ, quam Mannenses paulo ante inter se commiserant; quia multa adhuc corpora occisorum inhumata erant. Videns autem insulam pulcherrimam, placuit in oculis ejus, eamq; sibi in habitationem elegit; Munitiones in ea construxit, quæ usque hodie ex ejus nomine nuncupantur. Galwedienses ita constrinxit, ut cogeret eos materias lignorum cædere, & ad litus portare, ad munitiones construendas. Ad Moniam insulam Walliæ navigavit, & duos Hugones Comites invenit in ea, unum occidit, alterum fugavit, & insulam subjugavit. Wallenses verò multa munera ei præbuerunt, & valedicens eis ad Manniam remeavit; Murecardo Regi Hiberniæ misit calceamenta sua, præcipiens ei, ut ea super humeros suos, in die natalis Domini per medium domus suæ portaret in conspectu nunciorum ejus, ut inde intelligeret se subjectum esse Magno Regi. Quod audientes Hibernienses, ægrè ferebant, & indignati sunt nimis. Sed Rex saniori consilio usus: non solum, inquit, calceamenta ejus portare, verùm manducare mallem, quàm Magnus Rex unam provinciam in Hibernia destrueret. Itaque complevit præceptum, & nuntios honoravit, multa quoque munera per eos Magno Regi transmisit, & fœdus com-

compoſuit. Nuntii verò redeuntes ad dominum ſuum, narraverunt ei de ſitu Hiberniæ & amœnitate, de frugum fertilitate, & aëris ſalubritate. Magnus verò hæc audiens, nihil cogitabat, quàm totam Hiberniam ſibi ſubjugare. Itaque præcepit claſſem congregare; ipſe verò cum ſedecim navibus procedens explorare terram volens, cum incautè à navibus diſceſſiſſet, ſubito ab Hibernienſibus circumvallatus interiit, cum omnibus ferè, qui ſecum erant. Sepultus eſt autem juxta eccleſiam S. Patricii in Duno, regnavit ſex annis. Quo mortuo Principes inſularum accerſerunt Olavum filium Godredi Crovanis, qui degebat in curia Henrici Regis Angliæ filii Guilielmi.

Anno 1102. *Olavus, filius Godredi Crovan, regnare cœpit, & 40. annos regnavit, vir pacificus habuit omnes Reges Hiberniæ & Scotiæ ſibi confœderatos, accepit in uxorem Affricam filiam Terguſiti de Galewedia, de qua genuit Godredum, ex concubinis ſuſcepit Regnaldum, Lagmannum, Haraldum, & filias multas quarum una nupſit Sumerliao regulo Herergaidel, quæ fuit cauſſa ruinæ totius regni inſularum, genuit ex ea filios quatuor, Dulgallum, Raignaldum, Engus & Olavum.*

Ordericus Vitalis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib: X, licèt geſta Magni per Hæbudas & Angliseyam ad annum MXCVIII. conſentiente *Simone Dunelmenſi* referat, unoq; contextu ſingula exponat, tamen accuratiùs inſpectus, qvæ confundit, diſtinxiſſe, deprehenditur, ejus verba, qvæ huc faciunt, ita habent.

Anno ab incarnatione Domini MXCVIII Magnus Olavi Noricorum Regis filius contra Irenſes inſurrexit, & claſſem LX navium ſuper illos navigaturus præparavit (& paucis interjectis) Nunc mea mens cauſſam & eventus belli enodare ſatagit, qvod Magnus Rex in Hibernos arripuit, & multa multis detrimenta & ſtrages intulit. Hic filiam Regis Irlandæ uxorem duxerat. Sed qvia Rex Irenſis pactiones, qvas fecerant non tenuerat, Magnus Rex ſtomachatus, filiam ejus ei remiſerat, bellum igitur inter eos ortum eſt. Anno V. Guilielmi Ruſi Regis Anglorum, undique bellicas copias extraxit Rex Nortwigenarum, & ſubſolano flante, oceanum perluſtrans, Orcades inſulas adiit, Scotiam à parte Circii circumvit, & alias inſulas, qvæ ad ſuam ditionem pertinent, usque in Angleseyam penetravit. Hiberniam ingredi volvit, ſed irenſibus in maritimis litoribus ad bellum paratis, alias divertit, inſulam Man, qvæ deſerta erat, inhabitavit, populis replevit, domibus & aliis neceſſariis, ad uſus hominum gnaviter inſtruxit. Alias qvoque Cicladas in magno mari, velut extra orbem poſitas perluſtravit, & à pluribus populis inhabitari, Regio juſſu coëgit ſeq; per plures annos ad augmentum Regni, & dilatationem plebium, tali ſtudio exercuit. Qvondam Princeps militiæ Magni Regis cum ſex navibus in Angliam curſum direxit, ſed rubeum ſcutum, qvod ſignum pacis erat, ſuper malum navis erexit. Maritimæ verò plebes, qvæ in Anglia litus infiniti amphitritis incolebant, in boreali climate, ut barbaricas gentes, & incognitas naves viderunt ad ſe feſtinare, præ timore nimio vociferatæ ſunt & armati qviq; de regione Merciorum convenerunt. Tunc nimirum inter Anglos & Gualos, ingens erat conturbatio, ideoq; cunctos ad arma concitabat actutum omnis repentina vociferatio. Duo Conſules, qvibus Merciorum præcipue regio ſubjacet, & ambos uno Hugonis nomine, omen edocet, veredarios per totam terram celeriter miſerunt, & armatos qvosque Francos & Anglos contra extraneas phalanges, ad patriæ tutelam properare mandaverunt. Maxima igitur multitudo de comitatu Ceſtræ & Scrobesburiæ congregata eſt, & in regione Dagannoth ſecus mare ad prælium præparata eſt. Illuc Hugo de monte Gomerici, cum ſuis catibus prior accurrit, & auxiliarios contubernales exſpectans, multis diebus ibi conſedit patriamq; ne Gualenſes ſeu Nordwigenæ in provinciales irruerent, circumſpectus tutavit. Qvadam verò die, dum ſupra litus indigenæ turbati diſcurrerent, ſeq; contra Nordicos, qvos in navibus ſuis ſævire contra Anglos videbant, præpararent, Hugo Comes eqvum calcaribus urgens, catus ſuos congregabat, & contra hoſtes, ne ſparſim diviſi invaderentur, principali rigore coërcebat. Interea barbarus Nordwigena, ut Comitem agiliter equitantem proſpexit, inſtigante diabolo, ſtridulum miſſile ſubito direxit, egregiumq; Comitem, proh dolor! percuſſit. Qui protinus corruit, & in fluctibus maris jam æſtuantis exſpiravit; Unde dolor ingens exortus eſt. Cujus mortem Magnus Rex ut comperiit, vehementer cum ſuis planxit, & Hugoni

goni Dirgane, id eſt groſſo, pacem & ſecuritatem mandavit. Exercitum, inqvit, non propter Anglos, ſed Hibernos ago, nec alienam regionem invado, ſed inſulas ad poteſtatem meam pertinentes incolo.

His adjiciendum eſt Buchanani teſtimonium de Occidentalium inſularum à Scotia alienatione, Magniq. Regis expeditione, qvarum utramqve non in Milcolumbi, ſed Donaldi Bani tempora refert, eumq; cum Magno colluſiſſe affirmat, qvo ejus ope ſceptra Scotica faciliùs potiretur: ita enim hiſtoriæ Scoticæ lib: VII. in Donaldo Bano ſcribit.

Milcolumbo rebus humanis ſublato, Donaldus Banus, id eſt Albus, ejus frater, qvi Macbeti metu in Ebudas profugerat, Magno, Regi Norvegorum, omnes inſulas pollicitus, ſi ejus auxilio, regno Scotorum potiretur, nullo fere negotio Rex eſt declaratus. In Duncano autem proximo Rege hæc addit de eodem Donaldo. Plus minùs triennio, turbulentiſſimum regnum geſſit. Hinc inſulanis, hinc Anglis Regnum infeſtantibus, acceſſit & major illa invidia, ex inſulis occidentalibus per Magnum Norvegorum Regem occupatis, qvas etſi ille velut per vim ingreſſus eſſet, tamen omnes intelligebant fraudem ſubeſſe, non ſe commovente ad tantam contumeliam Donaldo.

De annis captivitatis, obitusq; Erlendi & Pauli Comitum Orcadenſium, Kalii qvoqve qvi Rognvaldi Orcadum Comitis Avus erat, ut & tempore, qvo Sanctus Magnus, fraterq; ejus Erlingus, & patruelis Hacon Pauli filius militiam Regis Magni ſecuti ſunt, res eſt, niſi ex ejus expeditionis circumſtantiis, haud explicatu facilis. Contrariæ hic ſententiæ tres ſe offerunt. *Buchananus*, Melcolumbi tempore factam negat expeditionem, dum pactione Donaldi ipſo jam imperante, nec ſe ad tantam contumeliam commovente, inſulas occupatas aſſeverat. Primò igitur diſpiciendum, an potuerit Rex Magnus cum Melcolmo Scotiæ Rege confligere poſtqvam Regnum Norvagiæ adeptus eſt. Deinde an cum Godredo Crovane, utrumqve noſtri ſcriptores tradunt, ſed traditionis fidem annales ab iis concinnati, relationisq; contextus evertunt, Scriptores qvoqve extranei impugnant, Annalium noſtrorum conditores, qvotqvot ad manus habui, duas tantum expeditiones Magni Regis in Occidentem notant, priorem ad annum ſeculi XCVIII applicant, qva inſulas omnes Scoticas bello vel pactione qvæſitas aſſeverant, Angliseyamq; expugnatam, poſteriorem (de qvo nulla lis eſt) ad annum MCIII, nec ipſa hiſtoria uti ſupra expoſita eſt, niſi duarum meminit, inqve priorem omnia geſta conjicit, præter ea, qvæ ad Hiberniam referenda ſunt, verum ſibi ipſi contrarii annales, cum annum XCVIII. expeditioni Magni tribuant Sigurdi qvoqve filii ejus imperii inſularis initium in Occidente eo referant, id nihilominus in ſeptennium producunt, qvod tamen ſimul cum ipſo Magno deſivit, anno videlicet MCIII, qvod ſi illo termino, primam ejus expeditionem retro computemus, in annum XCVI incidit, Petrus Claudius Undalinus, ſive alius, annum præcedentem in marginem Chronici Norvegici retulit, qvi tamen ex ſerie hiſtoriæ exacte colligi neqvit, id ſi conceſſerimus, non tamen ad Melcolmi regis tempora exaltari poteſt, qvippe qvem Simon Dunelmenſis Bromton & Buchananus anno XCIII. in fata conceſſiſſe conſtanter tradunt, non igitur Melcolmo inſularem regni ſui partem Magnus poſtqvam regnare ceperat extorqvere potuiſſe videtur, nec patre Olafo Norvegiæ Rege vivo, cum is à bellis abhorrens, à pacis ſtudiis cognomen reportaverit, ſed nec cum Godredo Crovane, ei per temporum ordinem certamen permittitur, ſi is ſecundum Waræum anno MLXXVI vivis exemptus eſt, cum Rex Magnus juxta noſtrorum calculum patri Olafo anno MXCIII. mortuo ſtatim in regnum ſucceſſerit. Ego vero hic magnopere à noſtratibus in diſtinctione annorum geſtorumqve erratum animadverto, qvædam etiam ab exteris præterviſa, qvod noſtros attinet, certè in nulla re qvam temporum computatione pariter fluctuant, qvoties ſibi diſſentanea exponunt ſedulo inſpiciendi, & juxta narrationum circumſtantias, vel externorum ſcriptorum calculum emendandi. De contractu autem cum Melcolmo & congreſſu cum Godredo allata teſtimonia ideo minus ſuſpecta ſunt, qvod ea poſtulatis Alexandri Secundi Scotiæ regis, & reſponſo Haconis Senioris Norvegiæ regis ſtabiliantur, Anno

enim MCCXLIV. idem Alexander per legatos ſuos in Norvegiam miſſos poſtulaſſe traditur, ut Rex Hacon inſulas Hæbudenſes ſibi cederet, qvas Rex Magnus Melcolmo Scotiæ Rege iniqve extorſerit, reſpondit autem Rex Hacon, nihil eorum qvod inter Magnum & Melcolmum de regno Scotiæ ſubjectis inſulis in poſſeſſionem Magni translatis convenerit, ad Hæbudas referri poſſe, cum Melcolmo in illas aut illis ſubjectas, nullum jus nulla poteſtas fuerit, qvas victo Godredo Hæbudarum rege, perinde ac alias provincias, majoribus ſuis hæreditarias bello repetiverit. Plures itaq; expeditiones in occidentem à Magno factas, ſed à ſcriptoribus noſtris confuſas animadverto: *Ordericus* enim *Vitalis* ſub annum XCVIII. ſi non tres, certè duas Magni expeditiones in occidentem memorat. Priorem refert ad annum qvintum imperii Gvilielmi Rufi, qvi eſt Æræ Chriſtianæ XCII: qvo tempore Melcolmus Scotiæ Rex vixit, fædusq; cum Magno ferire potuit. Atqvi noſtri Scriptores non illum, ſed ſeqventem annum Regni Magni initialem faciunt? eſto, nec ille qvidem fœderi inter illos inhabilis, ante expeditionem in Angliseyam, & qvidem tempore verno: metu qvippe belli Anglici, qvod adverſus Rufum Melcolmus eo anno ſuſceperat, ne duobus periculoſiſſimis bellis tetrâ mariq; implicaretur, deditio facta videri poterit. Verùm ſupra hoc tempus idem Vitalis imperii Magni primordia proferre videtur, eo qvod Magnum per plures annos exercuiſſe, ſe in excolendis inſulis ad id tempus deſertis tradat, eumq; id tempus non in Norvegia ſed inſulis reſediſſe, innuat reſponſo, inſulas ad poteſtatem meam pertinentes incolo, nihil itaqve obſtat, qvin Magno cum Melcolmo pacta inſtitui potuerint, an etiam cum Godredo hoc loco perpendamus. Qvoties Manniam ab inſulis Sudureyenſibus, noſtra monumenta non diſtingvunt, eodem nomine comprehendunt, qvod ego ſemper Hæbudas verto, Godredum Sudureyenſium regem à Magno oppugnatum tradunt, ejusqve filium Lagmannum compedibus vinctum, prius aqvilonaribus inſulis præfectum, Godredo Sudureyas à Magno extortas, Rex Hacon Senior fatetur. Hunc fuiſſe Godredum Crovanem, tum nomen Regis, tum etiam ſucceſſoris filii Lagmanni, in hæc tempora qvadrans, perſpicuum facit, dum ab anno MLXVI. ad annum MCXLII. (cum Godredus Olafi filius, Crovanis nepos, in Norvegiam ad Regem Ingium, Haraldi Gillii filium transfretavit, eiq; ſacramentum fidei dixit) nulli his nominibus Reges occurrant. Cùm tamen *Chronicon Mannia* ſingulorum ſucceſſiones exſeqvatur, tradatq; Manniam inter exercitûs ſui, & Mannenſium, reliqvias, habitationibus Godredum diſtinxiſſe, ipſum in auſtrali parte reſediſſe, noſtri filium Lagmannum aqvilonarium inſularum tutelæ relictum perhibent. Id qvod à vero non abludit: nec dubitandum, qvin Hæbudas præter Manniam Godredus imperio tenuerit, cùm non Hiberniæ modò magnam partem domuerit, ſed etiam Scotis leges in ædificandis navibus duriſſimas præſcripſerit. Sed nec argumentis opus eſt: tradit enim laudatum *Chronicon*, poſt mortem Lagmanni, omnes inſularum (non ergo ſolius Manniæ) proceres, miſiſſe legatos ad Murecardum O-Brien Regem Hiberniæ, poſtulantes, ut aliqvem virum induſtrium, de Regali ſtirpe, in Regem eis mitteret, donec Olavus filius Godredi creſceret. Si pater tantùm Manniæ imperâſſet, aliarum inſularum principes tutorem ei ut ſuo Regi, non poſtulâſſent. Accedit, qvod in inſula Ile mortuus ſit, nec id qvidem extra ditionem, his argumentis evicto, Chronicon Manniæ de eodem Godredo agere, cum qvo Magnus Norvegiæ Rex manus conſeruit, commodè ad manus meas venerunt *diſqviſitiones Jacobi Warei* de Hibernia ejusqve antiqvitatibus, ibi *cap. XXIV.* Godredus Crovan Rex Dublini Manniæ & Hæbridum inſularum appellatur, ſed in anno obitus ejus, à *Chronico Mannia* diſſentit, id enim adventum ejus, jam bello in Anglia, inter duos Haraldos geſto profugi, in Manniam ad annum MXLVII. illatum ab eo Mannenſibus bellum, ad annum LXVI. refert, annos ſexdecim regnaſſe perhibet, obitum ejus *Jacobus Wareus* loco citato ad annum MLXXVI. initium vero imperii in Dublinenſes anno LXVI. applicat, ſeptennium à morte patris filium Lagmannum Manniæ imperaſſe Chronicon Manniæ tradit, exinde in itinere Hieruſolymitano mortuum, qvo cognito datum Mannenſibus ita poſtulantibus Dopnaldum

in tu-

in tutorem Olafo Chrovanis filio tum pupillo à Murchardo O-Brien Hiberniæ Rege anno MLXXV. qvi triennium rexerat. Anno vero MLXXVII. missum à Rege Norvegiæ Ingimundum qvendam in imperium insularum eumqve occisum, anno vero MXCVIII. Magnum Norvegiæ Regem (de qvo nobis sermo) classe in insulas advectum. Hæc qvam sibi non constent vel cœco perspicuum. In anno adventus Crovanis in Manniam typographi error, vel etiam librarii manifestus est, pro enim anno MXLVII. MLXVI. reponendus est, cum bellum extremo illius anni Haraldo Norvegiæ Regi funestum, in Anglia gestum profligatumqve sit, vix autem veritati litat illo anno Manniam ab eo oppugnatam nedum devictam, multo etiam minus Dublinum & Lanysster tunc ab eo subjugata, cum omnium rerum egens supplexqve ad Sirricum Manniæ Regem profugit. Ter Mannensibus infesta arma intulisse traditur, novissime victor, non tamen exprimitur, an uno eodemq; anno id factum sit, itaqve de initio imperii ejus in Mannia incerti sumus, nam qvod de occupato ab eo Dublino ad eundem annum antiqvitates Hiberniæ referunt, parem fidem meretur, qvam assignatus ab iis annus ei fatalis, ut mox dicetur, nec Chronicon Manniæ hoc ad certum annum alligat, sed inter gesta ejus tantum refert. Excedit enim tanta potentia sortem regis insulæ nuper victæ, magis qvam domitæ, qvæ majore civium metu teneretur, qvam inferret. Fingalem patri Sirrico succesisse, nec statim à Crovane dejectum memorat, annos sexdecim imperio ejus assignat, qvi qvidem LXXVI. haud terminantur, ut Antiqvitates Hiberniæ definiunt, certe si tantas res gessit, Dublinum subegit & Laynister, Scotosq; ita attrivit, ut ibi habetur, tot forte annorum spatium imperium ejus, aut etiam multo plures reqvirit, illud vero absurdum qvod Chronicon Manniæ postqvam sexdecim annis, qvibus ille regnavit, septennium filii Lagmanni adjecisset, mortem ejus in annum LXXV. referat, cum ne LXXXV. ejus capax sit, supereſt itaqve ut pro septuagesimo qvinto XCV. restituatur, id qvod tempus Murechardo O-Brien (*Waræo* Morietachus est) magis convenit ad tutorem pupillo assignandum, qvam annus assignatus, non enim patri Tirdelvaco in regnum succesit, priusqvam post annum MLXXXVI. vel LXXXVII. teste *Waræo Cap: IV.* haud igitur antea Hiberniæ Rex salutari, aut legationibus de tutore dando sollicitari poterat, anno vero XCV. commodissimè. Pro certo itaqve & indubitato fundamento, annum qvo Lagmannus obiit XCV. subsituo, qvo ex supradictis argumentis eruto, cum haud præcise ex principio imperii Godredi, finis regni ejus elici possit, septem annos à morte Lagmanni ad obitum patris numerabimus, resultat LXXXVIII. Godredo fatalis, in eum ad minimum si non supra regni Magni initium referetur, si secundum Haconis Senioris auctorumq; nostrorum testimonia, insularum imperium Godredo extortum est, Lagmannum beneficio Magni, ut posteriores insularum Reges regnasse statuendum. Nec forsitan minima expeditionis Magni in Hiberniam causa, Murchardi injuria tutorem regno ipsi obnoxio constituentis. Hinc Ingimundus omnium insularum Rex à Magno designatus. nec parati fuissent insulani ab eo evocati ad constituendum eum regem, nisi ante illud tempus, imperium Regis Norvegorum agnovissent, proinde prius domiti, nec tamen illis temporibus ab alio qvam Magno vel oppugnati vel expugnati leguntur. Omnium proinde suffragiis Ingimundus insularum Rex factus esset, ni vitiis studia eorum in vindictam convertisset, qvæ deinde ipsum Magnum anno seqvente tum ad ultionem cœdis ejus, tum etiam ad insulas ad obseqvium reducendas, inter alia abstraxisse videtur, fallor eqvidem si aliam magis ob causam qvam ob trusum insulis Dopnaldum Murcardus Connactiæ Rex offensam Magni contraxit si id qvod de calceis in festum Christi natale gestandis traditum est, fidem merebitur. Nullis eqvidem Olafi Pacifici Magni patris imperium syncronismis exeoticis scriptoribus, præterqvam Simoni Dunelmensi, qvod scio, observatis nititur, principium Haraldi patris in Anglia clades certum facit, finis nullo uspiam incidente monumento ad illum relato memorabilis. Anno tamen seculi sui LXXXV. non modò vixisse, sed etiam Sancto Knuto, seu Canuto, Daniæ Regi, Angliam armis ad pristinum Daniæ Regum obse-

qvium

qvium (id qvod etiam Simon Dunelmenſis ad eundem annum refert) redacturo, ſexaginta navium claſſem militesq́; auxiliares ſubminiſtrâſſe, Knytlingorum hiſtoria, Canuti Magni, ejusq́; ſucceſſorum vitas complexa, ut & *Chronicon Regum Norvegiæ* teſtantur. Tribus inde annis ſi vixerit Godredus, Manniæ & Hæbudarum Rex, belloq́; à Magno Olafi filio laceſſitus fuërit, mox etiam victus: uno illorum deceſſiſſe Olafum, Magnumq́; ſucceſſiſſe oportet ſi Chronico Manniæ in rebus domeſticis fides adhibenda ſit, qvod tam enormiter in rebus, tantillo annorum intervallo geſtis, commemorandis exorbitâſſe, fidem excedit. Statuo itaqve Magnum plures expeditiones in occidentem diverſis temporibus ſuſcepiſſe. Primâ tempore Godredi, imperio Hæbudarum auctum, mox ei, inde ſucceſſori Lagmanno, fiduciario jure, reddito. Secundâ, inſulas alias Scotiæ ſubjectas, Melcolmo extortas, idq́; vel anno XCII. ſecundum *Ordrici Vitalis* calculum, vel proximè ſecuto, cùm bellum Anglis inferret, idq́; qvinqvennio, poſtqvam imperare Magnus cæpit, ſive anno LXXXVIII. vel LXXXVII. Olafus pater deceſſerat, qvam expeditionem domeſtici ſcriptores eò, licèt anno ſeculi variato, referre videntur, commemoratis rebus, domi interea geſtis. Tertiâ anno XCVIII. poſt Ingimundum ab inſulanis occiſum, inſulas iterum ad obſeqvium redactas, Angliseyamq́; juxta *Chronicon Manniæ Ordrici Vitalis & Simonis Dunelmenſis* aſſerta expugnatam. Eo certè anno, filium Sigurdum in Orcades devectum, ætas ejus ſingulis Chronicorum exemplaribus hìc conſentientibus notata, luculenter probat: redux enim in patriam ab itinere Hieruſolimitano anno Chriſti MCX. viginti annorum, anno verò MCXXX. qvo mortuus eſt, qvadragenarius fuiſſe perhibetur; Octennis, cùm in Orcades patrem ſecutus eſt, qvod in hunc eundem annum qvadrat; novennis, cùm inſularum occidentalium imperio præficeretur, Regio titulo. Natus itaqve erit, anno MXC, Kaliumq́; hujus expeditionis, qvæ rerum ejus ultima, Comitem agnoſcimus, filiumq́; Kolum, nuptias cum Gunnhilde, Divi Magni ſorore, anno ſeqvente MXCI. celebrâſſe: an verò Comites Orcadenſes Paulus & Erlendus, tunc, an priùs, deceſſerint, definire neqveo. Qvartâ expeditione in Hiberniam, licèt antea laceſſitam, fatum acceleratum, idq́; anno MCIII. in qvem omnes conſentiunt. Donaldum verò, Scotiæ Regem, magis exiſtimem, popularium offenſam contraxiſſe, qvòd clandeſtino fœdere cum Magno inito, qvietam illi poſſeſſionem inſularum, iniqvo tempore extortarum, permiſſerit, contractumq́; cum Melcolmo initum, confirmaverit, qvàm qvod ipſe primò contraxerit. Hæc noſtris, eosq́; ſecuto Theodorico Monacho, qvi imperio Olafi Pacifici annos XXVII. (aliis eos à morte Haraldi Strenui numerantibus) attribuit, contraria, ſolius veritatis ſtudio, conſignare, qvàm ipſe in inveterato errore hærendo, alios etiam ſeducere malui, beneficium agniturus, ſi qvis hæc, ſalvis noſtrorum traditionibus, inter ſe conciliare voluerit. Favet conjecturæ ipſius Magni Nudipedis teſtimonium inſertum orationi, qvam ad duces militesq́; habuit, cùm Dublinum oppugnaret, vetuſſimo exemplari Regio, qvod *Morkinſkinnam*, id eſt putridam membranam appellare placuit, ſed ſoli notatum, his verbis: Notum, inqvit, nos aliqvot expeditiones in has terras direxiſſe, perpetuis victoriis. Inde conficitur ultra duas ſuſceptas.

CAP: XVIII.

Regi Magno Nudipedi caſo, filii ejus ſuccedunt, qvi Haconi Pauli filio, & Mâgno Erlendi filio Orcades reſtituentes, Comites eos creant. Sed intervenientes calumniatores concordiam eorum turbant, optimates iterum conciliant. Magnus, Haconis fraude circumventus, occiditur. Ejus, adverſus mortem,

tem, fortitudo; pro hostibus sollicitudo & preces; continentiæ, aliarumq; virtutum laudes; longa de anno mortis ejus disputatio; falsis opinionibus refutatis, verus annus ostenditur. Locus sepulturæ, miracula. Haconis in amicos ejus sævitia, pœnitentiaq; ; in cives clementia; legum reformatio; civium pro ejus salute vota. Ejus filii Haraldus cujus maternum genus exponitur, & Paulus. Mors Haconis ad certum annum reduci neqvit. Ejus, filiiq; Pauli, imperiorum periodus monstratur.

MAgno Regi, tres filii, Eysteinus, Sigurdus, & Olafus, in imperium Norvegicum æqvaliter divisum, Regiis titulis potestateq; conspicui successerunt. Eorum primo (alii secundo) imperii anno Hacon, Pauli filius, in Norvegiam profectus, investituram in partem dimidiam Orcadum hereditatis jure sibi competentem, facile ab iis impetravit: patrem qvippe Magnum, qvoad vixit, secutus, omnibus prœliis, etiam expeditioni in Gautiam interfuit, teste carmine, vitam ejus describente. Redux ergo in patriam, avitum imperium, à superiore potestate delatum, occupavit. Eo imperante Magnus Comitis Erlendi filius potentissimis familiis vel cognationis vel affinitatis nexu devinctus, civiumq; studiis, qvorum singuli patrimonium ei restitui optabant, confisus, Scotia in Orcades delatus, dimidiam insularis imperii partem postulavit. Nupsit tum mater ejus civi primario, Sigurdo nomine, qvi in Papuleya habitabat, eorum filius Hacon cognomento Karl id est vir vel senex. Cujus adventu cognito, Comes Hacon patrimonio eum excluſurus, cùm copias contraxisset, Procerum intercessione persvasus dimidiam partem, modò à Regibus Norvegiæ impetraret, se restituturum pollicetur. Acceptâ conditione, Magnus Norvegiam petens, comiter ab Eysteino Rege (nam Sigurdus, id temporis, in itinere Hierusolymitano fuit) susceptus, Comitis titulo jureq; dimidiæ insularum parti præficitur. Domum rediens, non civium modò applausu, sed etiam Haconis favore excipitur, qvi exinde mutuâ benevolentiâ se invitantes, dum utriusqve amici, qvæ ad amicitiam stabiliendam facerent, semina spargebant, concordes vixerunt. Inde annonæ ubertas, pacis studia subsecuta, insulas omni rerum abundantiâ florentes reddidit. Testatur Oda qvædam eorum gesta complectens, qvendam, nomine Dusnialem, illis, in tertio gradu inæqvali, sangvine junctum, prælio ab eis occisum; alium etiam, nobilitate clarum, virum, sed bonis infestum, nomine Thorbiornum, in sinu Hialtlandiæ Borgarfiordo; plura etiam, qvæ simul gesserunt, hic licèt omissa, inibi memorata traduntur. Processu deinde temporis calumniatores exorti, in mutuas iras eos stimulabant. Prior imperandi cupidine, invidiaq; in Magnum, populi gratiam, morum sanctitate, in se derivantem, incitatus Hacon, aures illis præbuit. Horum præcipui duo inter Aulicos Haconis memorantur, Sigurdus (cui frater Thorsteinus, Magni satelles, fratri dissimilis, vir pius & probus) & Sigvatus, cognomine Sockius, Magnum continuò ad patruelem criminantes, donec copiis contractus illum pro defensione sua sollicitum, ad opponendum compelleret. *Scriptor vitæ Divi Magni*, illo tempore, refert eum in Angliam ad Regem Henricum Primum, Wilhelmi Conqvæstoris filium, concessisse, auxilioq; ejus sublevatum, integrum annum, cum magno comitatu, sumptibus Regiis vixisse: sub discessum verò magnificè donatum qvinqve navibus ad Orcades appulisse, partem suam, vi, dum abesset, unà cum Catanesia ab Hacone detentam armis vindicaturum. Coaluisse deinde, communium amicorum intercessione, pacem aliqvot annis: sed renovatas denuo calumnias & mutuas iras, itumq; ad arma. In Hrosseyam ergo, ubi Orcadensium publicum

forum, uterqve impoſitum claſſi militem cùm deduxiſſet, ſtaretq́; ex utraqve parte inſtructa acies, optimates imminentis periculi metu, ſummo ſtudio diſſidentes reconciliare aggreſſi, eò rem deduxerunt, ut pacem invicem, dextris, fideq́; mutua, datis ſancirent, ſacramentoq́; firmarent. Hic conventus, tempore qvadrageſimæ inſtitutus eſt. Succedente tempore haud ita longo, Hacon ad firmandam conditionibus recentem pacem, & redintegrandam, mutuo diſſidio labefactatam amicitiam, ad colloqvium Patruelem invitat, Magno aſſentiente. Locus Eigilſeya delectus, dieſq́; in hebdomadem, feſto Paſchali ſacram indictus at certus ille, à vitæ ſcriptore non definitur, qvi poſt ferias haſce conventûs modò illius præſtitutum diem commemorat. Duabus navibus, pariq́; Comitum numero, utriqve comparendum, liſq́; arbitrio optimatum decidenda, eorumq́; ſententiæ ſtandum. In ſingula uterqve religioſè jurabat. Finito paſchali tempore (qvod ita notanter auctor hujus hiſtoriæ: tum etiam ſcriptor vitæ divi Magni, illi lingvâ vernaculâ Paskatid, huic Paskahelgi appellatur, qvod tempus primo feſti die non abſolvebatur, ſed tribus interdum, etiam qvatuor primis diebus celebrabatur, nec illo tempore, ultra tres durabat, qvod hic ob annum, qvo Magnus cæſus eſt ſedulo notandum) uterqve itineri ſe accingit. Magnus juris & æqvi ſcientiſſimos, perſpectæ moderationis & probitatis, viros in comitatum adſciſcit, numero vel ſatellitum vel etiam navium nihil ultra præſcriptum aucto. Paratis omnibus, cùm ad Eigilseyam transfretaret, transqvillo mari torpente cœlo, derepente exorta fluſtris unda, navem, qvam Comes gubernabat, univerſam obruit. Res prodigio ſimilis viſa eſt, profundum mare, ne flatu qvidem impulſum, ubi antea nunqvam, tunc tanto impetu, fluctus concitâſſe. Hæc admirantes ſuos, interq́; præcipuos, Thorſteinum Sigurdi fratrem, Arnkelem, Grimum, & Gillium interfatus Comes: haud, inqvit, de nihilo eſt, qvod ut inſolitum, obſtupeſcitis: finem enim vitæ meæ portendere videtur: dolo nos ab Hacone, hoc conventu, circumventos reputabimus, impleturo forte, qvæ vates ei prædixiſſe fertur. His verbis contriſtati Comites, inſtans periculum laqveosq́; ut, re integra, declinaret, nec ſe ejus poteſtati permitteret, cujus fidem, non tam ſuſpectam, qvàm perfidiam perſpectam haberet, vehementer ſvaſerunt. Is verò profecturum in præſens, Deiq́; Omnipotentis arbitrio, ſe ſuaq́; omnia commiſſurum aſſeverabat. Interea Hacon, collectis pluribus navibus, armatum militem, non tanqvam ad pacis fœdera ſancienda, ſed apertum bellum profecturus, impoſuit, propoſito haud diſſimulato: cùm enim primùm navem conſcenderet, ſignificavit, hunc conventum mutuis altercationibus, ſuſpicionibus, & factionibus finem tandem impoſiturum: neqve enim ambos proinde ſimul regnaturos. Magno aſſenſu ab adulatoribus, maximè tamen Sigurdo & Sighvato Sockio fraudum doliq́; præcipuis architectis, conſilium illud exceptum eſt; additæ & ſuffragantium voces, qvæ ſatis ſuperq́; concitatum magis accenderunt. Havardus autem Gunnaris filius, qvi ſororis ejus filiam Bergliotem uxorem duxit, utriqve Comiti à conſiliis & pari fide addictus, hujus machinationis ad id usqve tempus prorſus ignarus, ut obſtinatum in ſcelus Comitem animadvertit, nec ſanioris conſilii patientem, è navi præceps in mare ruens, ad proximam inſulam, incultam qvidem illam, enavit. Prior in Eigilseyam Magnus, cum comitatu, delatus, dum adventum patruelis præſtolatur, cum octo myoparonibus adventantem conſpexit, indubium illo apparatu hoſtem. Tum primùm comites, juris jurandi religione, fallacibusq́; promiſſis deceptum Dominum ſuum animadvertentes, & nimis vera, ſibiqve feralia vaticinatum dolentes, armis eum tueri decernunt. Ille, ſuæ ſalutis cauſsâ, præſenti ſe nec eluctabili, periculo ut offerrent, piè vetuit: ſe potius ſortem ſibi à Deo deſtinatam cujus arbitrio fortunæ ſuæ omnes, tum etiam vita ſtaret, æqvo animo & exſpectaturum, & intrepido ſubiturum, nec mortem, ſi pacifica compoſitio nullo pacto procederet, detrectaturum profeſſus eſt. Cum ſuis omnibus templum igitur, ultimam ibi noctem permanſurus, acceſſit calidisq́; ad Deum ex imo pectore fuſis precibus ſacra miſſæ celebrari curavit, & poſtqvam animam ſuam creatori, redemptoriq́; commendâſſet, pari

conſtan-

conſtantiâ, fugam, unicum, illo temporis articulo, ſalutis expediundæ medium, qvam in via prodigio monitus, itinere is retractandi occaſionem faſtidivit: ſive enim ingenii ſagacitate, ſive divinâ revelatione edoctus, certè imminentis ſibi fati præſcius fuiſſe perhibetur. Mane ſeqventis diei, Hacon ſatellitesq; inſulam luſtraturi ſanum primò ingreſſi, Magnum non deprehendunt, qvi exſpatiatus in inſulam, cum tribus ſuorum receſſum qvæſiverat. Hic autem latitare non ſuſtinens, ubi ſe peti animadvertit, exemplo humani generis redemptoris, coram adeſſe profeſſus, ab ulteriore inqviſitione hoſtes revocavit. Ad eum igitur Hacon, micantibus gladiis, profectus, in terram provolutum, precibusq; occupatum offendit: qvibus finitis, exſurgens, Haconem placidè his verbis affatur. Juramento violato, graviter Agnate deliqviſti, malitiâ inſtigantium, qvàm propriâ forte incitatus: ne verò ad extrema procedendo, nrei innocentis cæde te contamines, fidemq; ſacramento firmatam proſtituas, religionem metumq; Dei proculces, tres tibi conditiones deferam. A ſatellitibus Haconis edicere juſſus, duobus, inqvit, navigiis, rebusq; ad commeatum neceſſariis inſtructus, hinc digrediar, Romamqve aut Hieruſolymam, utriusqve noſtrorum delicta expiaturus proficiſcar; juramentoq; fidem meam obligabo, nunqvam deinde in Orcades me reverſurum. Illa ſtatim conditio rejecta eſt: neqve id mirum à perjuro homine, à ſe ipſo exemplum, adverſus ſe ſumendum, metuente. Aliam itaqve cùm vitam meam in tua poteſtate habeas, offeram, ait: in Scotiam ad communes amicos me ablega, ibiq; cum duobus comitibus, ad tædium ſolitudinis levandum, cuſtodiæ mandandum cura, ſedulò, ne elabar, proviſurus. Ea qvoqve conditione improbatâ, reſtat, inqvit Magnus, tertia, ſalutis veſtræ, qvàm meæ conſervandæ cauſsâ, propoſita, cujus ego Deum teſtem advoco: membris me pro arbitrio tuo mutila, aut oculos erue; carceri deinde mancipa, leviùs qvidem, qvàm ſi vitâ privaveris, peccaturus. Tum Hacon, hac, inqvit, conditione contentus ero, nec ulteriùs exigam. Imò retorſerunt optimates, cruciatus exhorreſcentes, alter veſtrum protinus morietur, nec proinde ſimul imperabitis. Eum itaqve reſpondit Hacon, occidite: malo enim imperare, qvàm, tam repentinâ cœde, imperio vitaq; ſimul privari. Hæc eorum colloqvia, vir fide dignus Holdbodius, civis Hæbudenſis carus divo Magno ſatelles, hoc tenore retulit: fuit enim unus comitum Magni, dum comprehenderetur. His nihil irritatus Magnus, ne verbo qvidem ullum offendit: nec in verbis triſtitiæ nota, nec vultu indicium exceptum eſt: namqve in genua procidens, piis devotisq; precibus, multoq; lacrimarum imbre ſe Deo cum priùs commendâſſet, tanqvam ad convivium proceſſurus, animo præſenti percuſſorem exſpectabat. Uteigo ſignifero ut occideret, ab Hacone mandatum: is valde iratus, impio mandato ſe obtemperaturum negabat. Minis itaqve coqvus Comitis Lifolfus, ad carnificis miniſterum ſubeundum, coactus: qvem admodum invitum, multisq; lamentis, & ejulatu nihil proficientem, trepidantemqve conſolatus Magnus: noli, inqvit, lamentari, celebre ſiqvidem facinus perpetrabis: bono animo ſis, veſtimenta mea tibi, lege moreq; priſco, cedent. (De illo more, vide *Buchananum Lib. XVIII pag: m. 664.* tradit enim qvendam opificum, cum occiſi Regis Henerici Stuarti veſtem interfectori Comiti Botuelio aptaret, ad ſui coporis modum, auſum dicere, hìc ſe jus & morem patrium libenter agnoſcere, cum ſpolia defuncti cedant carnifici) nec eſt qvod te facti atrocitas terreat, cùm invitus agas, majore ejus peccato, qvi te ad id adegit. His dictis, tunicam exuens, Lifolfo porrexit, veniaq; orandi impetratâ, proſtratus in terram, Deo ſe hoſtiam obtulit & conſecravit, confeſſusqve peccata ſua, effuſione ſangvinis ſui, (rectiùs Chriſti) ſingula expiari ſupplicans, animam ab Angelis ſuſcipi, Paradiſoqve inferri precatus, etiam pro hoſtibus ſuis, percuſſoribusq; orans, omnem iis in ſe admiſſorum culpam ſincerè remiſit (qvidam etiam memorant, cùm miſſa celebraretur, illum cœleſtis epuli viatico ſe muniviſſe) Ductus ad ſupplicium Lifolfo præcepit, ut ex adverſo ſtans, gravi ictu telum in caput ſuum dejiceret: neqve enim Principes, ut fures, feriendos. Præterea collige te, inqvit, miſer, nec animum deſponde: Oravi enim pro tua ſalute. Cumq; ſignâſſet ſe crucis ſigno, in-

flexo corpore, lethali ictu excepto, mox etiam exſpiravit. Auctor vitæ ejus, his omiſſis, nullâ templi reverentiâ, violenter extractum tradit. Locus ſupplicii ad id usqve tempus glareoſus & muſcoſus, ſtatim purus planusq; evaſiſſe, & derepente viridis emuſcatusq; in teſtimonium innocentiæ ſanctitatisq; Comitis, jam, perpetuo flore, virentis Paradiſi participis, perhibetur. Credo à Monachis tantâ poſtea diligentiâ purgatum cultumq; qvantâ nullius unqvam ruſtici ager: utpote, qvi qvantumcunqve fructum ferat, nunqvam tamen colono æqvè qvæſtuoſus erit, atqve hic ipſe campus Monachis longo tempore fuerat. Fatalis Magno dies ſecundus poſt feſtum Tiburtii in XVI. Aprilis incidit. Scriptor vitæ Divi Magni, Magiſter qvidam nomine Robertus, vir copioſus, nec à temporibus iſtis remotior (viginti enim annis ab hoc martyrio, vitam ejus literis prodidiſſe memoratur, ſed cujus exemplar pergamenum, mihi nullum: qvod ſuperat, & mutilum eſt & corruptum) eum anno Salutis MCIV. ſupplicio affectum tradit, hebdomadis, qvæ à feſto paſchatis ſecunda, feriâ ſecundâ, cùm duodecim annos Orcadibus præfuiſſet, elapſis à martyrio Olafi Norvegiæ Regis XXXIV. annis, Paſchale Secundo Pontifice Romano, Sigurdo, Eiſteino & Olafo Norvegiæ Regibus. Priùs autem ſcripſerat (qvòd in principio omiſſum huc tranſtuli) Haconem, poſt impetratam in Norvegia inveſtituram, rediiſſe, occiſisq; præfectis Regum Norvegiæ, qvi partis, qvæ Magno competebat, curam geſſerunt, univerſas Orcades ſibi ſubeciſſe. Id cùm in Scotiam ad aures ejus pervenitet, placuiſſe moras necti, dum impetus furorq; Haconis deſideret: jure enim, qvàm armis, jus ſuum perſeqvi maluiſſe. Hac opportunitate exſpectatâ, Cataneſia (qvam Comitis titulo gubernârat, poſtqvam, Parentis ſui, Regisq. Magni fatis vulgatis, ex Aula Regis Scotiæ di ceſſit, in Orcades profectum, paternam ditionem repetiiſſe, profectumq; in Norvegiam ab Eyſteino Rege, ut ſupra ſcriptum, impetrâſſe, conſenſuq; Haconis obtinuiſſe. Hæc Magiſter Robertus. Annalium noſtratium ſingula exemplaria annum Divo Magno fatalem agnoſcunt, qvi Æræ Chriſtianæ MCXV. numeratur. Noſter Scriptor, citra rationem MXCI. affert, qvem pari errore à morte Sancti Olafi LXXIV. putat, ſeptemq; annos Orcades ſimul utrumqve, Magnum & Haconem, rexiſſe perhibet. Singula examinabimus, & primò qvidem Roberti ſententiam. Calculi delirium hic apparet: ab Eyſteino enim, dum Sigurdus in expeditione Hieroſolymitana verſaretur inveſtituram accepiſſe Magnus perhibetur: duodecim annos imperâſſe, qvos annus Chriſti MCIV. finiet qvi ab exceſſu Magni Nudipedis, imperiiq; Sigurdi fratrumq; ejus initio ſecundus eſt, cùm nondum tamen ex auctoris traditione Magnus Orcadum Comes renuntiarus eſſet, nec Rex Sigurdus expeditionem ſuſcepiſſet. Sed nec is annus XXXIV. eſt à morte Sancti Olafi LXXIV., ſecundum *Codicis Flateyenſis* nihilo ſaniorem computationem, auctor forte ſcripſit, qvi in MCIV. deſinit, qvem opinionis errore ſibi finxerunt Magno Comiti fatalem. Tertio, pluribus qvarto, imperii ſui anno, Sigurdus in Orientem Norvegiâ profectus triennium domo abfuiſſe memoratur, annoq; ſeculi illius decimo, aliis undecimo rediiſſe. Ab anno igitur Chriſti MCVI. vel VII., qvo diſceſſit, ſeqventibusq; qvibus abfuit, ſi duodecim annos numeres nunqvam feriâ ſecundâ hebdomadis, qvæ Paſchali ſuccedit in XVI. Kal: Maji ſeu XVI. Aprilis incidet: id qvod exemplis monſtrandum. Anno enim MCVI, qvo Sigurdus, uni exemplari, patriâ ſolviſſe traditur, ſi duodecim addas, reſultat annus Salutis MCXVIII., qvo feriâ Paſchatis in XIV. Aprilis, diem dominicalem F. incidit: ſed, cùm tres tantùm annos in peregrinatione occupatus dicatur, ſive anno X. ſive XI. redierit, patet eo anno profectum non fuiſſe. Anno igitur MCVII. hos duodecim adjiciam, atqve ita oritur ſeculi ejus XIX., qvi feriam Paſchatis in XXX Martii, dominicalem E. remittit: qvo fit, ut dies Lunæ, ſeqventis hebdomadis, in octavum Aprilis qvadret. Annus deinde MCXX. biſſextus, qvi ab octavo, qvo in peregrinatione detinebatur, XII. eſt, feſtum Paſchatis XVIII. Aprilis conciliat, dominicalibus. DC. Sed nec annus MCXXI, à ſeculi ejus nono, duodecimus (qvo etiam Sigurdus apud exteros morabatur) qvi ejusdem menſis X. dominicali B. feſtum Paſchale applicat, in feriam hebdomadis illius ſeptimam.

XVI

XVI. Aprilis admittit, nec ad ſeqventis diem lunæ extendit. Anno demum MCXXII. qvi XII. eſt à decimo ſeculi illius, qvo rediiſſe Sigurdus traditur, XXVI. Martii diem, feſtum Paſchatis dominicali A occupat, feriâ hebdomadis proximæ ſecundâ III. Aprilis. Plana hinc auctoris hujus vanitas. Jam verò Olafus, tertius Regum Norvegiæ frater, qvo imperante Magnum occiſum tradit, anno Chriſti MCXV. in fata ceſſit: Paſchalis qvoqve ſecundus anno MCXVIII: ante igitur annum ſeculi ejusdem XV. divum Magnum martyrio coronatum oportet. Accedunt hæc abſurda. I. Reges Norvegiæ partem Orcadum, qvæ Magni erat, dum is Cataneſiam Comes teneret, per præfectos ſuos tanqvam abſentis curâſſe: cùm nec illa cura ad eos pertineret, nec unqvam antea id juris ſibi vindicarent. Propiorq; Cataneſiæ Comes, qvam Norvegiæ Reges, Orcadibus eſſent. II. Haconem, qvi in Regum Norvegorum tutela erat, eorumq; amicus & propinqvus, nuper etiam Comes renunciatus, præfectos eorum occidiſſe: qvorum tamen arbitrio partem inſularum, qvem Magnus poſtulabat, commiſit. III. Divum Magnum, Comitem Cataneſiæ factum, connivere maluiſſe ad injurias Haconis, patrimonium ſuum ſe invito invadentis, donec ſponte deſiſteret, qvàm armis repetere, præſertim cum Cataneſiæ viribus, amicorumq; & propinqvorum, ſibi maximè ſtudentium, auxiliis, vel invito eripere poſſet, valde abſonum. Faceſſat igitur ficta illa, XII. annorum imperio ejus tributa, periodus, qvæ nec procedit, etiam ſi ſtatim à morte Magni (qvod veriſſimum) in Paternas provincias reſtitutum ſtatuamus. Si enim partes anni MCIII. qvo Magnus Rex cæſus eſt, & anni MCXIV. extremas, illius ultimam hujus primam numeremus, XII. anni reſultant, (menſe enim Aprili divus Magnus cæſus eſt) nec hic qvidem annus, qvippe qvi diem Paſchalem in XXIX. Martii, dominicali D. nec, qvi ſeqvitur MCXV., qvi eundem in XVIII. Aprilis, dominicali C. nec tertius MCXVI., qvi biſſextilis in Aprilis II. dominicalibus B. A. nec qvartus, qvi MCXVII. in XXV. Martii, dominicali G. collocat, aſſertioni hujus auctoris favent. Hoc igitur vanitatis convicto, cætera inſpicienda: & qvidem Annalium, qvindecimum ejusdem ſeculi annum adſignantium, eadem operâ commentum refutatum conſtat. Sed nec noſtri ſcriptoris monſtroſus calculus refutatione indiget, ſe enim ipſe jugulat, dum annum martyrii geſtis ejus omnibus præponit; nec ſibi ipſe conſtat dum, cùm Æra cædis Divi Olafi imperitè confert ſed nec ſeptennium, qvo ſimul cum Hacone, (neqve enim unqvam ſine eo) imperâſſe refert, Auctor ſatis tuetur. Ex hoc tamen fundamento, verum martyrii ejus annum erui poſsè confido, hoc tenore. Magnum Nudipedem noſtri ſcriptores anno MCIII. die, Bartholomæo ſacro, in Hibernia cæſum perhibent, eundemq; cædi ejus annum *Ordericus Vitalis* aſſignat. Hoc ipſo auctumno, Sigurdus filius ejus, in Norvegiam rediit, Rexq; cum fratribus conſtitutus eſt. Si ipſum, eodem tempore, Hacon Pauli in Norvegiam ſecutus inveſtituram accepit, ſeptem annos ad hoc usqve tempus, ſed non integros Orcadibus præfuiſſe dici poterit: in fine enim anni tertii, ſupra milleſimum centeſimum, Comes creatus eſt, & qvarto menſe anni decimi, Magnus Comes cæſus eſt, ut ſtatim monſtrabitur. Id verò, nullâ ratione, conſiſtit, qvod auctor noſter tradit, Magnum ab Eyſteino Norvegiæ Rege, dum Sigurdus in itinere Hieroſolymitano occuparetur, Orcadum partem impetrâſſe, & tamen ſeptem annis huic præfuiſſe: nam Sigurdus qvarto poſt mortem patris anno expeditionem illam ſuſcepiſſe, noſtris ſcriptoribus memoratur; hyememq; proximam ad Regem Angliæ Henricum divertiſſe; vereq; ſeqventi, anni ſcilicet MCVIII. inde ſolviſſe; inq; Hiſpania, inſulisq; Balearibus, magnas res geſſiſſe, usqve in ver novum qvo in Siliciam delatus eſt anno MCIX. Eadem æſtate Aſcalonem pervenit (qvam noſtri Scriptores, peregrina nomina ad lingvæ ſuæ genium flectere ſveti, Akursborg appellant) teſte *Chronico Hieroſolymitano, à Reinero Reineccio Steinhemio* edito, *Lib: XI. Cap: XXVI.*, qvod conſentit noſtris Scriptoribus, dum biennium eum in circuitu ſpatioſi maris à Regno ſuo enavigâſſe tradit. Errat autem vel idem Chronicon, vel fortè Meibomius, in ſua in illud ſupputatione Chronologica, dum annum adventus ejus Aſcalonem MCXI. adſignat: nam Vilhelmus Tyrius, eum ad præcedentem

annum MCX. refert, qvo etiam patriam repetiiſſe tradit, teſte Setho Calviſio ad hunc eundem annum, qvi & nobis in hoc poſteriore ex parte ſuffragatur; cùm eodem nobis domum rediiſſe traditur, triennioq; domo abfuiſſe: id qvod ſecundum Tyrium vix ſubſiſtit, cùm Sidone XIX Decembris diſceſſerit. Sive igitur ſtatuamus Sigurdum (qvi, Chronico Hieroſolymitano, de patris nomine, cognominis vicem ſuſtinente, Magnus ſemper appellatur) anno imperii ſui qvarto, qvi ſeculi illius ſeptimus eſt, ſive qvinto, ſive ſexto, domo profectum (qvod fieri non poteſt, cùm vel decimo vel undecimo ſeculi illius domum redierit) Magnumq; Comitem ab itineris illius primordio ſeptennium Orcades tenuiſſe, tamen ubicunqve ſeptennium illud finieris, nunqvam dies XVI. Aprilis, qvo Magnus cœſus eſt, in hebdomadem Paſchalem incidet, qvæ nimirum à dominica Paſchali incipit. Si verò ab initio imperii Sigurdi, fratrumq; ejus, ſeptennium numeraveris non completum, ſed primas ultimasq; annorum partes (ſimul enim totidem annis ad gubernacula ſediſſe, conceptis verbis, perhibentur) in annum Chriſti MCX. deſinet, cujus anni XVI Aprilis in hebdomadis Paſchalis feriam ſeptimam, ſeu diem Saturni qvadrat. Die itaqve Veneris Magnus ad Eygilseyam navigavit, noctemq; in templo precibus vacavit: die Saturni cœſus eſt, inq; diem dominicam mater ejus convivium utriqve Comiti apparavit: (ut mox dicetur) id qvod à priſca conſvetudine, nec hodie antiqvita, non abludit. Eodem ergo anno, qvo Magnus, Norvegiæ Rex, rebus humanis exceſſit, ambo Comites inveſtituram accepiſſe videntur. Prior qvidem Hacon, beneficio Sigurdi, (qvippe qvi patris militiam ſecutus) vel ab eo jam Norvegiam petituro, in ſua patria, ne rectore orba eſſet, cum imperio relictus. Id qvod maximam veriſimilitudiuem habet, qvantumvis Chronica Norvegica MSS. unum vel duos annos interceſſiſſe tradant: qvorſum enim alium ipſo præſente in Orcadibus cum poteſtate relinqveret, dum Hacon Norvegiam peteret, mox ſe imperio abdicaturum. Vel etiam inſulas obtinuit cum honoris cauſſa Regem in patriam reduxit, ſtatimq; domum repetiviſſe conjicio. Magnus autem in Scotia & Cornavia, tempore Magni Regis, latitans, haud ita citò de morte ejus certior, at ve Hacon, non tamen ſibi defuiſſe exiſtimandus: nam eodem ipſo anno, partem ſibi debitam ab Hacone repetiviſſe & arbitrio Regum Norvegiæ commiſſa ab Eyſteino obtinuiſſe videtur. Abſurdum enim qvatuor annos prius, qvam Sigurdus ancoras è patrio litore ſolvit, jure ſuo carere ſuſtinuiſſe nullâ inſtigante neceſſitate. Et hac potiſſimùm cauſsâ, qvòd cùm univerſ.m Regnum inter fratres diviſum eſſet, tertiamq; partem fratris impuberis, tutelæ nomine majores duo Eyſteinus & Sigurdus regerent, ſic etiam provincias juraq; cætera inter eos diviſa fuiſſe exiſtimo. Cumq; Sigurdus Haconem pro parte ſua Orcadum Comitem conſtituiſſet, alterum Patruelem Eyſteinus, jure ſibi in aliam partem competente, etiam videtur conſtituiſſe. Cùm itaqve innotuerit ab Eyſteino Magnum, feudum impetrâſſe, mox error ille promanâſſe videtur, qvòd Sigurdus illo tempore peregrinaretur: nec enim intellexit Scriptor jura hæc inter fratres Reges, ut reliqvas Regni partes, fuiſſe diviſa. Poſtqvam his undiqve conqviſitis rationibus, verum martyrii divi Magni annum inveſtigare conatus ſum, qvem Annales communiter MCXV. numerant, incidi in veruſtiſſimum exemplar, qvod à putredine *Morkinskinnam* appello ubi hæc controverſia, in Magno Nudipede, his verbis decidetur.

Eodem auctumno (ſcilicet qvo cœſus eſt Magnus Nudipes) *qvi è prælio evaſerunt, Regem Sigurdum in Orcadibus offenderunt, eumq; ſecum in Norvegiam devexerunt: tum verò Orcadibus præfecti ſunt Comites Magnus Erlendi, & Hacon Pauli filii, & qvidem priùs, qvàm Orcadibus ſolveret, cùm primùm de patris cæde certior factus eſt.* Fallitur itaq; Thomas Dempſterus, in Menologico Scotico, dum Calendario Adami Regii, aut Jacobi Chrynæi collectaneisq; Gilberti Bruni aut Henrici Sinclari perfunctus, cædem Magni, qvem illarum gentium Apoſtolum & Martyrem vocat qvemqve Scotum facit, ad Diem 6. Septembr: refert, anno omiſſo.

Anno itaqve reparatæ ſalutis MCX. Comes Magnus vivis ſublatus eſt. Deſcribitur autem ſtaturâ procerâ, facie candidâ, viriliq;, clarâ voce, moribus amœnis, bello

bello felix, ſapiens, civibusq; amabilis, & eloqvio blandus. Adverſus probos facilis: improbis verò & facinoroſis immitis, latronibus præſertim & piratis (qvorum conſortio juvenili ætate uſum ad cædes qvoqve prolapſum Scriptor vitæ ejus *Robertus* tradit) intractabilis ſævusq;: damnato qvippe piraticæ ſtudio, ultimo ſupplicio, qvi cives & populares ſpoliarent, afficere, ſicarios etiam & fures, ſine generis conditionis q; reſpectu, punire ſolitus. In judiciis juſtus, juris legumq; qvam perſonarum obſervantior. Adverſus Proceres munificus, qvos magnis donis ornare ſolebat, pauperibusq; ſemper facilis & benignus, Deiq; religioſus cultor. Corpus variis modis, ſibi ſoliq; Deo notis, hominibus autem occultis, afflixit, abſtinentiâ tanta, ut cùm virginem, in Scotia ſummo loco natam, uxorem duceret univerſum tamen decennium eum ea, absqve ulla corporis permiſtione, cohabitaverit: neqve enim venerea labe ſe contaminari paſſus eſt; ſed ut primùm pruritum talem ſentiebat, frigidæ aqvæ ſe immergens, divino auxilio implorato, illico hos motus ſopivit. Pluresq; aliæ animi ejus dotes, hominibus qvidem ignotæ, ſoli autem Deo notiſſimæ, penes ipſum perhibentur. His evlogiis Scriptor noſter Comitem Magnum ornavit, qvæ ad verbum tranſcribere, qvàm ſtatuere, aut ſi ſtatuam ſingula tamen probare malo.

Trigeſimo ætatis, ſecundum *Theodrici Monachi* calculum, anno vitam finiiſſe videtur: tradit enim bello, in Angliseya geſto, qvod Scriptores ad annum MXCVIII. referunt, octodecim annos illum egiſſe. Natus itaqve erit anno Salutis MXXC.

Invitaverat Mater Comitis Thora utrumqve Comitem ad convivium, cùm conventus indictus eſſet. Ad illud Hacon, qvantumvis cruore filii ejus aſperſus, cum ſatellitibus ſuis, eodem crimine contactis, impudentiſſimè acceſſit: nec illa ſegniùs, qvàm ſi nihil in ſe commiſſum eſſet, convivium, ipſa famulæ vices ſu[illegible]iens, adminiſtrabat, cumq; eum ex parte potum animadvertit, propiùs accedens, his verbis affatur. Tu qvidem, Domine, præter ſpem ſolus hic ades, cùm tamen unà filium meum, pariter invitatum, exſpectaverim: qvod cùm ſecus acciderit, ad me conſolandam, tecta mea ſubiiſſe te interpretor. Te itaqve coram Deo, præſentibusq; convivis obteſtor & oro, ut loco filii mihi proinde eſſe velis, tibi viciſſim matris officia præſtituræ, mihiqve permittas, ut filium meum ad templum honeſtè ſepeliam. Propitiis, qvæſo, auribus, has preces exaudi: qvemadmodum in extremo judicio Deum tibi propitium exoptas. Conticuit ad has preces aliqvantiſper Hacon, meditatusq; an concederet: nam velut facinoroſum hominem, culpaq; propriâ capitale ſupplicium promeritum, qvò cauſſam ſuam civibus Principibusq; honeſtiùs purgaret, ad ſacram Ædem humari vetueret. Tandem verò tantâ matris moderatione pietateq; exoratus, lacrimas non tenuit, intuitusq; eam: licet, inqvit, filium, ubi velis, ſepelire. In Hroſſeyam igitur corpus ejus delatum, & ad Ædem Chriſto dicatam, qvam Comes Thorfinnus exſtruxit, conditum eſt. Ibi mox ſuperficiem ſepulcri conſpectum ſæpius jubar illuminare viſum, ſvaviſq; fragrantia affluentibus ægrotis mederi ſolita, ad vota ei nuncupanda multos mortales, nec ſine fructu, allexit, mox etiam plures ex Orcadibus & Hialtlandia, cum variis morbis conflictantes, protraxit, qvi ad ſepulcrum ejus excubantes, ſanitati ex omni parte reſtituros ſe prædicabant: non tamen palam, qvoad Hacon vixit, qvem tantam patruelis gloriam, ut ſibi periculoſam, haud æqvo animo laturum ſciebant. Incendiores cædis divi Magni pleriqve infami morte, ac digno tam atroci ſcelere exitu, ab umpti perhibentur. Eodem tempore Vilhelmus Epiſcopali titulo & auctoritate Orcadum rem Eccleſiaſticam gerebat, conſtitutâ ad Ædem Chriſto conſecratam in provincia Byrgisherad Epiſcopali cathedrâ. Hic primus ibi Epiſcopus fuiſſe à noſtratibus (utpote qvibus de Servano, & ejus temporibus in rebus Eccleſiaſticis, aliisq; de qvibus ad calcem operis, nihil conſtat) ſex etiam ſupra ſexaginta annos præfuiſſe memoratur. Sed miraculis, qvæ Deus, ad illuſtrandam Divi Magni innocentiam, crebrò edebat, nullam ille fidem adhibuit, donec evidentiſſimis argumentis factorum multitudine, qvotidianoq; incremento convictus,

ctus, divinam & ipſe gratiam agnoſceret, & exoſcularetur, qvæ omnia in librum peculiarem congeſta, ſanctitatem ejus commendant. Hæc de Divo Magno noſter auctor tradidit.

Magnâ ſolennitate pompaq́; (cujus deſcriptio auctore *Roberto* tradita periit) corpus ejus ſcrinio impoſitum legitur, ab Epiſcopo, ut facile colligitur, Vilhelmo: is enim vel X. annis, poſtqvam hic auctor vitam ejus deſcripſit, ſederat. Qvo vero anno in numerum Divorum ſit relatus, neſcio: feſto certè Divæ Luciæ, qvod in diem XIII. Decembris incidit, factum eſt, qvi dies ei, Divæq́; Luciæ communiter ſacer, ſoli autem XVI. Aprilis, qvo martyrio coronatus eſt. Qvo verò Pontifice Romano, ſanctorum catalogo inſcriptus ſit, non exprimit: inſcriptum certè tradit (ra o ſeptemtrionalibus ſanctis, ut ait, honore) ab ipſo Papa, cùm os ejus, in multorum conſpectu, coram ipſo Epiſcopo, domi, crucis formam, præſente deinde ipſo Papa, Romæ, aureum colorem repræſentâſſet. Exinde, dum Pontificia religio illis in oris viguit, tutelare numen patronusq́; habitus, & religioſè cultus eſt. Cultus etiam ab aliis, qvi meritis precibusq́; ejus, propitium ſibi Numen cœleſte futurum ſperabant: qvorum plurimi ex occiduis, ſeptemtrionalibusqve, vel reliqvias ejus inviſebant, vel munera ad exornandum loculum ejus, liberaliter mittebant. Miracula, qvæ ſanctitatem ejus confirmaſſe videntur, idem ſcriptor hæc memorat.

Nimirum Bergfinnum Hialtlandiæ civem cœcum, filiumq́; ejus Halfdanum leproſum, Kirkiuogum ad ædem ſacram cum oblationibus profectos, adq́; ſcrinium ejus vigilias celebrantes, ſanitati reſtituiſſe, per qvietem corpus leproſi manibus contrectâſſe viſum, auditumq́ patri promittentem, cùm primùm evigilaret, lynceum futurum.

Thokelem civem Orcadenſem, à frumentaria pira collapſum, alioq́; latere valde luxatum, ad templum delatum, illico ſanatum.

Amundium etiam civem Hialtlandenſem leproſum ad ſcrinium ejus vigilantem, manibus Divi contrectatum ſanum inde receſſiſſe.

Sigurdum præterea civem Hialtlandiæ de prædio Dalis mente captum, ad templum, ſanâ inde mente diſceſſiſſe.

Alii qvoqve Sigurdo, etiam de Hialtlandia, digitos in volam intortos, in priſtinum ſtatum reſtituiſſe.

Thorbiornem etiam Olafi filium à malo ſpiritu obſeſſum, ad templum ſuum transportatum, ſuæ poteſtatis factum, domum repetiiſſe.

Mercenarium Bergfinni de Hialtlandia nomine Thordum, cognomento Dreckaskoltum, qvi vetitus à domino poſt horam tertiam à meridie, pridie feſti Divo Magno ſacri, labores non intermittebat, domum redeuntem, poto repente cornu, mente captum, vinculisq́; ſextiduum conſtrictum, cùm paterfamilias dimediam argenti marcam, in uſum ſcrinii divi Magni voviſſet, repente ſanatum.

Puniti & duo memorantur, qvi aurum ſcrinio ejus ſuffurati ſunt, Cataneſenſis alter, mox in ſinu Pictico inter redeundum ſubmerſus, alter Orcadenſis, mente repente captus, qvo crimen faſſo, votum de ſalute ejus de Roma petenda fruſtra fuit, adductus deinde in templum ad Divum Magnum, mox eo votis propitiato convaluit.

Aſmundo qvoqve caſu ligni capite læſo, fandi facultate erepta, ſors jacta, iter Romam, an donarium ædi Divi Magni vovendum, cùm pro Magno ſtaret, mox fandi copia reſtituta, is qvoqve in integrum, cum templo adito, ad tumbam ejus vigilaret, dimidia marca argenti appenſa, qvam Bergfinnus vovit, reſtitutus.

Sigridis inſuper Sigurdi de Sando in Hialtlandia filia, à prima infantia ad annum ætatis viceſimum cæca, à patre ad ſcrinium ejus cum donariis magnis deportata, viſum recepit.

Alia item Sigridis Hialtlandenſis, matris Arnfridis de prædio Unuſtadis filia, fracto crure, ad templum Divi delata, illico convaluit.

Tertia qvoqve Sigridis è provincia Hialtlandiæ Aumſtur, villa Beſſaſtadis, famula viri, cui Thorlaci nomen, hæc cùm pridie feſtum Divi Magni, poſt horma

ram à meridie tertiam in vetitum nixa fueret, mente motâ, patremfamilias misertum sui, perpulit, ut sortiretur Divo Magno donarium, an Romam iter vovendum. prælatus Magnus, ad se delatam confestim sanavit, qvæ tamen nihilominus pro salute suâ Romam profecta traditur.

Obsessa qvoqve Groa qvædam mulier de Hrosseya, ope ejus revaluit.

Ragnhildis ab anno ætatis IV. ad XX. contracta, cùm tres noctes ad tumbam ejus vigilaret, per qvietem Divum se accedentem sensit, dicentem diu ibi vigilâsse, magnâ qvidem urgente necessitate, exsurgeret modò, baculumq; hunc manu teneret, qvi deinde disparuit, illa verò evigilans clavem tenebat, ex almucio ab aliâ parte Chori Divi Magni (qvid hæc sibi velint nescio, corruptissimum enim, recensqve scriptum exemplar, id qvod unicum seqvor, verùm digna res inspectu, num etiam almucium, seu almutium, præter indumentum canonicorum, qvo caput humerosq; vestiebant, Cardinalium insigne, Monachorum virorumq; non Ecclesiasticorum fœminarumq; qvæ singula *Gard: Du Fresne* & ex eo *Hofmannus* recenset, etiam aulæum, qvo chorus instratus sit, aut aliud simile significet, clavem enim, qvod hic habetur pravè scriptum suspicor, partem fortè illius aulæi vel amiculi manu tenebat) exsurgens tanqvam nunqvam contracta fuisset, Deo gratias egit multosq; annos ad Episcopum remansit.

Alia similiter mulier nomine Asa toto vitæ tempore contracta, sanitatem recepit, eodem anno Romam concessit. Sanata & tertia qvæ longo tempore contracta fuit, nomine Gudrun.

Sigurdus qvoqve mendicus de prædio Hnotasând, genubus repere solitus, nec se erigere potis, ad scrinium tantis vinculis beneficio Divi liberatus est.

Germani duo taxillis de pecuniâ certantes, cùm alter centum marcas perdidisset, nec præter navigium qvicqvam haberet reliqvum, illud qvoqve universo eri, cujus jacturam fecit, oppositum talorum sorti subjecit, adversario senarios duos jactu consecuto, ille nuncupato Divo Magno, rupto talorum altero, cui senarius inscriptus, unitate adjectâ in septenarium mutabatur reliqvo taxillo nota qvoqve senarii claro, tredecim numeris amissa recuperavit.

His sive fictis, sive veris, qvibusdam etiam ridiculis, Monachis tamen genqve aliarum nationum exemplo tutelari Divo egentibus probatis in posterum inocari meruit, celebratusq; est in Norvegiâ, papatu vigente, dies martyrii ejus pacum die dominica auctoritate, teste *Breviario Ecclesiæ Nidarosiensis* (qvod in usum Ecclesiæ illius concinnatum, impensisq; Archiepiscopi Thrandheimensis *Eirici Valendorphii* impressum, pro martyrii die natalem substituit, magno procul dubio rrore, cùm nusqvam in calendariis reperiatur. Idem in Sancto Olafo Norvegiæ ege pari hallucinatione observatum est). Oratio cum lectione festo usitata sic abet:

Oratio.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & intercedente Beato Magno Martyre tuo, ab hostium nos defende propiciatus incursu, per Dominum &c.

Lectio I.

Magnus apud Orcades insulas oriundus fuit nobilissimus genere & lti sanguinis parentela, Pater ejus insularum Comes & Dominus nomiatissimus, Mater ejus de nobilioribus illius terræ duxisse fertur origiem, in gestu jocundus & hilaris, in sermone amabilis & affabilis, in inssu modestus, extitit & gravis, ut non appareret in eo, qvod posset ofndere intuentes.

Lectio II.

Sed qvia mores formantur ex convictu cùm ad intelligibilem ætatem

perveniſſet, inter tam furialem & feralem gentem conſtitutus, inter protervos ad mores ferales, ad ritus, ad fidem impios, ad legem barbaros, pronos ad mala illorum moribus per dies aliqvos conformari, maximus prædo exiſtere, rapinis & ſpoliis vivere, cædibus indulgere, qvod tamen magis pravorum inſtinctu provocatus qvàm propriâ iniqvitate pulſatus creditur actitaſſe.

Lect: III.

Sed Omnipotens Deus cui proprium eſt miſerere & parcere, electum ſuum à talibus voluit mercimoniis ſuſpendere, & oſtendere illi, qvanta oporteat eum pati pro nomine ipſius, ut qvi ſanguinem innocentem multoties fuderat, ipſe qvandoqve victima Spiritus Sancti fieret, ut proprium ſanguinem Chriſto libaret, unde contigit eum de manu violenti Regis & prædatoris evadere & Chataniam adire, ubi honorificè ſuſceptus eſt, & in Comitem ſublimatus, qvi poſtmodum glorioſo martyrio coronatus, victor migravit ad Dominum.

Anno MCCXC VIII. pars reliqviarum ejus in Islandiæ ſedem Epiſcopalem religiosè tranſportata. Sed anno MCCCXXVI. feſtum translationis ejus in univerſa Islandia receptum eſt, celebraturqve feſto Divæ Luciæ.

Secundùm cædem Magni, Hacon univerſas inſulas, tanqvam jure belli, vel etiam juſtæ hereditatis, ſibi vindicavit; omnibus, qvi prius imperio Magni ſubjecti erant, ad fideliratis juramentum ſibi præſtandum adactis: præcipui tamen ejus amici, qvos ſibi maximè obſtitiſſe exiſtimabat, variis exactionibus vexati. Poſt paucos deinde annos Romam profectus, inde Hieroſolymam, more peregrinantium, qvos Palmarios vocant, acceſſit, fluvio Jordanis ablutus, multas ſacras reliqvias domum devexit. Redux pacem coluit, ſtatuq; civitatis ordinato, novis eum legibus ſatis qvidem popularibus formavit: qvibus tantam civium benevolentiam promeruit, ut eum qvàm diutiſſimè imperare, ejusq; poſteros ei in imperium ſuccedere, remq; feliciter gere e, univerſi & ſinguli ardentibus votis expeterent: multum enim de priorum legum rigore ſublatum, oneraq, ad id usqve tempus valdè gravia, haut mediocriter, clementiâ ejus levata, grato animo agnoſcebant.

Ea tempeſtate habitabat in Dalis Cataneſiæ vir fama opibusq; celebris, nomine Maddan, ſeu Maddadus. Duo illi filii Magnus munificus, & Comes Ottar de Thorſa, vir magnificus; Filiæ tres Helga, Frakaurk & Thorleif. Helgam Comes Hacon concubinam habuit, procreavitq; ex ea Haraldum, a fandi facultate ſvaviloqvum dictum, filiasq duas, Ingibiorgem, qvæ nupſit Olafo Bitlingo Hæbudarum Regi, & Margaretam. Frakaurk ſecunda Maddadi filia maritum habuit Liotum, cognomine Nidingum, virum primarium, qvi in Sudurlandia habitavit. Eorum filia Steinvor (alias Steiny) craſſa, Thorlioti uxor de Rekavicha: qvinqve illis filii, Aulver cognomine Roſta, Magnus, Ormis, Maddan & Endridius, filia unica nomine Audhildis. Altera Lioti ex Fakaurke filia fuit Gudrun, ſociata Thorſteino Hauldo Fiaransmunno his duobus cognominibus notato: eorum filius Thorbiornus cognomine Klerkus. Alium etiam filium non tamen eadem matre natum Hacon habuit, nomine Paulum, verbis parcum, atqve inde mutum cognominatum, acceptum tamen omnibus.

Hi fratres, utpote diverſis ingeniis prædiți, à teneris inter ſe diſſidebant. Qvot annis Hacon rem Orcadenſem geſſerit, non invenio, nec ſynchroniſmum, qvi inveſtigandi occaſionem præbeat, niſi qvòd eum ab anno Chriſti, MCIII, Paulumq; filium, poſt eum, ad annum MCXXXVI. imperâſſe conſtat, utrumqve annos XXXIII. Morbo deceſſit, non ſine magno civium deſiderio, longam pacem,

cem, pacisq; exoptatos fructus, adulto ejus imperio perceptos, animo reputantium, qvos ut per fratrum concordiam proinde carpere liceret, jam tum verebantur.

CAP: XIX.

Filii Haconis Haraldus, Svaviloqvus, & Paulus, inter se discordes, Orcades dividunt. Accessione Cataneſiæ potentior Haraldus, materteram ſuam Frakaurkem, pluresq; ex eadem familiâ, Sigurdum qvoqve Slembidiaconem in Orcades transfert, qvi Thorkelem Nutricium occidit, ideoq; relegatur. Comes Haraldus venenato indūſio exſtinctus. Frakaurk relegatur, ejusq; familia deſcribitur.

Ut primùm imperium ad filios Haconis Haraldum & Paulum devolutum eſt, exorta diſſenſio, cùm ſocietatem communis adminiſtrationis non permitteret, ad diviſionem eos compulit: diviſio inde imperii, Procerum in factiones diſtractorum, etiam ſtudia diviſit, amicamq; concordiam rupit. Inſulæ æqvaliter inter eos diviſæ, vires qvoqve eorum & potentiam æqvabant: Cataneſia verò, beneficio Scotiæ Regis, Haraldo conceſſa potentiorem eum reddidit, ubi etiam ſæpius reſidebat, interdum qvoqve in Scotiâ, nam & ibi multos agnatos habuit. Dum in Sudurlandia morabatur, acceſſit eum vir nomine Sugurdus Slembir ſive Slembi Diaconus ita credo, dictus, qvòd ſacrum miniſterium, ad qvod diſtinatus imbutusq; erat, nimio faſtu inflatus, ut infra ſuam ſortem, reſignaverit. Habitus eſt filius Sacerdotis in Norvegia, nomine Adalbricti: mater ei Thora filia Saxii ſeu Saxonis de Vicka, ſoror Sigridis ex qvâ Magnus Nudipes Norvegiæ Rex Olafum filium, poſtea etiam Norvegiæ Regem procreavit: poſtea Thora ſe qvoqve ex Magno Nudipede, hunc Sigurdum ſuſcepiſſe palam profeſſa eſt. Is etiam matris teſtimonium infamiæ ſecurus, ſpe Regni Regiæq; ſortis adipiſcendæ ſecutus, ſe pro ejus filio, proceſſu temporis, gerebat. Diu apud Davidem; eo nomine primum, Scotiæ Regem, magno in honore fuit. Inde ad Comitem Haraldum pervenit, & perbenignè ſuſceptus, eum in Orcades comitatus eſt, aſſumptâ etiam matertera Frakaurk (nam maritus ejus Liotus Nidingus deceſſerat) ut & Audhildâ Thorleifis filiâ, tunc temporis orbatâ qvoqve marito Eirico, cognomine Streita, ex qvo filium ſuperſtitem cognominem habuit, Eiricum cognomento Slagbrellerem, nam poſtea nupſit Haconi Piki, Sigurdi filio de Veſtneſiâ, Pauli Comitis pronepoti. His omnibus Sigurdus, in primis Comiti Haraldo magnopere placuit. Horum adventus ſopitas jam pridem factiones reſuſcitabat, ſingulis Comitibus, præcipuos Procerum certatim ad ſe allicientibus. Inter intimos Pauli, Conſiliarios eminebat Sigurdus de Veſtneſia. Ingibiorgis Ragnæ, alio cognomine Tignæ, id eſt nobilis, maritus, & Thorkell Sumarlidinus, Comitis Divi Magni Agnatus. Perpetuò hic in domo Pauli Comitis verſabatur, ideoqve Foſtri ſev Nutricius appellatus: diverſus tamen ab illo, qvi proavum eorum Thorfinnum, in puerili ætate ipſe vir educabat: licèt propria ſingulorum, tum nomina, tum etiam cognomina, inſuper etiam parentum, hic concurrant. Id qvod ſæpius accidit, non ſine ingenti hiſtoriarum damno, imo totius hoc confuſionis origo eſt & fons erroris: neqve enim, qvid ſingulis competat, facilè diſcerni poteſt, omiſſo numero nominum ſibi invicem cognominum. Hinc nullus Sereniſſimorum Daniæ Regum hiſtoriam à ſtirpe Oldenburgica ad noſtra usqve tempora, aut Galliæ Regum aut aliorum Principum vel conſcribere vel intelligere poſſet, niſi, certo numero, ſingulorum nomina diſtingverentur. Fuit hic ipſe Thorkell Haraldo ejusq; amicis magnopere ſuſpectus, tanqvam qvi irritatus

cæde propinqui ſui Divi Magni, lites inter Comites, in mutuas tandem cædes erupturas, ſeſere, fovere, adq; utriusqve perniciem deducere, propinqviq; necem, in interfectoris prolem vindicare moliretur. His perſvaſionibus circumventus Haraldus, conſilio auxilioq; *Sigurdi Slembirni*, Thorkelem occidi curavit: ſed qvam cædem adeò moleſtè Paulus tulit, ut continuò in ultionem ejus copias armaret. Cives, mutuam perniciem ſapientibus conſiliis propulſaturi, utrumqve à violentis machinationibus dehortabantur, propoſitis conditionibus, utriqve privatim, tum etiam publicè ſalutaribus: qvibus tamen Paulus nullatenus acqviеſcere volebat, niſi omnes, qvi in cædem illam conſpirâſſent, proſcriberentur. Res ad exitium ſpectare optimatibus viſa eſt: itaqve precibus Haraldum tantiſper fatigabant, donec ſe fratri morem geſturum polliceretur. Ergo proſcriptus Sigurdus cum omnibus illis, qvorum culpa maxima Paulo videbatur. Adjectum & pacificationi, ut, ſopitis mutuis ſuſpicionibus, diſidiisq; Comites amicitias reducerent, ſimulq; ad feſtum Jolenſe, inſignioraq; omnia celebranda certo loco convenirent. Sigurdus interea in Scotiam ad Regem Davidem rediit, habitusq; benignè, fortitudinis animi, viriumq; tanta experimenta dedit; ut ſummis viris annumerari meritò poſſe videretur, manſitq; ibi donec Hieroſolymam proficiſceretur, ubi ſe in amne Jordane abluiſſe perhibetur. Variis deinde terris perluſtratis, in Norvegiam revertit, filiumq; ſe Magni Regis Nudipedis profeſſus, ab Haraldo Gillio, ut ſe fratrem agnoſceret, poſtulavit. Rex cùm dimidium Regni ſibi hac petitione extorqveri prævideret, ipſeq; prius eodem poſtulato viam ſibi ad univerſum ſtruxiſſet, veritus, ne qvod ipſe fecit exemplum, à ſe, adversùs ſe caperet, ob cædem Thorkelis Nutricii amici ſui, in occidentalibus regionibus præcipui, tanqvam in ſuam contumeliam factam, eum in jus vocatum, capitisq; condemnatum, navi aqvis necandum imponi curat. Sed eluſis hîc nautis undas inſiluit: cumq; manus eorum evaſiſſet, & poſtea, captiosâ qvæſtione, per qvosdam Satellites Regis, ad id ſubornatos, ubi ea nocte acqvieturus Rex eſſet, elicuiſſet, eum mero ſomnoq; ſopitum oppreſſit. Inde tracta in partes ſuas celebri Cimbriæ urbe Alaburgo, magnis calamitatibus Norvegiam afflixit. Captus verò tandem omnibus intolerandis cruciatibus laceratur: qvos mirâ tamen & humanam ſortem ſuperante conſtantiâ & fortitudine ſingulos toleravit: inter media namqve carnificum tormenta hymnos Davidicos absqve hæſitatione recitabat. Qvâ qvidem patientiâ, vel indurati adverſus vim doloris animi pertinaciâ, rarisqve aliis, vel virtutibus, vel vitiis à privata ſorte alienis, genus Regium aſſeruiſſe multis videbatur. Verùm hæc multo poſterius contigerunt, qvàm de qvibus in præſens ſermo eſt. Ad Comites redeo. Jamq; feſtum natale Redemptoris, nobis Jol, vel Jul inciderat: cùm Haraldo, ex compacto, communi impensâ fratrem excipere, & Aulam utriusqve ſuſtentare, competeret. Convivium itaqve magna curâ & apparatu, advectis undiqve qvæ vel neceſſitas vel ornatus & magnificentia reqvirebant, in villâ ſuâ Jorfiarâ inſtruebat. Ibi mater ejus & matertera Frakaurk, in conclavio qvodam, conſuendis veſtibus operam impendebant. Ad eas ingreſſus Comes, in pulpito ſedentes, niveamq; veſtem linteam, artificioſè ornatam, auroq; paſſim intextam, inter ſe verſantes deprehendit, qvæſivitq; cui illam tam pretioſam deſtinâſſent. Paulo, inqvit, Frakaurk fratri tuo. Itane, ait, ei tantâ induſtriâ ornatuq; veſtem conſuitis: mihi autem curâ longè leviore. Recens tunc lecto ſurrexerat, interiores tantùm veſtes, induſium ſubligaculumq; induitus, qvibus cænatorium ſuperinduxerat. Ut verò conſpectum veſtimentum revolvere cæpit, mater arripiens monuit, ne fratri prætioſam veſtem invideret: ille vi detractam protinus indutui geſturus materteram tanto mœrore affecit, ut, abjectâ calyptrâ, comam velleret, & dilaceraret, iterum atqve iterum multis lacrimis dehortata: Sindonem qvippe, licèt ſpecioſam, repentinam ei mortem ſi indueret, illaturam. Nihil matris nihil materteræ comploratu motus, in perniciem ſuam præceps & obſtinatus Haraldus, vetitum toties veſtimentum aſſumit. Qvod ut primùm ad inferiora defluxit, univerſum corpus, repentino horrore perculſum, ingentibus cruciatibus afflixit: ut illatus ſubitò lecto, poſt breve tempus, exſpiraret,

magno

magno amicorum dolore. Artibus Medeæ contextum hoc veſtimentum, philtroq; inſuper imbutum videtur, qvo contrectantem ita faſcinaret, ut non poſſet ſibi temperare, qvin indueret. Perniciem ſibi ſubdolo iſto munere ſtructam Paulus judicabat: itaqve veneficas eas cum omni familia, inſulis, qvas jam ſolus omnium civium ſuffragio tenebat, exegit. Primo hinc in Cataneſiam conceſſerunt inde ulterius in Scotiam, ad prædia, qvæ Frakaurk ibi multa poſſidebat, ubi ſoror Helga eam ſecuta, remanſit, filiaq; ejus, ex Hacone Comite, Margareta. In Frakaurkis præterea nutricatu educabantur Erlendus, Comitis Haraldi Svaviloqvi filius, ſororis Helgæ nepos, dum tenellus eſſet; alterius etiam ſororis Thorleifis ex filia Audhilda nepos, Eiricus Slagbrellir, Erici Streitæ filius; tertius ipſius Frakaurkis ex filia Steinvore (qvæ etiam Steiny vocatur) nepos, Aulver Roſta, Thorlioti de Rekavika filius; qvartus pronepos ejus Thorbiornus Klerkus, Steinvoris ex filiâ Gudrunâ nepos, Thorſteini Hauldi Fiaransmunni filius. Hi omnes illuſtri proſapiâ nati inſignes viri evaſerunt. Auctor noſter ſingulos jus ſibi ad imperium Orcadenſe vindicâſſe tradit: verùm qvale fuerit non exprimit. Neqve ex generis ſerie liqvet, cùm tres illi à Maddado Cataneſiæ cive profluxerint, cujus majores non exprimuntur, ut nec Thorlioti de Rekavika, aut Thorſteini Hauldi Fiaransmunni, aut etiam Eirici Streitæ qvorum iſte Aulveris Roſtæ, ille Thorbiorni Klerki, hic autem Eirici Slagbrelleris pater fuit, ad Comites tamen genus retuliſſe, ex Frakaurkis verbis poſtea referendis liqvet, licèt qva ratione non conſtet. De Erlendo controverſia nulla eſt: cùm fuerit patris Comitis Haraldi Svaviloqvi & ultimi poſſeſſoris filius.

CAP: XX.

Catalogus eorum, qvi Orcades id temporis incoluerunt, recenſetur.

Floruerunt hoc tempore in Orcadibus hi præcipui, ex Comitum proſapiâ oriundi, licèt ſingulos auctor, expreſsâ generis ſerie, à Comitibus non derivaverit. Sigurdus qvi in Hroiſseya prædium Veſtneſiam incoluit, ejusq; filii Hakon Pik & Brynioifus, de qvibus ſupra. Filii qvoqve Havardi Gunnaris Hacon Klo, Thorſteinus & Dufniali præcipuum locum gratiæ tenuerunt. In Tanskarneſiâ Erlingus, qvatuor filiorum optimè inſtituorum pater, habitabat: qvorum tamen nomina omiſſa ſunt. Gareſſeyam incoluit Olafus, vir ſtrenuus, & ſummæ apud Comitem Pauluni dignationis; uxor ei Asleif, præclarâ familiâ orta, ingenio heroina: eorum liberi Valthiofus, Gunnius, & Svenus, filia Ingigerdis: ſinguli ſeduiâ educatione, iis artibus informati, qvæ illo ſeculo in maximo pretio fuerunt. Sigurdus Comitis affinis dictus, qvòd Thoram Divi Magni matrem uxorem duxerit, inter præcipuos proceres numeratur, qvorum filius Hacon Karl. In Rinarseya habitabat Ragna magni nominis Matrona, cujus filius Thorſteinus, magni qvoqve nominis vir. In Vellureya prædium Geſisneſiam habebat vir, opibus & prudentiâ celebris, nomine Kugius, atqve in eadem inſula, in vico illic ſito, vixit Helgius. Thorkell Fletta homo iniqvus & audax, inſulæ ejusdem incola, duos habuit filios ſui ſimiles, pluribusq; inviſos Thorſteinum & Haſlidium. In Svineya, in freto Pictico, vitam degit vir pauper nomine Grimus, pater duorum vegetorum filiorum Asbiorni & Margadi. In Fridareyia Dagfinnus. Fluguneſiam, promontorium in Hroſſeya, incoluit Thorſteinus: ejus filii Bliam, & Thorſteinus Krokauga, ſeu oculus angularis, forte etiam fallax, viri feroces. In Knarraſtadis ſedem ſuam collocaverat Comitis Erlendi filia, Jatvor, cum filio ſuo Borgare, aliàs Bergo, ipſi qvoqve civibus inviſi. In Haeyæ Uplandia vix vitam coluit Jon Væbgus ſeu Ala, & in Straumeyæ prædio Breckum, Rigardus, ambo in re tenui. agnati tamen Olafi de Garekseya, qvi Hrolfi erat filius. Glettuneſiam incoluit Grimkell. Horum cùm mentio aliqvando incidat, auctor hic eorum enumerationem, appo-

ſito loco, præmiſit: qvò lector, abſqve magno labore, eorum nomina prædiaq; & inſulas, ubi vixerunt, tanqvam in tabulâ, faciliùs perſpicere qveat.

CAP: XXI.

Geſta Comitis Rognvaldi Kalii in juventute, ejusq; inſtitutio recenſentur. Inter eum, & Jonem Pedem, amicitia, per miniſtrorum cædes labefactata. Havardus, Kalii comes, & Solmundi Quæſtoris Tunsbergenſis miniſter occiditur, cædesq; ejus Koli conſiliis, operaq; Hallvardi, qvi cæſi frater, & auxilio Unii cujusdam, vindicatur. Jonis Pedis ultionem maturantis clades. Ad majora mala avertenda, Rex Sigurdus Hieroſolymipeta partes conciliat, Kaliumq; Comitem Orcadenſem creat, datâ in feudum dimidiâ inſularum parte.

KOlus, Kalii filius, Divi Magni ſororius, vir ſapientiâ plurimos ſui temporis præſtans, patrium in Agdis, Norvegiæ provinciâ, prædium incoluit, nec ad habitationem in Orcades transferendam animum appulit. Ejus filium Kalium, vegetum juvenem, magnæ ab ipſa juventa, animi corporisq; dotes exornârunt: nam ſtatura huic mediocris, membrorum decens proportio, capillus colore amethiſtino nitidus, ingeniumq; ad artes percipiendas facile. Qvarum artium illo tempore pretioſiſſimarum, novem ſe caluiſſe artificioſo illo carmine, qvod adhuc ſupereſt, ipſemet memoriæ prodidit: videlicet latrunculorum luſum, Runarum cognitionem, librorum lectionem, Muſicam, Poëticam, ad ſcopum collineandi peritiam, Xylo ſolearum, & remorum uſum, fabrilesq; artes, qvæ, ſub communi conceptu, omnes nomine *Smid* comprehenduntur. Plures tamem, qvàm unam tenuiſſe, etiam Norvegorum & Iſlandorum hodiernus uſus nos docet, qvorum multi, propriâ induſtriâ docti, qvàm plurimas callent, ligni, ferri, æris, argenti etiam formandi, haud omninò imperiti. Integrum verſum affert, & explicat Celeberrimus *OLAUS WORMIUS Literaturæ Runicæ Cap: XXII. pag. 118. editionis Marizanæ*, hoc modo:

Oblectamenta mihi novem ſunt, Scachicus ludus, Runarum ligatura, librorum lectio, fabrilium, cultura, nives ſoleis calco ligneis, arcu qvosvis ſupero, & remis, fidibus canto, & poëſi.

Apud Agnatum ſuum Solmundum plurimum vixit. Is Tunsbergæ qvæſtor, magno famulorum clientumq; numero ſtipatus, atqve inter Proceres Regni, Primariosq; inſignis, in orientali Agdarum parte prædium magnificum habuit. Qvindecim annorum erat Kalius, cùm mercaturam primò exercebat, initaq; cum mercatoribus ſocietate, in Angliam profectus, in urbem Grimsbæ (fortè eam, de qva hiſtoriam conſcriptam citat *Knyghton, de eventibus Angliæ Lib. I Cap: V*) merces convehebat: Illuc namqve utpote ad publicum emporium, ingens hominum numerus è Norvegia, Scotia; Orcadibus & Hæbudis confluebat. Ibi in virum qvendam, qvi ſe Gilli Chriſtum, vel GilChriſtum, appellavit, fortè incidit. Multa ille de ſtatu Norvegiæ, incolarumq; conditione, ingenio moribusq, ſciſcitatus, & plurima familiariter cum Kalio collocutus, tandem etiam amicitiam junxit, ſecretoq; aperuit, ſe filium eſſe Regis Magni Nudipedis nomine Haraldum, matrem autem in Hæbudarum una inſula vivere. Interrogabat deinde, ſi forte Norvegiam peteret, qvaliter ſe exceptum fore ſtatueret. Bene, reſpondit Kalius, de Rege Sigurdo ſperandum: utiqve ſi intervenientium conſiliis haud præpeditus, ſuo ingenio arbitrioq;

oq; permitteretur. Sub diſceſſum, mutuis muneribus contractam prius neceſſitudinem firmabant, qvam ſtabilem in poſterum, adq; mutuos uſus, & utriusqve conatus promovendos promptam, ſi fortuna eos iterum præſentes jungeret, invicem ſpondebant. Inde Norvegiam repetens Kalius, ad Agdas delatus, mox Bergas navigavit, carmenq, adhuc reſiduum, de profectione, moraq; Gremsbæis acta, pepigit. Repletæ erant illo anni tempore Bergæ omnis generis negotiatoribus, tam indigenis ex borealibus, auſtralibusq; plagis allapſis, qvàm externis, diverſas mercium ſpecies undiqve aſportantibus. Publicum itaqve diverſorium, cui celebris matrona nomine Unnur præfuit, Kalius cum ſociis, more eo tempore etiam Regibus familiari, freqventabat, inſtituto licèt Regio faſtigio minus digno, aliàs tamen haud inutili. Ibi enim diſtinctorum ordinum cultioribus hominibus converſari juniores diſcebant, variaq; plurimarum rerum ad omnes vitæ gradus, uſusq; ſpectantium argumenta, crebris diſcurſibus atqve exqviſitis rationibus confirmata hauriebant, Regiàq; & Procerum, graviorumq; virorum præſentiâ coërciti, temulentiâ, eamq; comitantibus vitiis abſtinebant, ſpecimenq qvoddam diſtribuentis juſticiæ in debito honore cuiqve tribuendo capiebant, virtutum homiliticarum exercitia probè aſſecuti. Kalius cultiori veſtitu, qvippe ex Angliâ rediens, ſe exornabat, ſibiq; haud minimum tribuebat: namqve ab aliis omnibus tum propriarum virtutum commendatione tum etiam generis nobilitate magni fiebat. Inter conſeſſores, ſatrapa qvidam juvenis eminebat, nomine Jon, Petri filius, Serki de Sognia nepos, mateq; ei Helga, Hareki de Sætris filia: nec is ſibi parum placebat, magna qvippe indole generis, artiumq; celebrium ornatu, tum etiam officii dignitate conſpicuus. Inter eum & Kalium freqvens converſatio familiäritatem, mox etiam arctiorem amicitiam conciliabat. Finitis negotiis, ſuam qvisqve domum, non ſine amica ſalutatione, repetebant, Jon qvidem Sogniam, Kalius Agdas, patrium domicilium: licèt hieme qvotannis maximam partem apud Solmundum hic moraretur, æſtatibus aliubi & aliubi mercaturæ inſumtis. Inter hæc in Thrandheimum provectus, adverſis ventis in inſula Dollseya detentus, antrum ibi ingens, recondirarum opum poſſeſſione famoſum cognovit. Earum igitur occupandarum libido, tum eum tum etiam reliqvos mercatores inceſſit, qvi antrum ingreſſi, in maxima offendicula inciderunt: tandem verò ad lacum, per transverſam ſpeluncam extenſum, perventum eſt, qvam tranare præter Kalium, domeſticumq; Solmundi nomine Havardum, nemo auſus eſt: hi enim reſti, eminus juncti, Kalio torrem manu tenente, interq; ſcapulas cum ſilice fomitem gerente, ſtagnum ſuperabant. In illâ parte ſalebræ multæ ſaxaq; impedita, tetra inſuper fuligo, ſævæq; mephites nauſeam moverunt, magnaq; difficultate candela accenſa eſt. Deterriti itaqve à longiore profectione, monumentum itineris eo loco erexerunt, Kalio fortia hæc auſa pe i ulo-ſumq; iter carmine celebrante, qvod etiamnum ſuperat adductum à *Thoma Bartholino*, qvi verbum pro verbo reddidit *Antiqvitatum Danicarum Lib: II Cap: II. pag 277*. Inde redituri ad ſuos, Bergas, ſpirante vento ſecundo, contenderunt, priſtinoq; uſus hoſpitio Kalius Jonem Petræum veterem amicum ibi offendit, comitatum inter cæteros Bryniolfo viro præcipuo. Inter hunc, & Havardum Kalii Comitem, qvadam nocte, poſtqvam utriusqve domini cubitum iſſent, multiq; adhuc poculis indulgerent, exorta controverſia, de ſatraparum Norvegorum eminentia, ſingulos ad ſuarum partium ſtudia traxit: Bryniolfo domini ſui partes propugnante, prædicanteqve neminem in auſtralioribus Norvegiæ provinciis, usqve ad Stadenſe promontorium, qvi juniores eſſent, qvà generis nobilitatem, atqve animi corporisq; dotes, ei comparandum: Haverdo Solmundum nulla ex parte ei inferiorem, imò Vichenſium æſtimatione, etiam honoratiorem contendente. Contentionem incenſus animi calor, ebrietasq; fovens, utrumqve ad rixam iramq provexit adeo, ut impotens ſui Havardus, ligno caput Bryniolfi tanto ictu feriret, ut inter aſſidentium manus animo linqvi cæperit. Havardus interea ad Kalium dilapſus, qvi eum continuò auſtrum verſus ad Præsbyterum qvendam nomine Richardum prædium Alvidram obtinentem cum Comite amandat, petens ut hoſpitio eum exciperet,

ciperet, donec ipſe ſuccederet. Hi duo arreptâ naviculâ protinus, eò tendebant, diuq; per noctem remigabant, donec ad Græningiaſundam ventum eſſet: tum Havardus, primo ſe periculo defunctos gloriatus acqvieſcendum, feſſaq; corpora ſomno recreanda monens, ſecum cæteros ad dormiendum allicit.

Interim Bryniolfus, cùm ad ſe rediiſſet, ad Jonem deducitur, qvi, cognitâ cauſsâ, illico collegit, ſubductum à Kalio Havardum, in auſtrum conceſſiſſe. Perſeqvi itaqve abſqve mora juſſit, decemq; ſuorum lembo impoſitos delegit, qvi citato remigio, duce Bryniolfo, iter maturarent. Illi mandata avidè exſeqventes, qvod reliqvum erat noctis, remigando terunt primoq; diluculo ad Græningiaſundam delati, navem in litore conſpiciunt. Placuit Bryniolfo excubantes in ſtatione nautas, ſi qvid de Havardo iis conſtaret, interrogare: iis igitur excitatis, ſimulq; cognitis, mors protinus illata eſt. Mox reditum Bergas, ubi cædes primùm Joni, deinde civibus publicata. Ad Kalium igitur, graviter ſuorum necem ferentem, placandum, Jon, miſſis nunciis, æſtimationem omnem arbitrio ejus committit, ſalvo Regis propinqvorumq; Havardi jure Qvam conditionem, ut ſibi honorificam, Kalius acceptans, nullâ tamen reconciliatione domum redit, patriq; rem, ut geſta erat, exponit. Qvi, increpato filio, qvòd, inconſulto Solmundo, litem compoſuiſſet, negabat in ejus poteſtate pacificationem ſitam fuiſſe, nec qvicqvam ulterius, qvàm ut, intercеſſione ſuâ, partes conciliaret, nec Solmundum tantâ facilitate ad compoſitionem in ejus cauſſa properaturum fuiſſe, ſi Kalii domeſticus ipſo præſente occiſus eſſet. Ad hæc Kalius. Ita eſt, inqvit, pater, nimium forte præcipitavi: neqve enim aderas, cujus conſiliis frui poſſem, ſæpius etiam experior, conſilio ſapientaq; tuà me deſtitui. Interim tamen nihil de honore, jureq; Solmundi detractum exiſtimavi: etiamſi oblatum mihi honorem non recuſarem. Nec eſt, qvòd vos bonas conditiones, modò offerantur, abnuatis: licet, an offerantur, valdè dubitem Ego certè nullo me vinculo Bryniolfo obligatum agnoſco, cùm neqve, qvid placeat, adhuc deciderim, nec pecuniam ſatisfactionis loco acceperim. In his uterqve inter ſe diſſentiebant: at nuncio tamen ad Solmundum miſſo, certiorem eum de omnibus faciunt. Cùm autem conveniſſent, placuit Kolo, ſatisfactionem per nuncios peti: Solmundus contra ut & Hallvardus, Havardi occiſi frater, cædem cæde penſandam cenſuerunt, indignum qvippe, reconciliationem poſt tantas offenſas peti. Prævaluit tamen Koli ſententia, ad moderationem inclinans, præſertim cùm promitteret ſe, cauſſam non prius deſerturum, qvàm Solmundo eſſet ſatisfactum: ideoq; omnis actio, agendorumq; ordo ejus auctoritati poteſtatiq; commiſſus eſt. Verum haut placidum reſponſum nuncii ad Jonem miſſi referebant: negabat enim ullam ſatisfactionem, multamve ſe ob cædem hominis, qvi p otervitate ſua eam promeruerit, luiturum.

Solmundus acu ſe tetigiſſe reſpondit, qvale reſponſum à Jone fuerit exſpectandum: itaqve Kolum, qvid facto opus eſſet, ut ſuggereret, rogat. Ille ab Hallvardo, Havardi fratre, qværit, velletne ſe alicui periculo, ad vindicandam fratris cædem, exponere: dubio qvantumvis eventu, nihil ſe qvidem ſubterfugiturum, etiamſi propriam vitam in diſcrimen conjecturus videretur cùm reſpondiſſet: itaqve inqvit Kolus, qvàm occultiſſimè Sogniam petes. Ibi vir qvidam, Joni vicinus, haud qvidem magnâ in re, oppreſſus qvippe jam diu injuriis ejus, prudens tamen, pecuniæq; ex parte indigens, mihi amicus, jamq; ad ſenium vergens: ei appenſas ſex marcas argenti, meo nomine, tradas, ut te conſiliis rebusq; neceſſariis inſtruat, qvo vindictam de Bryniolfo, aut qvovis alio Jonis domeſtico, haud minoris ſortis aut æſtimationis tutiùs repetere poſſis. Qvæ ſi proceſſerit, in prædium Studlam, (ſitum in paræcia Hardangriæ Ætna provinciæ Bergenſis) te curabit deducendum, ad Agnatum meum Ormum Kirpingum, filiosq; ejus Augmundum & Erlingum: receptaculum perinde tutum ac ſi domi eſſes. Villam ſuam deinde ut vendat, atqve huc ad me cum tota familia concedat, mone. Paruit præceptis Hallvardus, iterq; illico ingreditur, & ad Unium in Sogniam, inclinante in veſperam die, pervenit. Alieno nomine aſſumpto, comiter exceptus, ad focum introducitur:

ducitur: ubi, qvæſtionibus de variis rebus ultro citroq; verſatis, hoſpes, qvinam in Hordiâ & Sogniâ dignitate præpollerent, exqviſivit. Jon Petræus reſpondit Unius, ſatrapis omnibus potiòr videtur, nobilitatis ut & injuriarum reſpectu, adjecitq; an nullum ejus experimentum in auſtralioribus Norvegiæ provinciis ſenſiſſent: ad qvam qvæſtionem hoſpes confuſus conticuit.

Dilapſis deinde, qvi ad focum aſſederant, cùm ſoli remanſiſſent, Hallvardumne, ait Unius, te pridem appellâſti: minimè reſpondit, Saxium enim me hoc veſpere nuncupavi: denotat autem gladium, qvo titulo propoſitum ſuum ambagibus implicatum, ſagacioribus conjectandum reliqvit. Expers itaqve curæ tuæ ſum, inqvit Unius: innuens profecto hoſpitalia jura, qvæ hoſpitem protegi, non prodi imperant. Eqvidem ſi Bryniolfus vocarer, te Hallvardum appellari exiſtimarem: verùm hinc cubitum diſcedamus. Inhibens Hallvardus non ita propere ait, expeditaq; pecuniâ, ſalutem Koli refert, donum promit, conſiliaq; exponit, adjecto poſtulato de ultione promovenda. Unius dignum qvidem eſſe Kolum ait, cui obſecundet, qvantumvis de ſucceſſu incertus ſit, craſtino tamen die Bryniolfum ad ſe venturum, ad avehendas Concubinæ ſuæ veſtes. Hallvardo igitur in eqvile præ foribus ſitum deducto, monſtrat locum ubi in ſtabulo occultari poſſit, & deinde in cubile introductum in lecto collocat, ad amoliendam à ſe ſuſpicionem occultati per noctem hoſpitis. Summo mane Hallvardus exſurgens, monſtratam latebram petit: nec longo tempore deluit, cùm virum vegetum advenientem obſervat, qvi feminam, ut ſe ad iter expediret, adhortans, depoſitis armis, veſtes illius faſciculo involvit. His indiciis Bryniolfum cogitum aggreſſus illico lethali vulnere percuſſit, regreſſusq; in eqvile, ubi ſe abdit. Dum cædes perageretur, femina ad ſalutandos ingreſſa erat. Rediens autem, ut amaſium occiſum animadvertit, qvaſi mente capta, magno ejulatu, qvid geſtum eſſet indicat, Unius, conſternati ſpecie, domo egreſſus, ut aufugiſſe hoſpitem perſvaſit, ſicarium ejus generis, qvos aſſaſinos appellant, fuiſſe conjectabat, miſſoq; ad Jonem cædis nuncio, dum ad perſeqvendum auctorem, omnes acerrimè adhortatur, efficit, ut nemo illum conſcium ſuſpicaretur. Interea Hallvardus in eqvili delituit, qvoad inqviſitio duraret. Deinde ad Studlam, Unio proſeqvente, provectus, ab Ormo Kirpingo filiisq; ejus, domum cum idoneo comitatu deducendus curatur. Qvem Kolus, Solmundusq; gratanter excipientes, ſuperbiam Jonis caſtigatam lætabantur: inde cædis auctor, non item receptator, in vulgi notitiam pervenit. Exarſit graviter Jon, indignatus tantum in ſe hoſtibus licuiſſe, materiamq; de ſe triumphandi, iis, aliis etiam irridendi uberrimam relinqvi: annum tamen vertentem ſubſtitit. Ut verò tempus Chriſti natale appropinqvabat, domo cum triginta comitibus armatis profectus, ad Olaſum Avunculum ſuum ſe contulit, à qvo ſummo ſtudio exceptus, patefecit ſe in Orientales Agdas ad Solmundum oppugnandum tendere. Diſſvadebat id Olafus, dictitans, haud inferiores partes hoc ſtatu videri reportâſſe, nec hac invaſione ſuperiorem futurum. Ille probroſum ſibi ratus, ſi Bryniolfum inultum ſineret, triginta alios armatos in itineris præliiq; ſocietatem impetravit, atqve ita ſexaginta inſtructus, per montana itinere facto, improviſò Solmundum aggredi decrevit. Verùm Unius, ut primùm Jon domo profectus eſt, ad Ormum Kirpingum in Studlam magnis itineribus contendit: ubi comitatu, viaticoq; inſtructus ad Kolum, ſub feſtum Natalitiorum, devenit, certumq; de Jone Pede, eos propediem invaſuro, cervicibusq; eorum jam jam imminente, nuncium afferebat. Itaqve Kolus, ſpeculatoribus, qvaqva versùm miſſis, qvi de itinere ejus, moraq; & via, qva incederet, certiora afferrent, ad Solmundum proficiſcitur. Convocatis ergo è vicinia plurimis, magno ſe uterqve armatorum numero domi ſepſit. Ut autem de itinere illius certiores facti ſunt, occupandum, non exſpectandum hoſtem rati, obviam ei phalangem ſuam duxerunt. Ad ſilvam conveniebant, ſtatimq; concurſum eſt, nec id diu: nam & Kolus, & Solmundus, numero longè prævalebant, multis cæſis victoriam obtinebant. Jon, cum reliqviis cladis, in ſilvam ſaucius fugiens, accepto in pede vulnere debilis, diuq; ægrotans, poſt ſanationem, qvoad vixit, claudicabat. Inde per opprobrium Jon Pes in poſterum appellatus,

tempore qvadragesimæ cum omnium irrisione ignominiâ plenus domum rediit. Sequente æstate duos ex agnatis Koli Cunarum & Aslacum occidi curavit. Paullò pòst Sigurdus Rex in urbem (Tunsbergam credo) delatus, intestinas civium turbas cognovit: ambos itaqve ad se citatos reconciliare studebat. Suâ qvisqve familiâ, amicis, clientibusq; cincti comparebant: sed Regis tandem judicio omnis lis decidenda permittitur, ut mutuâ sponsione ratum foret, qvod censuerit. Ille, senatorum sapientissimis in consilium adhibitis, amicos eos esse jussit, adq; amicitiam, in perpetuum stabiliendam, Ingiridem Koli filiam Joni in uxorem dari mandavit. Cædes cædibus compensatæ, nec multa ulli partium irrogata: insidiæ enim Kolo à Jone structæ, armataq; invasio cum vulnere ejus, cladeq; casorum collatæ. Adjectum præterea, ut mutuis auxiliis sibi invicem, sive intra, sive extra Regnum succurrerent. Hanc reconciliationem Rex magnâ benevolentia honorisq; gradu decorabat, Kalio, Koli filio, Comite creato; & datâ ei dimidiâ Orcadum parte, qvam Avunculus ejus Divus Magnus possederat, clientelari possessione tuendâ; inditoq; Rognvaldi nomine, ab illo Brusii filio petito, qvem omnium Orcadensium Comitum speciosissimum, absolutissimumq; fuisse, mater ejus Gunnhildis dictitabat: idq; felicitatis omen augurabatur. Atqve ita qvi infensissimi hostes accesserant, clementi Regis providentiâ ad concordiam reducti, integerrimi amici discedebant.

CAP: XXII.

Rex Norvegiæ Sigurdus Hierosolymipeta moritur. Ejus filius Magnus succedit. Patruus Magni Gillius, qvi pridem Regni jus abdicarat, dimidii Regni Rex, Procerum voluntate, creatur, ejusq; juramentum irritum pronunciatur. Nepoti conciliatur. Dissidiis inde denuo exortis, nova bella emergunt, qvæ variâ fortunâ gesta. Victus Haraldus, Regnoq; profugus, reparatis viribus, victorem Magnum capit, castrat, exoculat. Comiti Rognvaldo Orcades, titulumq; Comitis à Magno revocata confirmat. Kolus & Rognvaldus legatos ad Comitem Paulum mittunt, postulantq; ut hæc rata haberet. Illo arma parante, societatem cum Frakaurke & Aulvere Rosta jungunt, ea lege, ut victo Comite Paulo, insulas ex eqvo inter se dividant. Utriqve expeditionem adornant. Paulus separatim cum Frakaurke congressus, prælioq; victor Hialtlandiam petit, ubi tunc Comes Rognvaldus, qvem ex improviso adortus, classe & vecturâ exuit. Rognvaldus, tantâ clade acceptâ, in Norvegiam redit, iterum fortunam tentaturus.

Hac hieme Rex Sigurdus Osleyæ degit, qvæ urbs qvondam Norvegiæ celebris, hodie verò Christiania, nomine incliti Daniæ Norvegiæq; Regis *Christiani Qvarti* appellatur. Vere sequente in morbum incidit lethalem, diemq; suum VII. Calendas Aprilis, post festum annunciationis Divæ Virginis obiit, anno gratiæ MCXXX, ætatis, ut ex præcedentibus colligitur, XL, Regni XXVIII. Filius

lius ejus Magnus, tunc in urbe præsens, indicto ibidem foro, Rex totius Regni, publicâ omnium voce, pronunciatur, ex juramento, qvod pater Sigurdus, dum vixit, civibus elicuit. Id verò superfluum cùm Regni heredem filium reliqvisset, eumq; sine socio imperaturum ordines jurâssent, præsertim cùm Gillius omni suo juri ad Regnum, exigente Sigurdo, antea renunciâsset. Erat autem Gilla-Christus ille, aliàs, Haraldus, qvem Grimsbæis Kalio innotuisse memoravi. Nam paullò post cum matre in Norvegiam profectus, Regem Sigurdum adiit, seq; ejus fratrem professus, ordalio fidem meruit, cum nudis pedibus à duobus Episcopis ductus, super novem vomeres ignitos illæsus incessisset: nec tamen ad hanc probationem admiti poterat, nisi facto sacramento, abdicatoq; prius omni ad Regnum jure, qvod legitimis illegitimisq; Regum filiis, simul istis seculis par erat: Illud Haraldus, ut primùm fratris obitum Tunsbergæ, ubi tunc fuerat, cognovit, tanqvam vi injuriaq; à Sigurdo Rege, in cujus potestate erat, extortum, irritum habuit. Convocavit igitur amicos, inter qvos præcipui Kalius, post familiaritatem in Anglia contractam, semper constans, paterq; ejus, Kolus, qvorum maximè ope ad probationem generis, annitentibus, etiam cæteris provinciarum præfectis, in qvibus Thiostolfus Alii filiùs & Ingimar Sveini Filius eminebant, admissus est. Inde decretum, ut publicus conventus, in Haugensi foro Tunsbergæ celebraretur. Ibi Haraldo, omnium suffragiis dimidium Regnum adjudicatum, Regius titulus impositus, juramentumq; qvo hereditatem abdicare adactus est, irritum pronunciatum, cùm ad originem asserendam aliter admitti neqviret. Mox ad eum magnus hominum concursus fiebat, qvorum alii in militiam, alii in satellitium lecti. Formidabilis itaqve factus est fratris filio Magno, qvantumvis opibus superiori: omnes enim patris sui thesauros post mortem ejus, suæ potestatis fecerat. Namqve cum ipsum viribus sibi haud imparem favore populi etiam superiorem nepos animadverteret, aggredi in præsens non sustinebat. Igitur, interceſſione Procerũ, res per integram hebdomadem ad pacificationem deducta ita componitur, ut dimidiam qvisqve imperii partem obtineret, ærarium verò, thesauros omnes, apparatum mensalem, aurum argentumq; gemmas, lapides, vasaq; pretiosa, universamq; classem, armamentarium, mobiliaq; omnia, solus Magnus ex indiviso præciperet. Tres anni hoc tenore mutuâ suspicione metuq; exacti. Sed in primis Magno Haraldi amici exosi, præcipueq; Kolus & Kalius, qvos ei addictissimos noverat: revocabat itaqve feudum Orcadense cum titulo Comitis à patre concessum. Qvartâ à morte Sigurdi Regis æstate, malè dissimulatum odium in apertum bellum erupit, id in prædio Fyrisleif, in provincia Ranarikia, hodie Bahusensi, gestum est, Magno ducentos supra septem millia militum ducente, Haraldo mille & octingentos. In exercitu ejus Proceres hi eminebant, Christrodus frater Regis uterinus, Comes Rognvaldus, Ingimar de Ascho, Thiostolfus Alii filius, & Solmundus. Victoria penes Magnum, Haraldum fuga periculo mortiq; exemit, cæsi Christrodus & Ingimar, qvi moribundus versum fudit, qvo se monstris ad prædium Fyrisleif compulsum, impigrum, cæteroqvin bellatorem significavit, jam verò nervo propulsa sagitta trajectum, nunqvam deinceps in Aschum (domum suam) rediturum. Haraldus ad orientales Vichæ partes, ubi classis ejus constitit, fugâ pervenit, inde conscensis navibus in Daniam ad Regem *Eiricum Eymunium* seu *Eymund*, juratum sibi fratrem, qvi illic imperabat, provectus, benignè exceptus est, Hallandiâ ad sustentationem concessâ, donatæ insuper octo naves absqve apparatu. Interea Thiostolfus Alii filius cum, distractis propriis prædiis, naves apparatumq; & arma eorum pretio coëmisset, eodem auctumno in Daniam profectus Haraldum in Regnum reduxit. Sub festum natale Domini Bergas cum instructa classe vectus, in sinu Floruvogis festi tempore excubuit, qvo finito, urbem ingressus, Magnum â suis desertum, adq; navem Regiam fugâ propulsum cepit, oculis pedeq; altero & genitalibus privavit, ab illo tempore Haraldus, cognomento Gillius, (non tamen hinc Gillii cognomen, ut existimat *Rudbeccius Atlanticæ Cap. XXVIII pag. 702.* reportabat Haraldus, nam â Gil-Christii nomine illud habuit residuum, est enim nomen in insulis occidentalibus, viris proprium,

meminit unius horum *Buchananus Lib: VII.* qvi Anguſiæ Comes erat, ſororemq; Regis Gvilhelmi uxorem habuit, qvam adulterii compertam occidit, alterius etiam *Chronicon Mannia* ad annum Chriſti MCCXXXVIII. qvem Gilles-Chriſt appellat) ſolus omnium conſenſu imperavit, Orcadumq; poſſeſſionem, Kalio à fratre ſuo Sigurdo cum Comitis titulo jureq; conceſſam, proximo vere confirmavit, idq; anno domini MCXXXV.

Placuit itaqve Kolo per legatos à Comite Paullo ceſſionem dimidiæ inſularum partis, a duobus Regibus Rognvaldo in feudum datæ, amicè peti, ſuam vicissim amicitiam, ſtabilem fidamq; prout ſangvinis nexus exigeret (erant enim ſobrini) pollicendo, qvod ſi abnueret, eosdem legatos ad Frakaurkem in Scotiam Aulveremq; Roſtam mitti, qvi dimidium imperium ei offerrent, ſi junctis viribus Paullum impetere, ſocietate initâ, vellent. His Paullus Comes hunc in modum reſpondit. Haut me fugit longo tempore & occulto aſtu, hæc conſilia agitata eſſe, qvò Regibus Norvegiæ in partes ſuas tractis, Patrimonio me exuerent, me verò vafriciem iſtam, facilitate cedendi partem ditionis meæ, homini remotiore ſangvinis gradu mihi juncto, excluſo, vel fratris vel ſororis filio, ut rependam adduci nullo modo patiar, itaqve denunciate iis, armis me auxilioq; propinqvorum patrimonium defenſurum, qvoad vires Deus largiatur. His auditis, legati, transmiſſo freto Pictico, in Cataneſiam inde auſtrum verſus in Scotiam ad Frakaurkem profecti legationem exponunt, illa providè Kolum feciſſe reſpondit, utpote virum ſapientem ſocietatem ſuam expetendo, momenti ad Orcades debellandas maximi, ſe enim potentiſſimis familiis ſubnixam, illuſtribus affinitatibus potentiam auxiſſe, elocatâ Margareta Comitis Haconis filia Maddado Comiti de Atjoklis, omnium Scotiæ Principum facile nobiliſſimo, patrueli qvippe Davidis Scotiæ Regis, in præſens regnantis, ſato patre Melcolmo fratre Regis Melcolmi Davidis patris, ſed nec cauſſas deeſſe, qvæ jus in Orcades ſibi deferant, nec conſilium ad illud exſeqvendum, ſe enim prudentiæ opinionem paſſim habere, nec multa bello improviſa in eum diem incidiſſe, placere utiqve multis de cauſſis ſapientum hominum Koli Rognvaldiq; ſocietatem. Referrent itaqve media æſtate ab hac proxima, ſe cum Aulvere Roſta cum expedita claſſe Orcades petituram, interim proxima hieme è Scotia Hæbudisq; militem & qvicqvid neceſſarium foret ſummo ſtudio agnatorum affiniumq; auxilia collecturam, debere tunc Rognvaldum paratum adeſſe, qvò junctis viribus hoſtem fortius aggrediantur. His cognitis induſtria Koli Rognvaldiq; omnia per hyemem ad expeditionem adornata, æſtate ſeqvente, delecto qvidem milite, non item numeroſo (qvinqve nimirum aut ſex navibus) inſtructus Solmundo Joneq; Pede adſcitis, Rognvaldus in Hialtlandiam præſtituto tempore trajecit, verum ibi de Frakaurke nihil qvicqvam per exploratores cognoſcere potuit, adverſantibus ventis diutius detentus, tandem navibus in portu Alaſundia collocatis, ipſe cum copiis inſulam perluſtrans benignè à civibus, convivia paſſim apparantibus, commeatumq; præbentibus exceptus eſt. Interea Frakaurk primo vere in Hæbudas profecta, copias claſſemq;, nec tamen ultra undecim naves, depreſſioribus lateribus, nec ſatis à milite inſtructas comparat, qvibus Aulver Roſta, deſtinatus Orcadum Comes ſi propoſitum ſucceſſiſſet, præfectus eſt, eum Frakaurk cum familiaribus comitabatur, media ferè æſtate ad Orcades, claſſis, ventis lentè ſpirantibus, ducta, ut præfinitum, cum Rognvaldo conjungenda.

Per idem tempus dum Comes Paullus in prædio Veſtneſia in Hrolfseya convivio indulgeret, comperit Comitem Rognvaldum in Hialtlandiam cum claſſe advectum propediem exſpectandum, Frakaurkem etiam ab alia parte cum copiis navalibus in Hæbudis comparatis. Maturè igitur ſapientiſſimos amicorum, inq; his Kugium de Veſtureya, & Thorkelem Fletterem prudentiâ conſpicuos accitos conſulit, qvid hoc ſtatu conſultiſſimum videatur, aliis paciſcendum cum alia parte, poſtulatorum conceſſione ad majus periculum ab utrisqve conjunctis declinandum, aliis cedendum in præſens, inq; Cataneſiam ad opem amicorum auxiliq; comparanda trajiciendum ſvadentibus, neutrum Comes probavit, minus honorificum ratus, imminente periculo, metu territum, ultro id offerre, qvod amicè petitum,

oblaris

oblatis ſpecioſis conditionibus, antea denegavit, Principe etiam indignum, omnibus inexpertis fugam capeſſere, rectiùs claſſem militemq; ex inſulis proxima nocte cogi, Rognvaldoq; obviam duci, manusq; cum eo ſeparatim anteqvam ſe ei Hæbudenſes conjungerent, conſeri, id qvod omnes conſenſu probabant, & inſtruebant qvidem eadem nocte modicam celeriter claſſem. Eyvindus Melbrigdinus navem unam, aliam adducebat Olafus Rolfi filius de Garekseya, tertiam Thorkell Fletter, qvartam Sigurdus, qvintam ipſe Comes apparabat, nec erat illo tempore plurium navium copia. Omnes in Rolfseyam ſub occaſum ſolis conveniebant, poſtero die Hialtlandiam petituri eadem qvoqve nocte magnus hominum concurſus copias Comitis adauxit, mane ſeqventis diei, ſole recens orta annunciatum eſt, conſpectas ab auſtrali Pictici ſinus parte, decem aut duodecim longas naves, curſum ad inſulas dirigentes, claſſem ut erat, Frakaurkis conjectans Comes, primo oppugnandam cenſuit, citatisq; remis, obviam protinus procidendum, Olafo & Sigurdo moras qvantum fieri poſſet præferentibus, ad copias ex indigenis qvalibet hora accurrentibus augendas. Ut verò duodecim myoparones orientem verſus, Umlæ latus præternavigantes conſpecti ſunt, Comes naves vinculis connecti mandat.

Eodem tempore Erlendus de Tanskaruneſia cum filiis eum accedens, operam ſuam obtulit, verùm tanta vis hominum recepta eſt, ut plures uſui eſſe non poſſent, ſaxa ergo & miſſiles lapides, ad naves transportare juſſit, donec hoſtes adventarent, qvo peracto aderat Aulver Roſta, remisq; acriter invectus, claſſem Comitis ſtrenuè oppugnabat, naves illis minores ſed plures, militum etiam numero prævalebant. Olafus Hrolfi filius grandiore nave, qva vehebatur, minores adortus, brevi tres earum vaſtabat, Aulver nave prætoria vaſta qvidem illa, moliſq; majoris in Comitem directa, ingentem pugnam ciebat, tanto ardore, ut è prorâ anterioreq; navis parte, omnes ad malum usqve retro cederent, qvi territis inſtandum ratus, acriter ſuos ad occubandam prætoriam navem hortatus, exemploq; ſtrenuè præſens, è puppe ſua, in Comitis navem tranſiliit, qvem ſui impigrè ſeqvebantur. Proreta Comitis fuit Sveinus cognomento Brioſtreip, ſeu pectoralis reſtis à robore denominatus, aulicorum ſatellitum primarius, hiemes in aula, æſtates piratica tranſigere ſolitus, vaſto corpore & robuſto, niger & aſpectu ingratus formâ, qvæ infortunium portenderet, vir ethnicæ ſuperſtitioni adeò deditus, ut ad tumulos mortuorum noctibus excubare, indeq; reſponſa petere conſveverit, hic in acie primus fortiſſimè pugnando, impetum Aulveris excepit, ut verò Comes turmas hoſtium nave receptas, de ejus poſſeſſione certantes animadvertit, proſiliens è puppi, ſuos ad pugnam multis adhortationibus accendit, in eum Aulver conſertam nodis ferreis haſtam tanto robore intorſit, ut clypeus protinus in foros decideret, qvo caſu clamor ingens exortus, milites turbâſſet, nî Sveinus Brioſtreip eodem momento, ingens ſaxum in Aulveris pectus tanto impetu, ut extra navis latus deturbatus, in undas ruiſſet, qvem ægre ſublatum ſui incerti vivum an mortuum, navi imponebant, metuq; caſu ejus conſternati inciſis retinaculis, fugæ conſilia circumſpectabant, conturbabantur ſimul, qvi Duce Aulvere navem Comitis conſcendebant. Inde fugâ qvàm celerrimè maturatâ, cum Aulver iterum mentis compos, eam inhibere conatus, fruſtra fuit. Omnibus metu correptis, ſurdas adhortationibus ejus aures præbentibus. Comes eos circa orientalia Roſſeyæ litora, inde ortum verſus per Rognvaldzeyæ marginem, usqve ſinum Picticum inſecutus, cum metus victos, qvam ſpes victores celeriùs proveheret, repuliſſe contentus, ad locum ubi pugnatum eſt, rediit, ibiq; qvinqve eorũ naves, defenſoribus nudatas apprehenſas claſſiariis inſtruit. Feria hebdomadis ſexta pugnatum eſt. Proxima nocte duæ naves longæ tantusq; hominum numerus acceſſit, ut poſtero die duodecim naves abundè inſtructæ ſuppeterent, qvibus absqve mora in Hialtlandiam directis, de improviſo ſuperveniens Paullus omnes Rognvaldi naves, nullo negotio, cum omni apparatu vecturaq; univerſa in poteſtatem, occiſis cuſtodibus, redigit, qvibus cognitis, Comes Rognvaldus ſeqventi die collectis colonis ad litora deſcendit, Paullumq; ad terreſtre certamen provocat, cùm autem ei Hialtlandorum fides ſuſpecta eſſet, in terram deſcendere

noluit, ſed naves ut compararet, qvibus ſecum decerneret, hortatus. Harum in Hialtlandia cum tanta copia non eſſet, absqve ulteriore certamine Paullus cum intercepta claſſe prædaq; Orcades repetit.

Comes autem Rognvaldus claſſe exutus, usqve auctumnum in Hialtlandia remanſit, in varias interea mercatorias naves, milite impoſito, in Norvegiam non ſine irriſione diverſis temporibus copiæ reductæ ſunt, cùm domum rediiſſet, qværit pater, qvo animo jacturam ferat, & qvid de hac expeditione judicet, ubi ignominiam, damno, rerumq; amiſſarum jacturâ æſtimantem audivit, variant itaqve, ait, judicia noſtra, Hialtlandis enim in ſocietatem tractis, haut parum profeciſti malimq; hoc ſtatu damnum præſens, qvàm ſi rebus integris domi remanſiſſes, qvod ſi, ait Rognvaldus, hanc expeditionem laudas, aut tibi noſtræ res minoris curæ ſunt, qvàm ſperavi, aut etiam longius, qvàm nos proſpicis, ut itaqve Comitem itineri te addas rebusq; noſtris præſis, ut ex voluntate tua dirigas, valde velim. Pater haut ſe ſatis commodè expeditionis difficultatem verbis elevare, nî factis idem monſtret, operaq; ſua & induſtriâ, qvantum fieri poſſit, tollat, ſi tamen ſuis conſiliis ſtaretur, reſpondit, id cùm filius grato animo agnoſceret, Haraldum itaqve Regem adito, ait amicosq; alios, ab iis copias claſſemq; in ſeqvens ver expetito, nos interea tota hieme, qvicqvid ad uſus noſtros neceſſarium erit, ſummo ſtudio comparabimus, atqve hoc animo claſſem copiasq; jam ſecundò educemus, ut aut victores inſulis potiamur, aut funeribus noſtris famoſam expeditionem reddamus. Rognvaldus collaudatâ patris ſententiâ, adeò ſe acceptam ignominiam moleſtè ferre regeſſit, ut mori, qvam novâ eam ſocordiâ aut infortunio cumulari præoptet.

CAP: XXIII.

Comes Paullus ab expeditione Hialtlandica redux, proceres convivio exceptos magnis muneribus afficit, pyras per inſulas præcipuas erigit, Olafus de Garekſeya incendio, Valthiofus filius ejus undis, perit. Ejus frater Sveinus Sveinum Brioſtreipem occidit, fugit, proſcribitur à Comite Paullo, operaq; Epiſcopi Vilhelmi in Hæbudas mittitur, Comes de eo certior ſuccenſetq; prudenti feminæ ſvadenti, ut, veniâ datâ, reſtitutoq; patrimonio revocaret.

Interea Comes Paullus in Orcadibus omnia ad præcavendum ac propulſandum hoſtilem impetum neceſſaria, ſummo ſtudio adornabat, poſtqvam enim claſſem Rognvaldi tam feliciter, ſucceſſu planè inſperato occupatam domum reduxiſſet, convivium magnificum, magnatibus omnibus invitatis apparabat, qvibus affatim remuneratis fideleq; obſeqvium operamq; pollicentibus, placuit ut indices periculi adventantisq; è Hialtlandia claſſis, piræ, ſtrues nimirum ligneæ in inſulis paſſim erigerentur, qvæ incenſæ fumo flammaqve cives ad arma undiqve claſſici in morem concierent. In Fridareya utpote Hialtlandiæ proxima prima conſtituta, reliqvis ſi flagraret incendendis ſigno dato exemplum præitura. Secunda in Rinarseya, Thorſteini Havardi Gunnaris filii (rectius Thorſteini Ragnæ filii) Tertia in Saudeya Magni fratris ejus. Qvarta in Veſtureya Kugii. Qvinta in Hrolfseya Sigurdi de Veſtneſia, inſpectioni commiſſæ. Aliæ in reliqvis inſulis, eo ordine erectæ ſunt, ut neminem hoſtilis adventus latere poſſit. Olafus Hrolfi filius in Cataneſiam miſſus Dungalsbæis ſedem elegit, præfectiqve titulo jureqve provinciam gubernabat, cujus filius Valthiofus Strionseyam eo tempore inhabitabat. Qvo ad Rognvaldus

in

in Hialtlandia per æſtatem navibus, milite in Norvegiam tranportando idoneis, deſtitutus, in multum auctumnum remanſit, Paullus in Orcadibus haut ſecurus, magnum pugnatorum numerum circa ſe habuit. Appetente feſto natali Redemptori ſacro convivium ſplendidum in villa ſua Jorſiora apparabat, qvo magnus hominum numerus invitatus eſt, interqve proceres Valthiofus Olafi filius è Strionseya, qvi cum decem aliis nave vectus, pridie natalitiorum naufragio periit, magno omnium luctu & deſiderio, erat enim vir in primis clarus, ejus pater Olafus magno comitantium præſidio, in Cataneſia ſe muniverat, ibi filii ejus Sveinus & Gunnius Sveiniq; Comites aſſidui Asbiornus & Margadus fortiſſimi viri Grimi de Svineya filii cum qvotidie ſtipabant. Tribus ante feſtum Jolenſe diebus, Sveinus Asbiorno Margadoqve comitantibus piſcatum, Aſleif autem uxor cum filio communi Gunnio ad convivium ab amicis invitata ſinguli qvo iter erat profecti ſunt. Cum Aulver Roſta, cum ſatellitio, qvod ſuperiori æſtate expeditioni piraticæ adhibuit, omnibus improviſus. Dungalsbæas invectus, Olafum cum ſex ſatellitibus intempeſta nocte, ſubjectis domo facibus, inqve cineres redacta, eodem incendio involutum cremavit reliqvis exeundi venia conceſſa, direptaqve omni ſupellectili, qvod avehi potuit, receſſit, exinde Sveino nota nominis non ex patris ſed matris vocabulo proprio indita, qva non Olafi ſed Aſleifis filius in poſterum uſurpabatur, is domum pridie feſti rediens, ut luctuoſum patris fatum cognovit, ſinum Picticum actutum ingreſſus, media nocte in Svineyam ad Grimum Asbiorni & Margadi patrem pervenit, qvi cum ad iſthmum Knarraſtadenſem Skalpeid dictum tranſvexit, donatus à Sveino ſub diſceſſum annulo digitali aureo, ibi vir habitabat nomine Arnkell cum filiis Hanefo & Sigurdo, qvi Sveinum in Jorſioram deduxit, ubi benignè ſuſceptus eſt, deductus primo ad agnatum ſuum Eyvindum Melbrigdi filium, & per eum viciſſim ad Comitem, qvi magna cum gratulatione excepit, ſed majore dolore fatum patris exponentem audivit, ingens tanti viri jactura damnum illatum, graviter qveſtus, itaq; ad qvalecunq; recentis doloris lenimentum Sveinum ut ſecum maneret invitatum officiis principe dignis ſolatur, honorificeq; tractat, inde ad preces veſpertinas itum eſt. In Iorſiara magnificæ ædes in præcipite colle ſtabant, pone devexitas, ſupra cacumen, ſubtus ab alio latere, ſinus Urridius adjacebat, ibi inſula Dunseya, caſtellum ibi ſitum, cuſtodiæ Blainis Thorſteini de Flidruneſia filii commiſſum. Ingens triclinium, convivisq; excipiendis capaciſſimum in Jorſiora exſtabat, in pariete auſtrali prope angulum orientalem, qvi latera committit, fores erant, ante qvas templum magnificum, ad qvod ingreſſus à triclinio per devexa patebat. Ingredienti ad ſiniſtram petra ingens ſtabat, intra qvam vaſa multa & capacia cerviſiæ plena erant repoſita, inde aliæ fores, qvibus ex adverſo cænaculum.

Finitis precibus veſpertinis Comes convivis ſuas cuiq; ſedes adſignari curat, à dextera ejus Sveinus Aſleifis filius, à ſiniſtra alter Sveinus cognomine Brioſtreip, collocatur, eiq; proximus cognatus ejus Ion. Remotis poſt cænam menſis, relatum eſt naufragio periiſſe Valthiofum Olafi filium, Sveiniq; fratrem. Angebat duplicata domus ejus calamitas Comitem, itaq; vetuit, ne qvis feſto tempore Sveinum cæteroqvin plus nimio triſtem, de his certiorem faceret. Veſpere cum potatum ſatis eſſet, Comes qvietem petit, exemploq; ejus plurimi, Sveinus autem Brioſtreip inſomnem noctem ſub dio ad mortuorum tumulos, oraculis captandis more ſuo exegit, media nocte feſta ſinguli lectis exſurgentes, ſacrisq; pro more in templo interfuerunt, dieq; ſeqventi, Chriſti natali conſecrato, poſt celebrata ſacra ad prandium tum eſt. Eyvindus Melbrigdi filius conviviorum Magiſter omnia & ſingula ſtudioſius moderabatur, ideoq; inter cæteros non accumbebat; qvi dapes miniſtrabant, & qvi à candelis erant, ante menſam Comitis ſuas qvisq; ſtationes obſervabant. Eyvindus Sveinis ſuum cuiq; poculum promebat, Brioſtreipe increpante, plenius ſibi, & prius porrigi, qvam Sveinus Aſleifis filius ſuum evacuaſſet, ejusq; in potando fraudem ſugillabat: graves enim inimicitiæ inter eum & patrem Sveini Olafum, Sveinumq; ipſum, poſtqvam adolevit, interceſſerant. Cum aliqvantisper potatum eſſet, ad ſacra eccleſiaſtica pomeridiana (nonam vocant, qvod hora nonâ à meridie

tertia

tertia peragerentur. Diem enim cum Græcis ab hora ſexta matutina numerabant,) proceſſum. Poſtea ubi ad convivium reditum eſſet, cornua memoriæ tum Deorum tum Heroum dicata, cum prologo propinabantur, geſtiebatq; Sveinus Brioſtreip ſuum, cum cognomine Sveino, Aſleifis filio, commutare, qvòd ejus ſuo minus videretur. Eyvindus itaq; capacius cornu Sveino Aſleifis filio porrexit, ille viciſſim Sveino Brioſtreipi, qvi eludi ſe iratus, cum murmure (ita tamen ut Comes, pauciq; alii audirent) hæc verba muſſitabat: Sveinus fortè Sveinum occidet, imò Sveinus Sveinum occidet. Comitem ad templum procedentem Sveinus Aſleifis filius præceſſit. Sveino Brioſtreipe in convivio adhuc remanente. In exteriora triclinii progreſſum Sveinum Eyvindus ſeorſim ducens: nonne, inqvit, audiviſti, qvæ cognominis tui Sveinus mutiebat, poſtqvam cornu ipſi obtuliſti. Recenſcitisq; iis, malum dæmonem ore ejus locutum conjectabat: qvippe ſtatutum ei, hac ipſa nocte, eum de medio tollere. Occupandum itaq; facinus qvod machinaretur, ſvadens, traditâ ſecuri, ad petram in tenebris eum conſiſtere juſſit. Brioſtreipemq; in frontem ferire, ſi Ion ipſum præcederet; ſin ſeqveretur, in occiput ictum infligere. Comite in templum, nullâ habitâ eorum curâ, qvæ Eyvindus cum Sveino locutus eſt, progreſſo, paullò poſt Sveinus Jonq; eò procedebant. Præceſſit hic, ille gladium tenens ſeqvebatur, eum namqve, licèt nullus aliorum, ſemper tamen geſtare conſvevit. Ad fores, nebuloſo qvantumvis cœlo, lucis haut expertes perventum eſt, cùm Sveinus Aſleifis filius frontem Brioſtreipis lethali ictu ſecuri feriens, non tamen proſtravit: titubans ſiqvidem poſtqvam ſe erexiſſet cognatumq; ſuum Jonem ante ſe ſtantem conſpexiſſet, ignarus qvis eſſet, acceptum ej vulnus imputabat, eductoq; protinus gladio, medium ei caput collumq; ad humeros usq; diſſecuit, atqve ita mox mutuis funeribus conciderunt. His peractis Eyvindus ſuperveniens, Sveinum in oppoſitum cœnaculum deductum, per feneſtram dimiſit. Ibi Magnus Eyvindi filius inſtratum eqvum & in omnem eventum paratum ſubminiſtrans pone domum ad ſinum Urridium Sveinum duxit, impoſitumq; ſcaphæ in Dunſeyam travexit. Qvem Blaïn caſtello receptum, poſtridie aqvilonem verſus in Eigilseyam ad Epiſcopum Vilhelmum comitatus eſt, in celebranda Miſſa tunc occupatum. Qva finitâ, occultè accedens Sveinus, cædem ei patris ſui Olafi, fatum fratris Valthiofi, necemq; Sveino Brioſtreipi à ſe illatam cùm retuliſſet, ejus auxilium expetit. Epiſcopus ob cædem Sveini gratiis actis, purgamentum eum Reipublicæ vocitans, ei feſti tempore, clam omnibus, receptum præbet, ſed qvo finito, in Hæbudarum unam Tirviſt ad Holdbodium, Hundii filium ablegat, ubi hiemem tranſegit, a civibus ejus loci multum honoratus. Qvæ interea in Jorſiara Orcadibusq; geſta ſunt exponam:

Ut primum cognitum eſt, Sveinum lethali vulnere ſaucium, Jonem etiam occiſum, ambos humi ſtratos, nec tamen qvo auctore jacere, egreſſi templo, in domum, eum, nec tam plane mortuum, ſed ratione uſuq; loqvendi deſtitutum, inferunt, qvi tamen eadem nocte exſtinctus eſt. Ad exqvirendum itaq; cædis auctorem, ubi Comes ſuam qvemq; ſedem occupare juſſit, deſideratus Sveinus Aſleifis filius facinus perpetraſſe judicatus eſt. Mox Eyvindus exortus: conſpicuum ait, Jonem non ab eo, ſed ab ipſo Sveino Brioſtreipe cæſum eſſe. Comes propter hanc cædem, ne de pilo qvidem capitis periclitaturum pronunciat, neq; enim ſine cauſſa perpetratam: ſi tamen ſe accedere detrectaret, male famæ ſuæ ſibiq; conſulturum. Ad Haconem Carolum, Divi Magni fratrem, in Papuleyam, virum nobiliſſimum, prudentiâ & moderatione celebrem, conceſſiſſe plures colligebant: nihil tamen eadem hieme, de eo cognitum eſt. Ideoq; Comes imperii ſui finibus eum proſcripſit, non tam ob cædem, qvantumvis die celebri & intra tecta Comitis factam, qvàm adjectum facinori, faſtigii ſui contemptum. Deinde imminens à Rognvaldo bellum formidans, amicos qvàm pluribus, iisq; profuſiſſimis muneribus ſibi conciliat, ideoqve profectus in Straumſeyam Thorkeli Fletteri villam, qvam Valthiofus Olafi filius Sveini frater poſſidebat, eo fine donabat, ut exploraret, ubi Sveinus deliteſceret. Tum Thorkell, verè qvidem ait, exſulat hîc veteris proverbii acumen qvod

Regem

Regem multas (patulas intelligit) aures habere perlubet, ideoqve mirandum te cum Comes ſis non cognoviſſe ubi Sveinus vitam ſuſtentaverit: mihi verò ſtatim conſtitit, Epiſcopum Vilhelmum eum in Hæbudas ad Holdbodium Hundii filium transmiſiſſe, qvi hac hieme receptum ei præſtitit. Comes qvid cum Epiſcopo faciendum qvæſivit: Thorkell, hoc ſtatu actionem ei haut commode intendi, cùm omnium amicorum fideli operâ ad propulſandum Rognvaldum, imperiumq; vindicandum indigeat. Aſſenſit Comes, indeqve in Rinarseyam profectus, à Ragna ſapiente femina, filioq; ejus Thorſteino convivio excipitur, qvibus in Papeya prædium aliud erat. Apud eam triduum ventis detentus dum remanſit, nec in Veſtureyam ad Kugium curſus dabatur, multis invicem ſermonibus inſtitutis, inter alia cæde Sveini Brioſtreipis, viri, bello qvantumvis ſtrenui, parum tamen damni illatum Ragna memorabat: cum inimicos plures Comiti qvæſiverit, qvàm amicos conciliaverit. Jam verò præſentem ſtatum, tempusq; exigere, ut amicos qvàm plurimos comparet, nec potentiores ſive Epiſcopum, ſive Sveni conſangvineos in jus vocando, litibusq; pulſando irritet. Malit Epiſcopum, factâ qvaliscunq; delicti gratiâ ſibi conciliare, Sveinumqve per nuncios datâ veniâ, pœnâqve remiſsâ, ab exſilio, reſtituto patrimonio, revocare, qvò eandem ſibi fidem, operamq; qvam pater ejus præſtet more ſummorum principum, qvi amicis multum concedere ſoleant qvò fide & obſeqvio ſibi obſtrictiores teneant. His irritatus Comes, ſapiens qvidem femina (ait) videris Ragna, Comitis tamen Orcadenſis, neqve titulum neqve poteſtatem adepta es, nec tu Hercle hic imperabis. Audi ſcelus, Sveinum pecuniâ placem, tanqvam victoriam ab eo empturus. Mox concitatior, Deus, inqvit, inter agnatum meum Rognvaldum, meq; decernet, & cuiqve, prout invicem deliqvimus, retribuat. Eqvidem ſi ipſum à me laceſſitum noſſem, ſatisfactionem non defugerem: jam verò mihi nunqvam viſus, qvam qvæſo injuriam imputet? neqve enim me iis immiſcui, qvæ pater meus agnatiqve in illius familiam commiſerunt. Qvi ſi proinde vim mihi inferre parabit, maximo me beneficio ſibi devinciet, qvicunqve injuriam ope auxilioq; ſuo, à me propulſaverit. Cum aſſenſu circumſtantium qverela iſthæc excepta eſt, injuriam ipſi fieri affirmantium, illato bello, nondum rejectis pacis conditionibus. Procedente vere, piræ in Fridareya, Rinarseya, omnibusq; vicinis inſulis erectæ, qvæ mutuo conſpectu incenſæ ſignum appropinqvantis hoſtilis claſſis, incolis qvantum vis diſſitis darent. Inter alios in Fridareya, ubi prædium habuit, Dagfinno Laudveris ſeu Ludovici filio, viro ſtrenuo, ut in Rinarſeya Thorſteino Ragnæ filio, cuſtodia illius piræ præcipuè commiſſa eſt, incendendæ, ſi claſſis ex Hialtlandia adventans conſpiceretur.

CAP: XXIV.

Comes Rognvaldus expeditionem denuo adornat. Regis Haraldi & amicorum auxiliis impetratis, ad Hereyas, inſulas Sunnmæriæ claſſem ducit. Ibi templum divo Magno vovet. Hialtlandiam petit. Koli patris in ſeminandis diſcordiis inter Orcadenſes æſtus, Uniiq; in piris eludendis alter ſimilis. Comes Rognvaldus Veſtureyam advehitur, inſulanis in obſeqvium ſuum jurare adactis. Inter eum & Comitem Paulum inducia fiunt. Affluentibus auxiliis, Rognvaldus magnam partem Norvegorum dimittit.

Eadem hieme Rognvaldus in Agdis apud patrem vixit, amicosq; interdum per nuncios, interdum præſens ipſe de ſubſidio ad claſſem militemq; comparandum ſollicitabat, plurimi operas auxiliaqve pollicebantur. Menſe Goes, qvi poſteriorem Februarii, prioremqve Martii partem, ſibi vindicat, Kolus duas mercatorias naves in Angliam, ad arma neceſſariaqve comparanda ablegavit, aliam Solmundus in Daniam duxit, ea, qvæ præterea deſiderabantur, ex præſcripto Koli conqviſiturus, qvi omnia, qvæ ad expeditionem reqvirebantur, ordinabat. Ad feſtum Paſchatis reditus earum exſpectabatur, qvo finito portu ſolvere decretum. Kolus & Rognvaldus ſuam qvisqve navem ducebat, tertiam Solmundus, qvarta oneraria commeatus vehebat. Bergas vecti Regem Haraldum ſalutant, qvi Rognvaldo navem optimè inſtructam ſuppeditabat, qvintam Jon Pes advexit, ſextam Aſlacus de Hernis (forſitan Hereyis, inſulis propter Sunnmæriam) Thoreris de Steige ex filia nepos, qvi & aliam alimentis oneratam adduxit, præter has ſex magnas naves, tres inſuper lembos, tres item alias, qvæ annonam transportabant (Byrdinga vocant) habuerunt. Cum in Hernis ſive Hereyis, in ventos intenti excubarent, appulſa ex occidente navis, qvàm ſollicitè omnia in Orcadibus gererentur, retulit, qvanto apparatu adventum eorum Comes Paulus excepturus, qvantam vim eis oppoſiturus, qva fiducia imperium ab inſultu eorum vindicaturus videretur. Qvibus acceptis, ſigno tubâ dato, copias omnes, Comes Rognvaldus convocat. Ibi publicè exponit, qvantâ pervicaciâ Orcadenſes, concitati à Paulo, parte Comitatus, jure hereditario ſibi debitâ, donoqve & confirmatione duorum Regum conceſsâ, armis iterum ſe prohibere deſtinaverint. Orat itaqve operam fidelem & ſtrenuam ſibi præſtent, neqve enim ſe jure ſuo ceſſurum, inimicisq; hereditatem ſuâ ignaviâ permiſſurum, qvam repoſcere hac ipſa expeditione, aut etiam mori firmiter decreverit. Omnibus propoſitum laudantibus, ſuamqve fidem addicentibus, Kolus ſurrexit, filiumqve hoc modo affatus eſt:

Orcadenſium qvidem in familiam noſtram injuriæ neminem latent, qvibus ſatiari neqveunt, niſi perpetuis in poſteros odiis cumulent, uberrimum fructum capturi, ſi hereditatem tuam injuſto uſurpatori, impiis armis vindicent. Auxilium itaqve imò ipſam hereditatis tuæ poſſeſſionem ab eo poſtulabis, qvi & jure & viribus iis potior, Avunculo ſcilicet tuo Divo Magno, vovebisqve ei, ſi in patrimonium ſuum, tibi etiam hereditarium, te repoſuerit, templum ex lapide in oppido Kyrkiuvogo, qvo nullum in iſtis inſulis magnificentius ædificatum fuerit, dedicandum nomini ejus, adjiciesq; ad illius conſervationem reditus haut mediocres, qvò opibus florens, locus iſte magnificentior reddatur, eoq; reliqviæ ejus ſedesq; Epiſcopalis commodius transferri poſſint. Grata univerſis oratio, vocatusq; in cauſſæ præſidium Divus Magnus omnium applauſum meruit, votumq; uti præceperat, extempore factum. Exinde vento ad votum flante, claſſis pelago commiſſa, optimô ſucceſſu in Hialtlandiam pervenit, ubi mutua gratulatione, ab incolis excepti, multa de rebus Orcadenſium edocebantur. Ibi dum aliqvantiſper morarentur, Kolus Unium tum ſeneſcentem, qvèm in hanc expeditionem aſſumpſit, cum conjurationem in Bryniolfum tam prudenter promoviſſet, conſulit, qva arte pira in Fridareya, aut irrita reddi, aut provideri, ne alia accendatur, poſſet, teſtatus ideo ſe ejus ſententiam reqvirere, qvòd plerisqve in expeditionem contractis prudentior, licet qvibusdam eorum dignitate inferior videretur. Ille conſilii prudentiæq; inopiam etiam ad res majoris momenti excuſans, ordinem belli ex ſuo præſcripto auſpicandum negat: ſe potiùs privato auſu aliqvid ſuo periculo moliturum pollicetur. Haud multo poſt Kolus multas minutiores naves ad Orcades direxit, nullo præter ſe duce admiſſo. Cumq; eò provecti eſſent, ut conſpici à Fridareya poſſent, omnium navium vela, ad medium malum primo attolli, curſum tamen contrario remigio ſiſti, atqve ubi propius inſulæ appropinqvaret, ſenſim altius, tandem etiam ad ſummum faſtigium elevari juſſit, hoc conſilio, ut magnarum navium ſpeciem referentes, metu ſuo ad incendendam piram Dagfinnum in Fridareya compellerent,

ejusqve

ejusqve exemplo alios per omnes insulas: qvo vano terrore incusso, omnes indigenæ à propriis negotiis avocati, ad arma Comitemq; concurrentes tumultum cierent. Nec fefellit opinio, nam & Dagfinnus, igne subjecto, struem cremavit, & hoc cognito Thorsteinus Ragnæ filius, eam, qvæ in Rinarseya constitit, incendit, unde mox cæteræ, prout mandatum erat, arserunt: atqve hoc indicio ad Comitem ex omnibus insulis certatim confluunt.

Ut autem Kolus piras accensas conspexit, Hialtlandiam repeti jussit, prædicens hinc discordiam dissidiumq; subitò exoriturum. Unius naviculâ sex remorum, cum tribus Hialtlandicis viris, Fridareyam petit, se virum Norvegum professus uxorem in Hialtlandia duxisse, ex qva hos filios susceperat: jam vero bonis à militibus, vel potius prædonibus Rognvaldi spoliatum sustentandæ vitæ causa eò concessisse. Receptus domo, filiis, singulis diebus, piscatum euntibus, ipse advectos pisces custodit & siccat, se interea incolis insulæ, ingenii dexteritate industriaq; ita commendans, ut omnibus probaretur. Cæterum Dagfinnus post incensam piram, ad Comitem Paulum, ubi omnes proceres congregati, proficiscitur. Ibi sedulò exqvisitum de navigatione Comitis Rognvaldi, mirantibus cunctis, visam classem nusqvam comparuisse: triduum tamen in omnem eventum copiæ universæ detentæ sunt. Tum cives tumultuari, stolidam temeritatem illius viri incusare culpareq; qvi ad adspectum aliqvot piscatoriarum scapharum, signo pira dato, omnes insulanos ad arma, impensas & ferias à domesticis operibus, concitaverit, culpaq; in Thorsteinum Ragnæ filium conjecta, qvòd facibus in Rinarseya succensis, reliqvos, omnes seduxisset. Ille præeunte Dagfinno in Fridareya, seq; exemplo suo provocante, absqve publico periculo, omniumqve salutis ultimo, suo etiam proprio discrimine, se signum datum supprimere nec sine scelere potuisse: secus supinæ negligentiæ, ut etiam fraudis culpam, nec omnino doli suspicionem effugiturum: Dagfinno itaqve hæc rectiùs, qvàm sibi, imputari regessit. Ad hæc Dagfinnus: sæpius, inqvit, incommoda malaq; à te homines sentiunt, qvam ut mihi adscibere possis. Qvibus verbis, accensus Thorsteinus, eum conticere jussum, securi in caput impacta lethali vulnere percussit: mox alii ad arma concurrentes manus conserunt, Laudveri seu Ludovico Dagfinni patri Sigurdus de Vestnesia cum filiis suis Hacone Pike & Bryniolfo; Thorsteino agnati ejus succurrebant. Hæc in Rossseya, non procul à Kyrkiuvogo, gerebantur.

Advocatus deinde Comes, ægrè incalescentes mutuâ irâ animos sedâsset; aq; prælio distraxisset, ni Kugius cunctos increpando orasset, ne tanto dedecore Comitem adspergerent, ut præsente illo, præsertim tempore tam periculoso, exutâ reverentiâ invicem congligerent, imminentesqve in singulas horas hostes, mutuo dissensu, certamine, cædibusq; promoverent, qvem concordiâ junctisqve viribus & animis vix ac ne vix qvidem à cervicibus suis depulsuri insularumq; possessione exturbaturi viderentur, qvi viribus qvidem satis instructi, etiam consilio hoc ad piratarum præsidia subvertenda, rixasqve & mutuas contentiones, & ad arma coeundi tædium concitandum rem suam juverint. Huc qvoqve Dagfinnus scitè eum collineâsse confessus, nullius qvidem dolo piras, celeriùs tamen, qvàm expediviſſet, incensas pronunciavit. Omnibus magno applausu hanc orationem excipientibus, his omnis arbitrio Comitis commissa est, dissolutus inde conventus, & suas qvemqve domos redire permissum. Piræ, in Fridareya, cura Eirico cuidam injungitur, cui Unius, postqvam parumper ibi moratus esset, ministerium suum in custodienda offert, præsertim cùm id absqve operarum intermissione fieri posset, & solus, singulis diebus, siccandis piscibus occuparetur. Id cùm placuisset, qvoties solus erat, multâ aqvâ in piram crebrius infusâ, ne admotum ignem, cum subita necessitas exigeret, humore è poto ebria materia admitteret, provident. Rognvaldus illud profectionis tempus exspectabat, qvo, æstuum relapsu, & cessante undarum confluxu, mare tranqvillaretur, ventusqve simul ab ortu spiraret. Hujus enim oportunitate, ab Hialtlandia ad Vestureyam, illius à Vestureya ad

Hroſſeyam facilis trajectus, qvam pro ſpe oblatam avidè arripens, in Veſtureyam ad prædium Hofn, virumqve, qvi id habebat Helgium, feriâ hebdomadis ſextâ, univerſam claſſem appulit, nullo per piras indicio facto. Nam ut primum è Fridareya naves in conſpectum venerunt, Eiricus ſe itineri accingens, ad Comitem Paulum profecturus, miſſis ad Unium nunciis, ut piram ſuccenderet mandat: qvibus advenientibus, is cum filiis inſulâ digreſſus, nusqvam apparuit. Suggerendis ergo piræ facibus fruſtra laboratum, cùm exſtingvendo igni, qvam concipiendo aptior eſſet. Qvod ut Eirico relatum eſt, technis tandem ſed nimis ſerò intellectis omnia Comiti Paulo ordine refert. Ut verò Rognvaldum incolæ Veſtureyæ ad ſe delatum cognoſcunt, ſinguli ſubitâ, nec exſpectatâ re deterriti, in unum ſe colligentes, qvid potiſſimum hoc ſtatu expediret conſultant. Kugius & Helgius inter omnes auctoritate valebant, qvorum nutum cæteri ſeqvi ſoliti: iis ergo ſvadentibus, cùm effugium nullum, aut opponendarum virium tutior ratio appareret, deditione factâ, fidem ſacramento obſtringunt. Ibi die, qvæ ſeqvebatur dominicâ, ſacris in vico publicè celebratis Rognvaldus interfuit. Prope templum conſiſtenti, ſedecim homines inermes, ſinguli abraſo capillo incedentes, ſpectaculo fuerunt. Mirati inivetum ſibi habitum Norvegi, Comitem, qvinam eſſent, ſciſcitantur, Rognvaldus carmine propere fuſo, habitum eorum perſtrinxit, qvod & ſuperat. Præterlapſo feſto miſſi qvi vicinos ad obſeqvium ducerent, ut omnes fidem ſponderent, effecerunt. Cùm verò, qvadam nocte, ſatellites Comitis nocturnos in Veſtureya conventus ab incolis fieri, proditionisq; conſilia coqvi animadverterent, rem ad eum protinus detulerunt. Qvi poſtqvam ſurrexit ingreſſus ad eos, cognovit multos inſulanorum à ſuis verberibus affectos, Kugio etiam compedes injectas, utpote conſilii hujus auctori habito: qvo ſe acriter defendente, teſtibus etiam productis, innocentiam ſuam propugnante, Comes verſu extemporaneo à proditione eum dehortans, vinculis eximi juſſit, omnibusqve impunitate donatâ, initum antea fœdus cum iis renovavit.

Interea Comes Paulus cognito adventu Rognvaldi, multorumq; civium, ad eum defectione, in Hroſſeya de præſentis ſtatus ratione, in publicum utili ineundâ cum ſuis deliberat. Ibi ſententiis variatum, aliis dividendas inſulas, Rognvaldoqve partem aliam permittendam ſvadentibus, ditioribus pecuniâ jus ejus redimendum, ad qvod etiam impenſas ſuas obtulerunt, aliis belli fortunam experiri placuit, id enim antea feliciter ceſſiſſe. In eo conventu exploratorem Rognvaldus ſubornavit: qvo ſingulorum conſilia referente, Comes ad Poëtam qvendam converſus ſingula rhythmo incluſit. Inde per Legatos Epiſcopum ſollicitat, ut ſe medium inter ipſum & Paulum interponeret, adhibitis etiam Thorſteino Havardi filio de Sandeya, & Thorſteino Ragnæ filio de Rinarseya. Epiſcopus intercedendo effecit, ut induciis in duas hebdomades ad conſultandum datis, inſulæ interea pro ſingulorum copiis ſuſtendandis dividerentur. Rognvaldus in Roſſeyam, Paulus in Rolfseyam conceſſit. Eodem tempore agnati Sveini Aſleifis filii, Jon Vængus de Uplandis in Haeya & Richardus de Brechis in Strionseya (ſupra habetur Straumseya) prædium Valthioſi Sveini fratres, Thorkeli Fletteri, à Paulo Comite datum, cum ipſo Thorkele, qvi id inſedit, novemq; domeſticis, ultricibus flammis exuſſerunt. Inde ad Rognvaldum profecti, conditionem ei obtulerunt, tranſeundi ad eum cum familiis ſuis, ſi ſe recipere recuſaret, ad Paulum conceſſuri. Is potentiorum auxilio ſibi opus eſſe, & qvicqvid adverſario accederet, ſibi decedere conſpicatus, ſibi eos adjunxit. Mox Haſlidius Thorkelis Fletteris filius, ubi incendium patris, tranſitumq; hoſtium ad partes Rognvaldi reſcivit, ad Paulum ſe contulit, benigneq; ſuſceptus eſt. Acceſſione Jonis Vængi familiæq; ejus, tum etiam multorum potentiorum civium auctus Rognvaldus, Joni Pedi, Solmundo & Aſlaco multisq; aliis, qvi ipſum Norvegiâ ſecuti erant, domum redeundi poteſtatem facit. Illi tantiſper ſe rebus ejus interfuturos profitebantur, qvoad ſopitâ controverſiâ, omnia ad exitum feliciter reduxiſſent. Comes, actis gratiis, certus, inqvit, ſum

Deum

Deum, Divumqve Magnum (tanta erat superstitio) si mihi imperium hìc destinaverit, etiam vires ad idem retinendum largituros, etiam si vos diutius, procul propriis penatibus non detineam: itaqve benignè dimissi patriam repetebant.

CAP: XXV.

Sveinus Asleifis filius Atjoclas ad Comitem Maddadum profectus, dolos cum illo Comiti Paulo struit. A Comite Ottare, Frakaurkis fratre, partem satisfactionis pro cæde patris accipit, eiq; conciliatur. Inde in Orcades navigans Comitem Paulum æstu interceptum, ad Comitem Maddadum sororium suum transfert, qvi Comitatu in sororis filium transcripto, privatus inde vixerit, an occisus fuerit ignoratur. Orcadenses de illo suspensos Sveinus edocet, captivum esse, Comes Rognvaldus omnium consensu insulas in ditionem accipit, templumq; Divo Magno ædificat.

Primo illus anni vere, Sveinus Asleifis filius, Hæbudis in Scotiam ad amicos salutandos profectus, longo tempore Joclis, aliàs Atjoclis (alpibus seu montanis) apud Comitem Maddadum, qvi Margaretam Comitis Haconis Pauli filiam uxorem duxit, moratus, varia cum eo, eaq; occultiora consilia agitabat. Ibi Orcades in partes scissas, alios Paulum, alios Rognvaldum de imperio disceptantes, spectare, cùm per certos nuncios Sveinus cognovisset, cupido eum incessit cognatos invisendi. Primo Thorsa Caranesiæ oppidum, assumto nobili viro Liotolfo, ad qvem longo tempore divertebat, profectus, per eum satisfactionem à Comite ejus loci Ottare Frakaurkis fratre, pro cæde patris, qvi auctoritate sororis incendio deletus est, postulat. Id enim notandum legibus Norvegicis, qvibus Orcadenses etiam usi sunt, Danicis qvoqve, qvarum vestigium etiam in iis apparet, qvæ usqve ad novissimum codicem à Serenissimo nostro Rege CHRISTIANO QVINTO anno MDCLXXXIII. promulgatum, à glorioſissimæ memoriæ avo ejus CHRISTIANO QVARTO latæ in usu erant, antiqvitus receptum, ut multæ partem propinqvi pro cognationis gradu solverent, satisfactionis etiam partem caperent, tergiversantes qvoqve plecterentur. Hac multâ per Liotolfum impetratâ Sveinus insuper in amicorum numerum receptus vicissim promittit, se adniti velle, ut Erlendus Comitis Haraldi Svaviloqvi filius in paternam hereditatem, qvandocunqve id exigeret, restitueretur. Ibi mutatis navibus lembum cum triginta sociis nauticis conscendit, Caurumqve nactus, sinu Pictico transmisso, Occidentale Rosseyæ latus prætervectus, fretum Efiusundæ intrat, Rolfseyam petiturus. In fine insulæ promontorium magnum protenditur, subtus litus confragosum scrobesqve lutrarum receptacula. Dum fretum percurrunt, Sveinus in promontorio homines sibi conspectos refert, eoq; navem dirigendam, explorandumqve, si qvid novi habeant. Mox viginti nocturnas vestes subire inqve nave se occultare jussis, inter qvos ipse delituit, decem lente remos agitando, insulæ appropinqvant. Qvi supra promontorium erant, ipsos inclammantes, qvod nave veherent, Vestnesiam ad Comitem Paulum deportare jubent: se enim mercatores alioqvi existimabant. Paulus qvippe eadem nocte ibi divertebat, convivio à Sigurdo exceptus: sed manè ejus diei, cum viginti comitibus in australia insulæ ad venationem lutrarum, qvæ subtus in spelæis se abscondiderant, profectus est, ad prandium re-

diturus. Nautæ nave litori applicatâ, multa ultro citroqve rogitabant, interq; alia unde venerint, & ubinam Comes Paulus eſſet? in apretis ſub promontorio cum reſponſum eſſet, Sveinus navem admoveri juſſit, ubi è promontorio conſpici neqvirent, qvò cum ventum eſſet, ſinguli ipſo mandante arma capiunt. ſatellites Comitis Pauli invadunt, novemdecimqve protinus occidunt, ſex duntaxat ſuorum deſideratis. Comitem qvantumvis invitum navi imponunt, viamqve qva proceſſerant repetentes, Roſſeya ad occidentem præternavigata inter Haeyam & Grimseyam curſu directo, inde voraginem Ortum verſus prætervecti, in ſinum Breidafiordum, eoqve pernavigato, ad Eckialdzbackam perveniunt, ibi nave cum cuſtodibus viginti relictis, terreſtri itinere Sveinus Atjoklas ad Gomitem Maddadum uxoremqve ejus Margaretam Comitem Paulum captivum deducit, ubi tanqvam ad præſentis fortunæ ludibrium compoſito dolo, prætexta comitate exceptus, in Comitis ſororii ſolio collocatus conſtituitur, ad qvem perfida ſoror, vultu in gratulantis effigiem formato ingreſſa, ficta charitate complexum oſculo ſalutat, introductisqve qvi variis hilaritatis accendendæ inſtrumentis, fucatisqve humanitatis officiis, triſtitiam, qva animus ejus ut in tam repentina ſortis mutatione obſeſſus erat levarent, mox gravius ſævitura, ſolantis perſonam induit, inde marito Sveinoqve ſeorſum ad colloqvium deductis, cum ſimul de ordine rei exſeqvendæ conſultâſſent, cœnam ſumptuosè inſtruit, cum pro more comiſſatum eſſet, Paulo Svenoqve in idem conclave deductis, ſolisqve pernoctantibus, janua ſerâ foris clauditur, idqve ſingulis noctibus, dum illic acqvieſcerent, tenuit. Colloqvia inter Paulum & Svenum in itinere nulla notata ſunt, raraqve aut nulla fuiſſe ſollicitudo & mæſtitia Comitis, ſpesqve prioris ſtatus recuperandi planè amiſſa, vitæ etiam ulterius producendæ dubia faci e perſvadent. Cum autem die qvadam Margareta pronunciâſſet, Sveinum ſe in Orcades miſſuram, ad Comitem Roguvaldum, ejusq; arbitrio permiſſuram, Paulumne in Comitatum recipere, an eundem cum filio ſuo Haraldo tum trimo partiri, eumq; in imperii dignitatisq; ſocietatem accipere mallet, in hunc modum ſermonem ejus excepiſſe perhibetur: Non convenit, inqvit, præſenti fortunæ, ut vos diu ſuſpenſos teneam: paucis itaqve qvæ ſentiam, edicam. Exemplo, credo, raro aut fortaſſe in hunc diem inaudito patriam reliqvi, qvo tamen fortunæ incertæ viciſſitudinem & didici ipſe, & alios docui, cui nunqvam tuta fides qvem ſemel perſeqvi cœpit, non ante conſiſtere patitur, qvam aut exſtinctum aut peſſundatum videat. Hæc imperium mihi patriamq; ademit, ſed ſimul etiam eorum deſiderium, qvorſum enim imperium mihi reſtitui expetam, qvod mihi totius calamitatis cauſſa erat, ſine qvo felix fuiſſem, & ſine invidiâ in patria permanſiſſem, qvam illuſtris potensqve rexeram, cur ſordidatus egenusqve aliorum beneficio expetam precarioqve teneam, ut ex alieno arbitrio, tanqvam ex commentario poſtea regam, nimirum vindictam in me hic divinam recidiſſe lubens agnoſco provocatam furtis dolisq; familiæ noſtræ, feram, itaqve caſum, qvem nulla mea culpâ aliena inhumanitas attraxit, & qvod priori in fortuna etiam amplum magnificum fuiſſet hic qvoqve faciam, nimirum ut meo potius arbitrio ſucceſſorem deligam, qvam ut recuperatam poſſeſſionem aliis debeam, itaqve ſi qvid juris mihi Deus in Orcades competere cenſet, id univerſum in filium tuum propinqvum meum Haraldum, tranſcribo, qvem ut excluderem, Rognvaldum recipere nolui, proſperiorem ei qvam mihi fortunam exopto, mihi autem pecuniam poſco in monaſterium, qvod ingredi aveo, erogandam, veſtrum erit providere, ne inde elabar. Tu verò Sveine Orcades repete, meqve oculis aliis etiam membris orbatum refer, ſi enim vivum integris membris ſenſuqve amici reſciverint, procul dubio reducent, nec forte mihi proinde integrum voluntati eorum repugnare, majus enim damnum diſceſſu noſtro illatum arbitrabuntur, qvam revera eſt, nec plura ejus dicta notata ſunt. Inde Sveinus in Orcades profectus eſt, Paulo in Scotia relicto, retuliſſeq; iſthæc perhibetur, aliter alii, tradunt enim Margaretam, opera Sveini in exoculando eo, inqve carcerem conjiciendo uſam, percuſſorem deinde in eum immiſiſſe, qvid autem verius ſit, ait auctor, neſcimus, illud omnibus conſtat, qvod

nunqvam deinceps in Orcades redierit; nec in Scotiâ ullo publico officio functus ſit. Mihi ſoror ejus Margareta ſatis impia videtur, ſi tollere eum è medio conſtitutum erat, etiam ſi mortem cruciatibus non cumulâſſet. Hac tanta calamitate Paulus vir minimè malus, juſto Dei judicio oppreſſum ſe agnovit, pater enim Hacon imperandi cupidine obcœcatus, divum Magnum virum innocentem, fidem ejus ſua indole menſum ſecutumqve decepit, repenſum id in Paulo viro promiſſionum obſervante, dum impunitatem promittenti Sveino poſt Brioſtreipis cædem, fides non eſt habita. Dira illa imperandi dulcedo, qvæ Haconem in patruelis cædem, etiam Margaretam in fratris exitium impulit, momentanea Magni mors, morte graviore, mœrore & longa afflictione in eo vindicata eſt, violatumqve in patruele jus ſangvinis, propiore gradu in fratre à ſorore, in filio Haconis à filia ejusdem violatum eſt, ſucceſſit enim in partem imperii, qvam pater ſcelere qvæſivit, nec interpellatus à juſto hærede (patrui enim Haconis Caroli, jure ſuo dejecti, nec reſtitutionem ſperantis, ratio habenda non erat, cum imperio Haconis, deinde Pauli ſe ipſe ſubjecerit) ſummæ poteſtatis auctoritate inſtructo reſtituere, ſed reſiſtendo vindicare decrevit, atqve ita in patris crimine participavit, expertus deinde haut vanas fuiſſe diras, cum in Rinarseya in colloqvio cum Ragnâ, Deum judicem in partes vocavit. Fuit Paulus civibus ſuis carus, moderatus, pacificus facilis & liberalis, in amicos adeò benignus, ut nullis in eos impenſis parceret, publicè privatimqve ſermonis parci, aliorum in foro eloqventia uſus.

Cùm Sigurdus de Veſtneſiâ Comitis reditum diutiùs exſpectâſſet, miſit qvi eum inqvirerent, qvi reduces nunciabant, viſam ſibi occiſorum ſtragem, interqve eos Comitem. Is itaqve ad recognoſcendos eos profectus, unde viginti occiſos, alios etiam ſex ſibi ignotos, Comitem autem nusqvam reperit. Mox in Eigilseyam miſit, qvi Epiſcopo hæc referrent, qvi confeſtim Sigurdum adiit, cui hæc machinationibus Rognvaldi imputanti, proximum qvodqve tempus, alium profecto hujus rei auctorem proditurum reſpondit, neqve enim eum inſidiis cognatum ſuum aggreſſum videri. Cum autem relatum eſſet Borgarem, qvi in Geitabergio habibat, lembum ab auſtro navigantem, mox eò unde venerat renavigantem vidiſſe, inolevit opinio artibus Frakaurkis & Aulveris Roſtæ hæc procurata eſſe. Orbati Comite incolæ in publicum conſultabant, plurimi ad Rognvaldum tranſitionem facientes, in obſeqvium ejus fidem juramento dabant. Sigurdo de Veſtneſiâ Bryniolfo & Hacone Pike abnuentibus, ſive illi, ſive ulli alii fidem ſuam obligare, anteqvam certiores de Paulo fierent, viveretne, an vivis exceſſerit. Multi eorum exemplum ſecuti ſunt, plures, inducias in certum diem pacti, ut niſi intra illum certi qvid conſtiterit, Rognvaldo dederent, ille ne optimates viribus inſtructos irritaret, poſtulata eorum haut abnuit. Interea freqventes conventus celebrati, ſingulisqve aliqvot in partes ejus tracti, horum uno, novem viri armati ab iſthmo Scalpeidenſi ad forum procedentes conſpecti, ibi Sveinus Aſleifis filius cognitus, multi qvid afferret avebant cognoſcere. Is navi ad auſtrale iſthmi Scalpeidenſis latus admotâ ibiq; relictâ, Kyrkiuvogum ad forum pedes cum ſuis acceſſit, amicis cognatisqve nova qværentibus, Epiſcopum acciri juſſit, qvi accedens, adventu ejus gaviſus eſt, erant enim longa amicitia invicem noti, cum remotis arbitris ſeorſim proceſſiſſent, Sveinus ei omni geſtorum ordine expoſito, conſilia in ancipitis eventus periculo implorat. Epiſcopus vere eum imminentis periculi ſpeciem concepiſſe, verum cum odioſo facto omnium animos in ſe concitaturus videatur, ſe ibi præſtolari jubet, donec cauſſam ejus ad Comitem populumqve detuliſſet. Ingreſſusqve aures ſibi præberi poſtulat, facto ſilentio, qvam ob cauſam Sveinus exſulare juſſus fuerit, exponit, injuriam Pauli exaggerans, qvod ob peſſimi hominis cædem, qvem publicè interfuiſſet mori, eò proceſſerit, petit itaqve, ut publica fide, Comitis plebisqve & procerum Sveino ſecuritas ſpondeatur. Ad ea Comes, ſpondebo qvidem pro parte meâ in triduum, tu autem Sveinum recipe, curamq; ejus gere, cras enim illum alloqvar; verùm qvantum ex vultu tuo colligo, certè rem magni momenti a

liis incognitam affertis, imò verò, ait Episcopus, te conventum cupit, te dominum poscit, abs te recipi exoptat, ad hæc Comes etsi partium mearum accessio his in terris, nunqvam nimia fieri posset, tamen antequam eum recipiam coram alloqvar, seorsim itaqve ductum Sveinum, Comes & pater Kolus præsente tantum Episcopo audiunt, postqvam rem omnem ordine enarrallet, visum est, ad tumultum seditionemqve præcavendam, dimitti maximam plebis partem. Postridie manè exsurgens Comes, domos redeundi veniam multitudini dedit, qvibus dilapsis, singulis qvi remanserant Sveinum, accepta prius securitatis cautione, exhibuit, expositis deinde omnibus circa Comitem Paulum, delectus Hacon Carolus Divi Magni frater ad nunciandum Sigurdo de Vestnesia, ejusqve filiis, qvæ Sveinus attulisset, Pauli reditum frustra exspectari, jam qvippe membrorum parte mutilati. Graviter omnia Sigurdus tulit, illud gravissimè, qvod reditus spes manco non superesset, secus se ubicunqve terrarum esset, illum repetiturum professus est, retulisseqve amicis suis postea fertur, Hacconem integro corpore se non fuisse dimissurum, si vires sibi ad eum tam triste nuncium afferentem, opprimendum suppeti sent. Exinde Rognvaldus omnium suffragiis universum Comitatum Orcadensem solus possedit. Mox fundamenta jacta sunt ædis divo Magno consecrandæ, tantaqve celeritate eo anno opus processit, qvantum duobus aut tribus proxime seqventibus. Kolus enim materiam & omnia qvæ reqvirebantur ordinabat, idem architectis ædis formam delineavit, operasq; singulis præscripsit, cum autem ædificatio longum tempus reqviret, sumtus ad tantum opus sustinendum producendumqve Comitem cæpere destitui, consultus itaqve pater, illam legem relaxandam svasit, qva constitutum est, ut in singulorum allodia Comites succederent, heredes autem ab iis iterum redimerent, id qvod nimis durum videbatur, indicto igitur foro juris istius redimendi potestatem fecit, ne in posterum hac lege tenerentur, eam conditionem cum singuli & universi avidè arriperent, singula agri spatia (*ploglond* vocant) singulis aratris, omnibus insulis proscindi sveta, marca veniebant. Exinde ad templum ædificandum pecuniæ satis, qvod etiam ornatè & magnificè exstructum est.

Hinc apparet qvale jus id fuerit, qvod Comes Sigurdus Crassus Orcadensibus remisit.

CAP: XXVI.

Legatus Comitis de Atjoklis Maddadi, Episcopus Jon in Orcades ad Comitem Rognvaldum missus, dimidiam insularum partem, ut filio ejus Haraldo cedat, postulat, mira Rognvaldi in excipiendo Episcopo humanitas, conventus instituitur, Haraldus in societatem imperii, tutore Rognvaldo excipitur, inqve Orcades deducitur sub inspectione Thorbiorni Klerki, qvi sororem Sveini Asleifis filii uxorem ducit, eorum ingenia describuntur, Sveinus in ultionem patris Frakaurkem incendit, partes Scotiæ populatur, Holdbodio Habudensi auxilium præstat, qvi viduæ locupletis nuptias ei procurat, mox insidias struit, qvibus evitatis Sveinus eum persequitur sed frustra, inde distractis agris ex Habudis migrans, Liodhusam petit.

Cum duos annos Rognvaldus Orcades rexisset in prædio suo Knarrastadis convivium jolense celebravit. Sexta festi feria navis è sinu Pictico adventare visa

visa est, læta cœli temperies, plurimos domibus excivit, inter qvos Comes, qvi-qve ei à confessionibus erat nomine Rolfus, navem adventantem observabant, advecti litori, qvindecim aut sedecim exscendentes, ad eos procedebant, præibat vir, togam cæruleam gestans, capillum pileo subnectens, inferiore menti parte rasa, mystace intonso promissoqve Novum habitum mirantibus Rolfus Episcopum Jonem de Atjoclis Scotiæ adesse significavit, cui Comes obviam procedens, multa eum honoris significatione exceptum in solio collocavit, ipse pincernarum in morem ante mensam ministrabat, postridie mane Episcopus missam celebrabat, mox in Eigilseyam ad Episcopum Vilhelmum profectus, cum ad festidiem decimum apud eum remansisset, uterqve cum splendido comitatu Comitem accessit, legatio præsente Sveino Asleifis exposita est, missus enim Episcopus à Comite Maddado, ejusqve uxore Margareta Haconis Pauli Orcadum Comitis filia, partem Comitatus qvam Paulus frater ejus possedit, filio eorum Haraldo cedi postulabant, ita enim inter se & Sveinum convenisse (patet hinc Sveinum eo fine ad deturbandum possessione Paulum ab iis subornatum, Paulus etiam ipse jam captivus, omne suum jus ad Comitatum in filium fororis transscripsit) futurum Haraldum in potestate Rognvaldi imperiiqve vim & auctoritatem penes ipsum etiam cum adolesceret, si dissiderent, ejus voluntate standum. His conditionibus insularum partem peti, cum Episcopo, Sveinus etiam restatus est, responsum ut proxima qvadragesima in Catanesia Comites Scotiæ Orcadumqve convenirent. Illo con entu in has conditiones ab utraqve parte consensum, qvæ exinde ab optimatibus Scotiæ & Orcadum jurisjurandi religione confirmatæ sunt. Haraldusqve Comitis Maddadi filius Rognvaldum in Orcades comitatus, eum secutus Thorbiornus Klerkus, ejusqve educationi præfectus, sua eum auctoritate regebat, vir strenuus, agilis, fortis, rebus gerendis idoneus, arrogans & iniqvus, uxorem duxit Ingiridem, Olafi filiam, Sveini Asleifis filii sororem, vices deinde mansionum inter Scotos & Orcadenses divisit. Sveinus omnibus allodiis qvæ pater, qvæ frater Valthiosus possidebat sibi assertis (jure profecto à Norvegico, vel etiam eo, qvod septemtrionalibus hisce regnis in usu erat alieno, sed occidenti usitato, primogenituræ privilegio) magnificè deinde vixit, familiamqve numerosam multis stipatoribus septus continuò aluit, natura qvidem iniqvus, sed rara prudentia, rerum etiam in futura propendentium præsagus conjector, nec occidens illo tempore ullum habuit, qvi alacritate eum & Thorbiornum Klerkum præstaret, inter qvos recens affinitas amicitiam qvoqve arctiorem, non item diuturniorem conciliavit. Procedente tempore Sveinus Comitem Rognvaldum, ut classe militeqve se ad ultionem cædis paternæ de Frakaurke Aulvereqve Rusta sumendam instrueret, nulla ratione habita partis satisfactionis à Comite Ottare acceptæ, sollicitabat. Comite, vix videri anum effetam in posterum timendam regerente, imo verò ait Svenus qvoad vixerint maleficiis non desistent, neqve hæc mihi abs te denegari tunc, cum maximam rem in tui gratiam suscepi, existimabam, (scelus in Comitem Paulum admissum, vafer homo sibi pro beneficio in Comitem Rognvaldum imputari vult, ad qvod id tantum aberat, ut eum instigaret, ut ejus plane esset inscius, nec cognitum probaret, forte etiam puniviset, si id præsens status permisisset, nec potentior, qvam erat ipse, Sveinus fuisset) Comite qvantas copias reqvireret, qværente, duas naves bene instructas postulat, qvibus datis in sinum Borgarfiordum austrum versus delatus, cauro secundo usus ad Duseyras, oppidum Scotiæ navigat inde circa Moraviam ad Eckialsbackam, exinde ad Atjoklas ad Comitem Maddadum profectus, ducibus itineris, qvi viarum per montana & solitudines ferentium gnari, eum qva volebat ducerent, ab eo instruitur, supra igitur villas, cultaqve hominibus loca per montes silvasqve profectus in Hialmundalum prope mediam Sudurlandiam pervenit. Per omnes vias, qvæ ad eos ducerent, Frakaurk & Aulver custodes dispositerunt, ne qvid improvisi superveniret, sed ab illa parte, utpote hominum vestigiis nunqvam trita, invia & obscura, nullum periculum exspectabant, ut nec pernicioſa sibi consilia à Comite Maddado, marito qvippe Margaretæ filiæ fororis Frakaurkis, qvam & ipsa educavit & elocavit. Sveinus

itaqve in devexa collis, pone Frakaurkis domum cum copiis prius pervenit, qvàm ullus eum venire ſentiret, ei protinus Aulver Roſta cum qvadraginta armatis obviam proceſſit, ſit certamen ac ius, qvàm longius, nam excluſus ſuiva Aulver, cum ſuis domum pellitur, magna ſuorum cæde, mox citato curſu ad fluvium Hialmundalenſem, inde in ſuperiora montis fuga abreptus in ſinum Scoticum devenit, inde Hæbudas petit, nec qvicqvam deinceps de eo narratur. Qvo dilapſo, Sveinus ad domum Frakaurkis regreſſus, cum univerſam diripuiſſet, ſubjectis facibus in favillas cum omnibus hominibus, ipſaqve Frakaurke, iſtud ſupplicii genus diu ante veneficiis promeritâ, redigit, magna deinde populatione Sudurlandiâ vaſtatâ, poſtea ad naves remeans, tota æſtate partes Scotiæ piraticis irruptionibus infeſtat, auctumno in Orcades ad Comitem Rognvaldum rediit, à qvo benignè ſuſceptus eſt, inde in Cataneſiam profectus, hiemem Dungalsbæis tranſegit. Eodem tempore vir genere Anglus nomine Hrodbiartus ad eum ex Hæbudis, ab Holdbodio, qvi & Hornbodius, miſſus, mandata ut ſibi auxilio veniret, deferebat, qvidam enim è Cornavia nomine Hauldus eum exſpoliatum prædiis ſuis exegit, is amico maturè ſubveniendum ratus, ad Comitem Rognvaldum profectus, milite ut ſe inſtrueret poſtulat in auxilium hominis, id temporis ſibi fidelem operam navantis, cum maximè indiguerit. Comes benè habet, inqvit, ſi etiam amici diſceditis, plurimi enim Hæbudenſium fluxæ ſunt fidei, itaqve cautè ibi procedendum, traditisqve duobus myoparonibus, abundè inſtructis Sveinus in Hæbudas transmiſit, nec tamen Holdbodium prius qvam in occidentem ad Monam perventum eſſet aſſecutus, gratiſſimus adventus ejus Holdbodio fuit, nam & ibi Hauldus ille Brito multa latrocinia exercuerat, vaſtatis agris, direptisqve multis etiam cædibus, tum ibi, tum etiam in Hæbudis perpetratis, occidit inter alios virum nobilitate primarium Andream qvendam, uxor ei Ingiridis opulenta agriqve dives femina, prædiorum magnificorum domina, filius eis Sigmundus, ſvaſit autem Holdbodus, ut hujus viduæ nuptias Sveinus expeteret, re ad eam delata, conditionem non abnuit, ſi ultionem mariti in ſe reciperet, ille damnum Britonibus, inferri qvidem poſſe direptionibus an etiam cædibus, non perinde certum reſpondit. Exinde Sveinus & Holdbodius qvinqve navibus piraticis in Bretlandiam moverunt, conſcenſoqve loco, qvi Neſia appellatur, obvia qvæqve vaſtabant, qvodam die horâ matutinâ vicum qvendam, ingreſſi, incolis ad reſiſtendum invalidis, in fugam verſis, omnia diripuerunt, ante jentaculum ſex villis exuſtis. Militabat tunc Sveino Islandus qvidam, nomine Eiricus, qvi hæc in numeros adhuc ſuperſtites redegit. His peractis ad naves reditum, univerſa æſtas, prædis direptionibus cædibus incendiis inſumta, Hauldus Lundeyam munitam ſatis occupavit, qvam aliqvantiſper cum fruſtra obſidiſſent, re infectâ eodem auctumno Monam repetebant. Hac eadem hiemis parte nuptiæ cum Ingeride celebratæ qvodqve reliqvum erat, magnificè exactum: proximo vere contractis copiis Holdbodium accedens Sveinus auxilia poſtulabat, ille alios operibus variis diſtentos, alios mercatum profectos excuſans nulla reddidit, hæc ita in ſpeciem prætendebantur, revera autem clandeſtina pax, munerum interventu conciliata, inter eum Hauldumqve arctior inde amicitia ſocietasqve coaluit. Nihilominus Sveinus tribus navibus piraticis expeditionem adornavit, exiguo, prima æſtatis parte lucro, procedente tempore, Hiberniæ advectus navem mercatoriam, qvam monachi inſularum Syllingarum (Sillinas nautæ *Sorlings* vocant, Cornvalliamq; ab ortu ſpectant) poſſidebant, exſpoliavit, lateqve per Hiberniæ partes, populatione ſparſa, opes haut exiguæ avectæ, domumq; in Hæbudas ſub autumnum reditum, haut diu domi manſerat, cum relatum ipſi eſſet, ſuſpectam fidem Holdbodii habendam, id cum minus crederet, accidit ſeqvente vere ut vigiles cum de nocte excitantes, hoſtes domo appropinqvare denunciarent, in re igitur trepida, continuò ad arma concurſum eſt, Sveinus colle edito occupato, tuba vicinos convocavit, non enim ſparſim habitabant, qvibus turmatim confluentibus ſuperior, hoſtes in fugam vertit, qvos perſecutus, multos eorum occidit, magna parte utrinqve vulnerata, has copias Holdbodius duxit, fugaqve longiùs provectus manus

ejus

ejus evasit, Lundeyaq; petita, ab Hauldo ex hoste socio amicè excipitur, ubi junctis viribus, se adversus hostiles impetus muniebant. Sveinus domum rediens majoribus præsidiis se munivit, lubricæ Hæbudensium fidei vitam fortunasqve non ultra creditурus, itaqve agris omnibus pretio qvàm potuit maximo, deinceps venditis, Liodhusam eodem vere concessit, multis ea expeditione spoliis auctus.

CAP: XXVII.

Thorsteinus Hauldus Fiaransmunnus caditur, Sveinus Asleifis filius & Thorbiornus Klerkus reconciliantur, Hallus Islandus in aulam Comitis Rognvaldi admittitur, poëma ab eo & Comite factum.

His dum Sveinus in Hæbudis gerendis detinetur, Comes Rognvaldus fortè in Cataneſia convivio à Hroaldo qvodam in prædio Vika excipitur, cui filius Sveinus vegetus juvenis in eorum numerum allectus, qvi dapes ministrabant. Cùm Thorbiornus Klerkus è Scotiâ adventans, nunciat Valthiofum qvendam Scotiæ Comitem patrem suum Thorsteinum Hauldum Fiaransmunnum occidisse, adeò autem gratiosus Comitisqve potens Thorbiornus eo tempore erat, ut vix publicis causis decidendis Comes vacaret, continuò cum illo colloqvio distentus, in Orcades qvoqve proficiscenti Comes adscisceretur, qvi dum in Scotiâ moratus est, duos ex iis, qvi in incendenda avia sua Frakaurke, ejusqve domo familiâqve operam Sveino præstiterunt, occidisecit, inde exacerbatus Sveinus, cùm eadem æstate omnem familiam domum reduceret, non ad Comitem, ut aliàs semper è piraticâ redux, accessit, sed in insula Harekseya remansit, id miratus Rognvaldus cùm causam à Thorbiorno exqvireret, responsum accepit, offensum eum sibi videri, qvòd qvosdam interfectores Frakaurkis sustulisset. Comes inimicitias eorum inimicas sibi præfatus, ipse in Garekseyam ad Sveinum profectus, facilè eos ad pristinam amicitiam reduxit, utroqve arbitrio Comitis se submittente, eaqve reconciliatio longo tempore duravit. Eodem tempore navis mercatoria Islandica ad insulas appulsa est, vectus ea civis qvidam gentis illius nomine Hallus, Thorarinis Breidmagii, seu obesi ventris filius, in Rinarsyâ ad Ragnam filiumq; ejus Thorsteinum divertit, ibi cum moræ pertæderet Thorsteinum, ut se Comiti Rognvaldo commendaret, impulit, simul profecti cùm nihil profecissent, rediens Hallus Ragnæ carmine exposuit, inscribi satellitio Comitis frustra petitum, cum abunde ei esset virorum strenuorum. Interjectis paucis diebus, ipsa propriis negotiis expediendis Comitem accessit, gestans tegmen capitis rubrum è pilis eqvinis contextum, qvo viso Comes, versum in hunc sensum fudit, qvem *Magnus Olafius* vir doctissimus, pastor qvondam Ecclesiæ Laufasensis, in septemtrionali Islandiæ qvadrante ita interpretatus est. exstatqve versio in etymologico celeberrimi *Olai Wormii* his verbis, in voce *Gaddan*.

Incipit hæc mulier occiput circumligare, seqve ornare iracundâ & fatuâ eqvæ caudâ; Cui Ragna video vetus illud verum esse, qvòd paucos tam sagaces perhibet, ut in rei naturam exactè penetrent, constat qvippe eqvi non eqvæ pilis Sindone deinde capiti circumdato, causam Halli egit, difficilemq; primo Comitem, facundiâ pedetentim flectens, ut petitis annueret effecit. Receptus in aulam, longo tempore apud eum vixit, qvi conjunctim omnia genera carminum vel collegerunt, vel invenerunt, clavem generum seu Rhythmicam appellabant, singulis generibus qvinqve versuum exempla subjicientes, id qvod posterioribus seculis prolixum nimis visum, posteritas dempris tribus duobus contenta fuit, illam à Comite factam Magnus Olafi pastor Ecclesiæ Laufasensis in Islandia adhuc exstare in præ-

ſatione *Stephani in Saxonem* teſtatus eſt, exſtatqve hodie in Bibliotheca Upſalenſi, inde duo carmina *in Notis ad Gotrici & Hroſſi hiſtoriam, Olaus Verelius* producit.

CAP: XXVIII.

Sveinus in Hæbudas expeditionem facit, prædâ ſocios fraudatur, cui offenſus Thorbiornus Klerkus ſororem ejus repudiat.

Evenit autem ut Sveinus reditum Holdbodii ad Hæbudas per nuncium reſciſceret, adito itaqve Comite Rognvaldo, auxilia ab eo ad ulciſcendam ejus perfidiam petit, qvinqve naves impetrat, gubernatores, qvi & rectores erant, dati in ſingulas, uni Thorbiornus Klerkus, alteri Haſlidius Thorkelis Fletteris filius, tertiæ Dufniall filius Havardi Gunnaris, qvartæ Richardus Thorleifis Frakaurkis ſororis filius præfuit, qvintam Sveinus ipſe duxit, verùm Holdbodius vim tantam ſuſtineri poſſe diffidens, ad nuncium adventus ejus actutùm ex inſulis fugiens periculo ſe exemit, nec deinceps unqvam eò redire auſus eſt. Ne tamen impenſæ gratuitæ eſſent, & expeditio jejuna, multa per inſulas cæde graſſati, ædium incendiis, rapinis, direptionibus ingentem prædam ſævientes, coacervârunt. In Hæbudis Sveinus hiemandum duxit, verùm Thorbiorno cæterisqve repugnantibus in Scotiam ſimul navigatum, Dungalsbæasqve perventum, in diviſione prædæ omnibus æqvales partes addixit, ſibi imperatoris portione vindicata, qvòd ſolus expeditioni præfuiſſet, ſibi enim Comitem auxilia ſuppediraſſe, cùm cauſſam belli ſolus cum Hæbudenſibus habuerit, illi nullam, Thorbiornus parem cum illo portionem reqviſivit, ut qvi eam pari labore, pari periculo, pari etiam imperandi auctoritate promeruerit, inqve æqvales partes, ſingulos navium ductores admitti poſtulavit, verùm potentior in Cataneſia Sveinus erat, clientumqve numero inſtructior, qvàm ut iis integrum eſſet cum illo contendere, nedum invito qvicqvam adimere, ejus itaqve auctoritate ſtandum erat. Thorbiornus in Orcades ad Comitem Rognvaldum profectus, diviſionis iniqvitatem qveſtus eſt, diſplicuit id Comiti, nec ſine cauſſa, Sveinum iniqvum haberi reſpondit, futurum tamen qvandoqve ut injuriatum pœnæ ab eo repeterentur, ne tamen diſſidium inde oriretur, de ſuo hoc rependi promiſit, qvod Sveinus ei detraxerat. Velle itaqve ne de his amplius cum illo diſceptent. Optare ne qvam majoris periculi cauſſam Sveinus proinde, præbeat, magno verborum honore Comitis clementiam, æqvitatem, liberalitatemqve extollens Thorbiornus, gratias à Deo ipſi rependi optabat, pro magnâ in ſe, ſociosqve ſuos benevolentiâ, nec ſe proinde cum Sveino ſuper hac re diſceptaturum, ſed nec deinceps amicum ei futurum, affecturumqve in talionem injuriæ, aliqvali eum ignominia, mox ſororem ejus Ingiridem, uxorem ſuam repudiavit, adqve eum in Cataneſiam trasmiſit, qvam qvidem placidè Sveinus excepit, magnâ licet ſe contumelia affectum interpretatus.

CAP: XXIX.

Margadus Grimi filius nomarchia Dungalsbaenſi à Sveno præfectus provinciam exſpoliat, Hroaldum occidit, adqve Sveinum tantis perpetratis facinoribus profugit, Sveinus caſtrum Lambaburgum occupat, obſidetur à Comite Rognvaldo, cum Margado elapſus ad Regem Scotiæ fugit, in via cœnobium qvoddam exſpoliat

exſpoliat, Rex Scotiæ ſuis impenſis, damna reſarcit, Sveinum Comiti Rognvaldo reconciliat.

Dum Sveinus in Hæbudis tempus rapinis impenderet, Dungalsbæis Margadum Grimi filium nomarchiæ, qvam Comes Rognvaldus ei commiſerat, præfecit, is leves ob cauſſas, interdum etiam nullas cùm alios lite pulſaret, alios multaret, invidiam odiumqve plurimorum contraxit, cùmqve oppreſſi injuriis ad Hroaldum perfugium haberent, inter eos infeſta odia diſſeminarunt, paullo poſt Margadus in auſtralia ad Vikam negotiis peragendis, cùm viginti comitibus profectus, prius qvam inde excederet Hroaldo cum qvibusdam aliis domi oppreſſo, occiſoqve Dungalsbæas ad Sveinum profectus eſt. Is collecto milite in caſtellum Lambaburgum, ſeu agnorum caſtrum, cum ſexaginta viris ſe recepit, eoqve victualibus, & qvibus præterea indigebat, advectis, in omnem fortunam ſe præparavit, inde crebris eruptionibus in Cataneſiam factis, prædas in caſtrum inveheba t, offenſi juſtâ irâ cives haut injuria eum exſecrabantur. Erat caſtrum naturâ loci bene munitum, ſitum qvippe in præcipitio rupium, in ſubjectum mare prominente, ſupra agger è ſaxis bene firmatus, terreſtrem impreſſionem arcebat, circa præruptæ rupes in longum ſpatium juxta mare extenſæ. His ad Comitem Rognvaldum filiumqve Hroaldi Sveinum delatis, Sveinus Comitem ne patrem inultum ſineret, cauſſæqve tam gravis vindictam negligeret, multis in preces etiam ſuccedentibus oravit & exoravit, mox in Cataneſiam his proceribus, Thorbiorno Klerko Haſlidio Thorkelis Fletteris filio & Dufniale Havardi filio, omnibus ob iniqvam prædæ diviſionem, ereptamqve ſpoliorum partem, imminutamq; dignitatem ſuam Sveino infenſiſſimis comitatus movit. Cum Dungalsbæas ventum eſſet, cognitumqve Sveinum inde profectum, caſtellum Lambaburgum occupâſſe, eo in procinctu movet, at Sveinus cognito adeſſe Comitem, cauſſam adventus ejus exqvirit, Comes Margadum dedi poſtulat. Sveinus parſurus ne dedito eſſet, iterum rogat, id cum Comes promittere nollet, reſpondit, haut omnino Margadum Sveino Hroaldi filio, aut aliis meis inimicis, qvi te jam circumſtant, dedam, tibi tamen qvàm optimè me velim conciliatum, qvæ verba Thorbiornus Klerkus hoc reſponſo excepit, en proditoris domini ſui fucata vox, ei reconciliari cupit, cujus provinciam ſpoliavit, ſurumq; in morem hominum conſortio ſe ſubducens ſolitudines petit, & præſidiis occupat, egregiè beneficia, honores, muneraqve ab eo in te collocata abs te rependi, non mirabitur, qvi ingenium tuum novit, ſibi nempe ingrati animi crimine erga omnes benefactores amicosqve ſemper & ubiqve ſimile conſtansqve. Ad hæc Sveinus, fruſtra balbutis, cùm dicteria dictaqve tua perinde floccifiant: id auguror ingentia beneficia, qvibus te ſibi Comes obſtrinxit, à te ad ultimum ſceleratiſſimè rependi, deſipit enim qvisqvis è conſortio tuo commoda exſpectat. Comes poſtqvam verborum contumeliis abſtinere eos juſſit, caſtellum obſidione cingit, ſubvectiones inhibet, non tamen oppugnat, cùm validius eſſet, qvàm poſſit expugnari, fame ad deditionem aut ſeditionem compellere ſtatuit, conſilio haut vano, nam deficientibus alimentis Sveinus omnibus convocatis, qvid in medium conſulerent rogavit, omnibus conſilia ejus ſe ſecuturos promittentibus, turpiſſimum inqvit, longâ primùm fame premi, preſſos deinde maceratosqve dedi in hoſtium poteſtatem, obſidio hæc diſcrimen prudentiæ Comitis Rognvaldi, meæq; imprudentiæ ſatis indicat, cum is eventu proſpero, eam ſe finiturum præviderit, non ego item ſubſeqvens in commodum: nec mirum, eſſe, eum me longè ſollertiorem feliciorem-qve nec tamen omnes moderationis limites exceſſimus, pacem enim petivi, ita tamen, ut Margado vitæ membrorumqve incolumitatem pacturus, utrumqve negatum eſt, eum autem prodere, inimicorumqve ſecuri ſubjicere, cùm mihi nefas ſit, certè decorum non erit, vos noſtris calamitatibus implicare, pœnæqve, qvam is promeruit, ſubjicere; cùm ergo certum mihi ſit, illo abſente incolumes vos facta deditione futuros, inveniam conſilium, qvo nos his impedimentis extricemus.

Mox funibus invicem per nodos connexis, Sveinus Margadusqve per rupium præ-rupta in mare de nocte demiſſi, qvi continuam rupium ſeriem natando emenſi, planum litus nacti, cùm pedeſtri itinere in Sudurlandiam inde in Moraviam, deinde Dufeyras oppidum Scotiæ perveniſſent, inciderunt in lembum Orcadenſem denos populares ſuos vehentem, duo præerant Hallvardus, & Thorkell, ab his excepti, Scotiæ litora prætervecti curſu in auſtrum directo ad Maeyas navem admoverunt, ibi monaſterium cujus Abbas nomine Balduinus. Adverſis ventis ſeptiduum detenti, legatos ſe Comitis Rognvaldi ad Scotiæ Regem profeſſi ſunt. Monachi prædones ſuſpicati è continente auxilia accerſent, id olfaciens Sveinus exſpoliato oppido, magnam prædam nactus, ſinum Myrkvafiordum, ſeu tenebricoſum ingreſſus eſt, qvo pernavigato, Regem Davidem Edinburgi acceſſit, qvi Sveinum magnâ clementiâ exceptum, ut ad ſe maneret, invitavit. Is cauſam adventus ſui omnem, & qvicqvid inter ſe & Comitem Rognvaldum incidiſſet, qvodqve inſulas Maeyas diripuiſſet, ordine expoſuit, aliqvantiſper apud eum in magno honore remanſit, Rex unumqvemqve eorum, qvi ſpoliati erant per nuncium juſſit ſuum damnum profiteri, deinde ſingulis de ſuo ſolvit, obtulit inſuper Sveino, ut uxorem familiamqve in Scotiam transferret, oſtensâ conditione ſatis amplâ, in qva tuto poſſit acqvieſcere, Sveinus, actis gratiis, petiit ut Margadum reciperet, ageret autem cum Comite Rognvaldo per legatos, ut ſecum paciſceretur, ſe enim omnem cauſſam, arbitrio ejus commiſſurum, ſemper qvidem ſibi benè ceſſiſſe, cum ipſi qvam optime conciliatus eſſet, qvoties ab eo diſſideret, ægrè ferre. Ad ea Rex, hunc qvidem Comitem bonum virum eſſe oportet, certè æſtimatione tua talis eſt, cum rejectis conditionibus, qvas ego obtuli, certis, fidem ejus nulla ex parte obligatam, adeoqve hoc ſtatu, incertam, tantâ fiduciâ libet experiri. Sveinus gratiam ſe Regis grato ſemper animo agniturum præfatus, his tamen precibus ut annueret oravit. Miſſis ergo legatis ad Comitem, cum muneribus, Sveinum in gratiam recipi poſtulat, facileqve obtinet, inde Sveinus relicto ad Regem Margado in Orcades ad Comitem profectus, in gratiam integramqve amicitiam recipitur, domumqve ad poſſeſſiones ſuas rediit. Jam ad eos, qvi obſidebantur, ſtilum convertam. Cùm primùm Sveinus Margadusqve caſtello deſcendiſſent, omnes communi conſenſu Comiti ſe dediderunt, qvi cognito Sveinum Margadumqve hoc aſtu evaſiſſe, eqvidem, inqvit, nullus noſtratium Sveino comparari poteſt, talis qvippe dolus ingenioſus, etiam ſtrenuitatem reqvirit, vos autem, qvi his turbis vos imprudenter involviſtis, jam dediti, qvo libet, liberi abite. Inde Orcades petiit, miſſo Thorbiorno Klerko, cum unica nave, & qvadraginta claſſiariis in ſinum Breidafiordum ad perſeqvendum Sveinum, qvod cum fruſtra eſſet, ipſe imprudenter Sveinum magno labore nullo lucro qværi teſtatus, cùm non procul inde Comes Valthiofus, qvi patrem ſuum occiderit, abeſſet, qvod ſi ſe ducem ad ulciſcendum eum ſeqvi velint, non exemplo Sveini ſpoliis ſe eos fraudaturum, omnem enim prædam eorum futuram, nec ſe plus inde decerpturum qvam ipſi permiſerint, ſibi enim gloriam opibus potiorem. His accenſi Valthiofum convivio in agro qvodam indulgentem, de improviſo adorti, ignem tectis admovebant. Is ad fores egreſſus, qvinam ignem inferrent percontatus, ubi Thorbiornum accepit, ſatisfactionem ob paternam cædem obtulit, ſpe pacificationis abſciſſa, viriliter ſe defendit, qvoad flamma prævaluit, tunc confertim erumpentes, incendio penè confecti facilè cædebantur, cæſi cum illo triginta, prædaqve ingens parta, qvam Thorbiornus fidei tenax militibus ex promiſſo permiſit, inde in Orcades profectus, laudem Comitis hoc facto meruit.

Ea tempeſtate vir qvidam juvenis, magni ſpiritus, nomine Kolbeinn Hruga (*Acervus*) in Orcadibus habitabat, qvi caſtellum è ſaxo in inſulâ Vigure exſtruxit, egregieq; munivit, obſidioni ſuſtinendæ idoneum, uxor ei Herbiorg Haconis Barnis ſoror, qvorum mater Sigridis, nata matre Herbiorge Paulli Orcadum Comitis, Thorfinni filii filiâ. Kolbeinis Hrugæ liberi numerantur, Kolbeinn cognomine Karl ſeu Carolus, Biarnius poëta, poſtea Orcadum Epiſcopus, Sumarlidius & Aſlacus, filia Frida, ſinguli magna exiſtimatione & nobilitate clari.

CAP.

CAP. XXX.

Comes Rognvaldus ab Ingio Norvegiæ Rege invitatus eum accedit, ab Endridio juvene Constantinopole reduce statum Græcorum Orientaliumqve terrarum exponente, ut expeditionem eò faciat persvadetur, ei nobilissimi Norvegorum Comites se adjiciunt, inter qvos præcipuus Erlingus Skackius, Dux itineris Eindridius electus, Comes liberaliter à Rege & propinqvis donatus, dum Orcades repetit, naufragio ad Hialtlandiam facto, ipse cum nautis omnibus salvus evadit, ejus in periculis fortitudo & damnis ferendis magnanimitas, duos poëtas Hialtlandenses in aulam adsciscit, Orcades repetit, iterum Bergas, proficiscitur, ibi navibus Comitatuqve recepto Orcades redit, Endridii fastus & jactura Comes in Orcadibus hiemat, lites inter Norvegos & Orcadenses exortas componit.

Hoc tempore Haraldi Gillii filii Norvegiam rexerunt Eysteinus Ingius & Sigurdus Bronchus, ætate Eysteinus, natu Ingius, qvippe legitima matre Reginâ editus præstabat, studio insuper procerum & satraparum, qvibus omnem administrandi regni curam committebat, inter qvos Ormi Kirpingi filii Augmundus & Erlingus maxima auctoritate, secundùm Gregorium Dagium, pollebant, svadebant autem, ut Ingius Comitem Rognvaldum, veterem patris sui amicum, in suas partes tractum, sibi, qvàm fratribus in omnem eventum addictiorem redderet, eumqve ad se honorificè invitaret. Incidit hoc tempus in annum Christi MCXLIX, qvo inter Reges Norvegiæ simultates & dissidiorum scintillæ gliscere cæperunt, nam Haraldus Maddadi filius, natus anno MCXXXIII, anno MCLIII, morte Davidis Scotiæ Regis nobili, ætatis vicesimum egit, non explevit. Placuit Comiti Regia invitatio, tum qvòd id amplum sibi, ut erat, duceret, tum qvòd desiderio cognatos salutandi teneretur, proximo itaqve vere, qvi annus est seculi illius qvinqvagesimus, omnia ad profectionem adornabat, assumpto secum Comite Haraldo, decimum septimum annum agente, qvi cupidine invisendi Norvegiam ductus id à Comite expetivit, paratis omnibus, cum mercatoribus magno comitatu profecti, Regem Bergis convenerunt, amanterqve suscepti, in multam æstatem ibi remanserunt, ubi mutuis amicorum salutationibus sibi invicem gratulabantur.

Eadem æstate Constantinopoli rediit vir juvenis, nobilitate & experientia celeberrimus Endridius Jungius, qvi Græcorum Imperatori Emanueli, seu Manueli Comneno longo tempore stipendiis meruit, hunc multa de Imperatoris magnificentia, aulæ splendore, vi exercitus, militum numero, ordinibus & apparatu, imperii magnitudine, regionum Præfectis, legibus & populorum moribus, ærarii inexhausto thesauro, ejusqve immensis reditibus, terrarum indole, fructibus & id genus aliis narrantem, Rex proceresqve libenter audiebant, in primis Comes Rognvaldus, qvi assiduè cum eo colloqvebatur, multaqve super Orientalium terrarum natura statuqve rogitabat, instantem qværere Eindridius semel hunc in modum affatur, narrationem experientiæ, te Comes præferentem, audita visis, historiam usui, cùm utriusqve copia sit, jam dudum miratus sum, non modo maxima cum voluptate hæc omnia coram aspicere poteris, sed & aspectu tuo, gentes illas, illarumqve proceres magna voluptate perfundere, cùm te naturæ dotes, artium excellentia, cæteraqv

raqve principalis vitæ præſidia talem fecerint, ut ubicunqve vixeris ſemper magnifias, itaqve nec indignum tibi, nec arduum exiſtimes eò decenti cum pompa proficiſci. Hanc adhortationem multi qvi præſto erant ſuffragiis probabant, in primis agnatus Comitis Erlingus ut hanc expeditionem ſuſciperet, ducemqve ſe gereret, multis urgebat ſe qvoq; eum comitaturum pollicitus. Cùm multi magnatum idem poſtularent, voluntatibus eorum refragari non ſuſtinuit, itaq. id eis ſe daturum promiſit. Itineris dux Einidridius electus, navium præfecti, qvi & provinciarum ſatrapæ. Jon Pes Comitis ſororius, Aſlacus Erlendius, Guttormus Maulur Kollus de Hallandia, qvin & ipſe Eindridius inter provinciarum Præfectos numeratus. Convenit, ut nemo horum nave triginta loculis majore, aut ornatu inſigniore præter Comitem uteretur, reliqvi pari magnitudine apparatuq; ſingulas ducerent, idq; ad invidiæ cauſſas vitandas. Joni Pedi injunctum ut Comiti navem eximiam ornatu ſpecioſiſſimo ædificaret. His ita ordinatis eodem autumno Comes domum profecturus, duas naves longas, minores qvidem, ſed artificio ornatuq; præſtantes, remis aptas, habilesq;, ad celeritatem factas, dono Regis Ingii accepit, nomina eis impoſita Hialp & Fifa, hæc à velocitate, qvod ad modum herbæ iſtius, cujus flores in lanuginem deſinunt (paluſtrem lanuginem appellant) plumæ inſtar levis vel leviſſima aura impulſa volitaret, illa ab adjutorio, qvod navigationes promovendo nautas juvaret, nominis rationem reddidit. His trajicientes Comites feria tertia hebdomadis ſub veſperam portu ſolverunt, tota nocte ſecundo uſi vento, qvo die Mercurii intentius flante, ſeqventi nocte inter tenebras, undàs hinc litoribus, illinc ſcopulis undiqve colliſas conſpicati ſunt, cumqve ſimul navigâſſent, neutriqve ſe disjungendi periculi declinandi via pateret, ſupererat, ut in terram impelli ſe, vitæ tantum per naufragium cum omnium rerum jactura conſervandæ paterentur, præaltis rupibus allapſi ad ſubjectum litus ſed minus patens, omnes enitebantur, naves mercesq; & inter cætera eximia munera ab amicis accepta perierunt, qvædam de nocte fluctibus in litora rejecta ſunt, magno animo Rognvaldus & periculum & damnum, ut alias ſemper, etiam illo tempore ferebat, tantaq; præſentis & intrepidi animi ſigna oſtendebat, ut ſingula dicta nodis metricis involveret, detractoqve annulo carmen elegans fecit. Verùm cùm poëſis, qvæ tum in uſu erat ſingulare artificium ſpiret, qvod niſi iis, qvi ad perfectam lingvæ iſtius notitiam, illius etiam cognitionem adjecerunt, obſervari vel explicari neqveat, conſultò, illius enodationi ſupersedeo, in arte enim vel oſtentanda, vel occultanda univerſa ſtructura conſiſtit ſingulaqve verba commentarium plerumqve reqvirunt, magno tamen conſilio iſto ſeculo, in hiſtorias relata tum ad conſervandam artem poëticam tum etiam ad confirmandam rhythmorum teſtimoniis enarrationis fidem, qvorum prius hic ſupervacaneum, imò & ineptum, cùm in aliam lingvam hiſtoria tranſeat, poſterius ubi neceſſitas poſtulat, non omnino omittendum. Exportatis qvæ æſtus rejiciebat, ad villas inqvirendas ſe conferunt (Hialtlandiæ enim appulſos ſe colligebant) qvibus inventis, magno incolarum gaudio, ſalvos Comites evaſiſſe gratulantium excipiuntur, qvatuor exſtant carmina qvæ ibi fudit, primum cùm itineris ejus ordinem reqvirerent, ſecundum cùm tunicam ſcorteam materfamilias ei porrigeret, qvod facere perſtrinxit, tertium cùm frigens ancilla, verborum vix potens, ad focum ingreſſa ſe calefaceret, qvartum cum nautarum duodecim, hoſpitio excipere potentior civis Einar prædii Gullberavikæ Dominus renueret, ni ipſe Comes etiam tecta ſua ſubire dignaretur. Diu in Hialtlandiâ moratus, eodem auctumno Orcades repetivit, hiemem ibi tranſacturus, ibi duo viri Hialtlandenſes, Armodus alter profeſſione poëta, alter Oddus cognomento parvus Glumi filius carminibus qvoqve aptiſſimus, in aulam recepti. Feſto, natalis Chriſti memoriam refricante, convivium ſplendidum inſtruxit, ad qvod optimates aliiqve invitabantur, ſinguli non indonati dimiſſi, inter cæteros Armodo haſta aureis nodis conſerta data, eleganti deinde carmine, qvod ipſe Comes præcinebat, poëta ad reponendum invitatus, alio haut minus artificioſo ſpei exſpectationiqve ejus ſatisfecit, ſimiliter Oddi peritiam exploraturus, cùm qvidam tentoriis curam intenderet, juſſit, ut ex tempore metris,

id

id qvod ageret complecteretur, ſuumqve, qvod præcinebat, carmen eadem celeritate, in eadem qvoqve materia, ſed per parodiam inverſa ſingulisq; verbis mutatis exprimeret, ars ſimul & ingenium, fluensqve poëtæ vena ad hoc reqvirebatur, ſingula extemporali promtitudine abſolvit, extat utrumqve, tum ejus, tum Comitis elegantiſſimè concinnatum. Iſto convivio primum propoſitum itineris in Orientem Hieroſolyma usqve ſuſcipiendi palam factum, Epiſcopusq; qvi inter proceres convivio interfuit, in ſocietatem, ut interpretem ageret ſollicitatus, erat enim bonus Pariſienſis clericus (ſic verba ſonant, aut doctores Lutetiæ Parriſiorum audiviſſe eum, ſive ibi natus fuerit, ſive alibi, aut ſi non Lutetiæ, ab iis tamen alibi locorum edoctum exiſtimo) facilè Epiſcopus petitis annuit, adſciti præterea Magnus Havardi Gunnaris filius & Sveinus Hroaldi filius, præter hos dignitate inferiores, Thorgeir nimirum Skotakollus, Oddus Parvus, Thorbergus Niger, Armodus poëta, Thorkell Krokauga, Grimkell de Flettuneſiâ & filius ejus Biarnius.

Elapſa hieme unâ hac & alterâ, qvo tempore inſtrui profectio debuit, primo vere Comes Rognvaldus in Norvegiam trajecit, exploraturus, an præfecti apparatum navesq;, uti convenerat, inſtruxiſſent, Bergas cùm appuliſſet Erlingum, Jonem Pedem & Aſlacum adventum ſuum exſpectantes ibidem offendit, mox etiam Guttormus aſſuit, aderat & navis, qvam Comiti Jon Pes præparaverat, ornatu, materiæ delectu, opereqve ad magnificentiam oſtentandam, bellumqve navale vel inferendum vel ſuſtinendum facta, prorâ puppiqve & apluſtris, pluribusqve aliis partibus deauratis magni qvidem pretii. Eindridius urbem qvidem eadem æſtate ſæpius accedens, poſt varias moræ excuſationes tandem in hebdomadem ſeqventem ſe paratum retulit, cæteri ægrè ferebant moras ſupervacaneas ejus exſpectatione necti, fuerunt qvi amplius tardandum non cenſebant, factas prius tales expeditiones absqve ejus ductu memorantes, paucis poſt diebus Eindridius acceſſit, expeditum ſe profeſſus, Comitemqve ut primam navigandi occaſionem arriperet, hortabatur, qva data claſſem portu moliti. Bergis ſolventes in altum evecti, leni vento uſi ſunt, ideoqve prætoria Comitis lentè impulſa, qvippe mole ſuâ gravior tardius ferebatur, ne autem leviores eam præterveherentur, gubernatores omnes contractis velis curſum ſiſtebant, extra inſulas in altum delatos, acrior aura in primis prætoriam provexit, qvam cùm nec curſu aſſeqvi, nec ventum ipſius curſui accelerando idoneum, plenis velis ſuſtinere poſſent, ſinibus contractis ſeqvuntur. Conſpectæ tunc binæ naves, celeriter eos prætervectæ, utraqve magna, altera duobus draconum capitibus, caudaqve & ſinibus deauratis, partibusqve idoneis, qva ex aqvis eminebat, ornatu maximo pictis. Eindridii has eſſe pacta promiſſaqve obliti, qvibus cautum erat, ne præter Comitem id genus navem qvisqvam duceret conjicientes, audiente Comite violatæ fidei levitatem inter ſe incuſabant, is autem reſpondit, magnus qvidem Eindridii faſtus eſt, nec mirum nobis tam imbecillibus præferri velle, incertum tamen an præcedat eum, an ſeqvatur ſua fortuna, nos ipſi ſuum ingenium conſiliaqve permittentes, claſſem noſtram junctim navigantes, pro noſtro arbitrio dirigamus. His obſervatis feliciter eodem auctumno in Orcades perventum, verùm Eindridius acrius evectus, iis longo ſpatio poſt ſe relictis ad Hialtlandiam appulſus, navem illam elegantem fregit, multa ſuarum rerum jactura, minore tantùm retenta, atqve ita præſagium Comitis, ut ſæpe aliàs eventus probavit, ſed nec naufragio faſtuoſus animus fractus eſt, miſſis qvippe in Norvegiam nunciis, aliam eadem hieme inſtrui curavit, ipſe in Hialtlandia hiemavit, Comite in Orcadibus cum omnibus copiis remanente, Norvegorum alii ſuis, alii colonorum, multi ipſius Comitis impenſis ſuſtentati, mox inter indigenas & eos diſſidia, è commerciis, fœminisqve qvarum liberiorem uſum poſtulaſſe videntur, qvam par erat, exorta eſt; arduum tunc Comiti inventu temperamentum, qvo utrisqve ſatisfieret, cùm paribus meritis fidem ejus benevolentiamqve obſtrinxerint, pari fide eum colerent, ſuasqve fortunas arbitrio ejus committerent, utpote principis expertæ in utrosqve fidei & benevolentiæ. Fuit qvidam Erlingi claſſiariorum nomine Arnius cognomine Spitulangur, id eſt gracilis, qvi per hiemem cum novem aliis in Orcades tra-

jecit, vir ferox, robuſtus, imperioſus & iniqvus, ſuisq; ſumptibus vixit, hic à colono Sveini Aſleifis filii, polentam carnesq; emerat, qvo pretium repoſcente, ſolutionem prima vice diſtulit, ſecunda, ad verborum contumelias proceſſit, tandem malleo eum feriebat, cùm inſultatione ut heroi Sveino, qvem tantis laudibus extolleret, læſum ſe qvereretur, eumq; ad vindicandam injuriam accenderet, qvod cùm colonus ad Sveinum deferret, negligentis ſpeciem præbuit, ſed ineunte vere ad prædiorum canones annuos colligendos, navem decem remorum cum ſeptem nautis conſcenſam Haeyæ, ubi Arnius divertit, admovit, denudata receſſu maris littora affluxus noviter adauxit, cùm is ſolus ſecurim brevi manubrio gerens inſulam conſcendit omnibus ad cuſtodiam navis relictis, ne recedente æſtu, in littore ſtatueretur non procul à mari, diſcreta cæteris ædibus domus ſtabat, ibi Arnius cum qvinqve ſociis ſe continuit, ingreſſus Sveinus ſalute ultro citroq; data, rogat Arnium, ut ſolvat colono ſuo, qvod debeat, Arnius temporis ad id ſatis reſpondit, inſtabat Sveinus petere, ut id in ſui gratiam faceret, nihil ſe ei daturum cùm reſponderet, nec ſe id ultra flagitaturum dictitans, ſimul univerſa ſecuri capulotenus capiti ejus impreſſa, relictaq; in vulnere citato curſu ad naviculam ſe recepit, qvem reliqvi omnes inſeqventes, præter unum, non aſſeqvebantur, cui in litore appropinqvanti Sveinus caulem algæ ſeu muſci marini in os injecto, dum oculos faciemqve purgat, elabendi ſpatium nactus ad ſcapham revertit, inde domum Garekseyam profectus, propiorum negotiorum gratia in Cataneſiam conceſſit, miſſisq; ad Comitem Rognvaldum nunciis, ut pro cæde Arnii propinqvis ejus ſatisfaceret, ſignificavit. Qvibus convocatis de ſuo multam Comes ſolvit, ita ut acqvieſcerent, plures præterea injurias eadem hieme, inter Norvegos & Orcadenſes ultro citroq; illatas aut acceptas, propriis expenſis compoſuit.

CAP: XXXI.

Comes Rognvaldus Hieroſolyma profecturus curam imperii, Comiti Haraldo mandat Narbonam urbem illo ſitu nobis ignotam appulſus, à virgine Comite ſplendido convivio excipitur, cujus memoriam deinceps carmine freqventer celebrat, in Gallecia hiemat, ibiqve caſtellum munitum incendit, Eindridii perfidia, navem vaſtiſſimam exſpoliat, barbaros cædit, principem conſervat, libertatiqve reſtituit, ejus in calamitate fortitudo & conſtantia, mox gratus in indulgentes hoſtes animus, Comes Hieroſolyma pervenit, urbes terræ ſanctæ freqventat, Græciam petit, Jon Pes occiditur, Conſtantinopolim iter, Eindridii injuria, Comes Romam profectus, terreſtri itinere Norvegiam redit, inde nave Iſlandica Scotiam petit, denuo domum redit.

Ineunte vere in Roſſeya celebri conventu habito, proceres univerſi ex ſingulis ditionis partibus freqventes aderant, cùm Comes Rognvaldus ſe, ut voverat, in Orientem Hieroſolyma usq; nunc profecturum, cognato ſuo Comite Haraldo interea gentis adminiſtratore relicto, ſignificavit, cui ut obſeqvium operamqve fidelem, vel in præcavendis, qvæ incidere poſſint fortuitis periculis, vel prævisis propulſandis, ſe abſente præſtarent, etiam atqve etiam hortatus eſt, id cum aliàs

ſponte

ſponte facturi eſſent, accendit tamen animos cari principis commendatio, etiam perſpecta in Haraldo imperandi prudentia, nec immatura ætas, ad annos nimirum XIX. procedens obſtabat. Ferè viginti habet auctor, nec ſibi ipſe conſtat, cum ante triennium unde viginti annorum prius eum dixerit, jam verò vigeſimum annum non completum agebat. Eadem æſtate, adulta tamen, (Eindridium enim navem in Norvegiâ parantem exſpectabant) ex Orcadibus qvindecim navium claſſe ſolvebat, his navium præfectis, Erlingo, Epiſcopo Vilhelmo, Aſlaco Erlendi filio, Guttormo, Magno Havardio, Sveino Hroaldio, Eindrido Jungio, & qvi eum ſeqvebantur. Ad Scotiam primùm, inde ad Angliam navigatum, Northumbriam tendentes, dum Oſtium fluminis Huetæ tranſeunt, Armodus poëta verſum etiamnum deſcriptum fecit, Angliam prætervecti ad Galliam deferuntur, nec qvos portus ſubiverint, aut qvas oras legerint, aut qvot diebus transmiſerint, ubive ſtativa habuerint deſcriptum eſt, qvidve actum priusqvam ad urbem maritimam, Narbonam deventum, qva verò in parte Galliæ hæc ſita, pariter neglectum, neq; Narbonenſis Galliæ cognominis urbs ut habeatur, Gallicia permittit, qvò poſtmodum ventum eſt. Præfuit ipſi Comes nomine Geirbiornus nuper fato functus, relicta unica filia virgine, nomine Ermingerde, tantarum opum herede, ætate nubili & forma ſpecioſa, hæc Comitis titulo, conſilio propinqvorum, nobiliſſimorum Principum provinciam teneba t, qvi ad gloriam ejus, nominisqve famam latius ſpargendam, ſvaſerunt, ut peregrinum magni nominis Principem, convivio qvàm ſplendidiſſimè exciperet, eum itaqve cum comitatu qvanto vellet invitandum curavit. Is exhibitum honorem, magna gratiarum actione proſecutus, ſelectiſſimos ſuorum ad epularum conſortium delegit, nullis ibi ſumtibus parcitum, maximo qvippe apparatu convivium inſtructum, nec à Comite qvicqvam, qvod ad magnificentiam ſuam declarandam, vicemq́, referendam faceret, intermiſſum, in complures dies convivium extractum eſt, horum uno ipſa virgo, magno nobiliſſimarum matronarum, virginumq́; comitatu ſtipata, triclinium ubi convivabantur, pretioſa veſte induta, ingreſſa, aurea lamina frontem exornans, promiſſa coma, more virginibus illo tempore ſolenni, ſpectabilis, manu pateram auream geſtans Comitem ſalutavit, vinum deinceps infundens, præludentibus virginibus, ei porrexit, ipſe paterâ manuqve ejus ſimul arreptâ, eam in ſede apud ſe collocavit, multaqve ea die cum ea confabulatus, carmen in honorem ejus fecit & cecinit. In ea urbe longo tempore, magno cum honore voluptateqve permanſit, ſvadentibus proceribus ut ſedem ibi figeret, haud obſcurè ſpem nuptiarum virginis ei oſtendentibus. Ille ſuſceptam peregrinationem ſe abſoluturum, deinde cum rediret, qvod ex re eſſet, facturum reſpondit. Inde diſcedens ad promontorium Thaneſiam verſus Orientem vela dabat, (hinc licet certus hujus urbis ſitus oſtendi neqveat, in Britannia tamen Armorica qværendus videtur, curſus enim ex iſtis Galliæ partibus in Orientem, niſi inde ad Ligerim & Pictaviam dirigi non poterat, promontorium Pictaviæ per Thraneſiam intellectum videtur), ibi ſecundo vento læti, poculis ſe exhilarantes, tribus carminibus memoriam Ermingerdis celebrabant, primum Comes, ſecundum Armodus, tertium Oddus fecit. His aliisqve cantiunculis nomen urbis juxta metri leges ita expreſſum apparet, ut de veritate ejus dubitari neqveat, nec ad lingvæ ſuæ genium, ut cætera omnia detortum cùm illam non ſapiat.

Deinde in Occidentem verſi, qvinqve diebus ante feſtum nativitatis Chriſti in Gallæciam claſſem appulerunt, ibi feſtum tranſacturi cibariorum forum venale ut præberetur, exercitui ſuſtentando poſtulant, grave ipſis, qvippe ſterilis terræ, nec tantæ multitudini ſuſtinendæ idoneæ incolis poſtulatum viſum eſt, abnuiſſentqve procul dubio, niſi & præſentem vim veriti eſſent, & ab aliis, qvi aſſiduè illos affligebant, ſe horum ope liberari poſſe credidiſſent, premebat enim eos vir alienigena, qvi caſtello admodum munito potitus, onera pro arbitrio ipſis imponebat vel minimùm abnuentes populationibus divexabat, nomen ei Gudfreir, vir bellicarum rerum longo uſu peritus, ſtrenuus & audax, multarum lingvarum, multa peregrinatione ſibi familiarium gnarus, cæterum avarus avaritiæqve vitio iniqvus, cujus ætas ad ſenium inclinabat.

nabat. Conditionem itaqve Comiti fecerunt nundinarum, qvadrageſimam usqve producendarum, ſi caſtello expugnato eos ſe hac ſervitute liberaturum polliceretur, lucro ſuo perinde ac periculo, neqve enim in communionem prædæ admitti poſtulabant, hæc cum Comes ſuis expoſuiſſet, ſinguli prædam licet cum periculo conjunctam anhelabant, imminente feſto cum incolæ ſegnius cibaria promerent, Comes de promiſſa fide eos dubitare animadvertens, convocatis navium præfectis, haud ultra differendum ratus, conſilia ſingulorum exqviſivit, ad expugnandum caſtellum idonea. primus Erlingus reſpondit, neqve ſe bello exercitatum, nec imperatoriarum artium peritum, rectius Eindridium conſuli, virum aſſvetudine principum, uſuqve & experientia talium rerum, ſe longè doctiorem, qvod qvamvis ita ſit, non tamen ad ignorantiam ſuam ſe turpe ſilentium adjuncturum, ſvadere itaqve ut ſinguli è proximâ ſilvâ tres ſarcinas lignorum excidant, exciſas ad murum deferant, idqve tribus continuis diebus, futurum ut multo igne calx diſſoluta diſſolvat qvoqve muri compagem. Omnium ſuffragio probato conſilio, ſtrues ingens lignorum congeritur, & jam feſtum incidit, cujus celebritatem violari Epiſcopus prohibuit. Debilior videtur fuiſſe caſtri princeps, qvàm ut hæc avertere poſſet, vel eruptione facta acervum disjicere, cuſtodibus militum vallatum, convocatis igitur militibus, diſcrimen imminens proponit, prudenti conſilio incendium murorum excogitatum, nec caſtellum igni ſuſtinendo, nec ſe Normannorum bello fortium, viribus pares, ut itaqve in medium conſulerent, poſtulat, cùm prudentiæ ejus omnes ſe committerent, per funes dimiſſus mendici habitu caſtra Comitis ingreditur, Galliceq; locutus, id enim maximè noverant, Gallum ſe profeſſus eſt, omnia caſtra pervagatus, Normannos in factiones diviſos, inter ſe diſſidere intellexit, alterius Comitem, alterius Eindridium ducem eſſe, hunc igitur acceſſit, miſſum ſe ab obſeſſo caſtelli duce referens, ut vitæ incolumitatem, ſi locus expugnaretur & occultum cum pretioſis, qvæ poſſideret, theſauris, aditum ad illum paciſceretur: has enim opes malit illum habere, qvam eos, qvi vitam ſibi eripere geſtirent. His occultè inter illos agitatis, aliqvantiſper in caſtris manſit, deinde ad ſuos rediit, cum autem de oppugnatione dubitarent, & ab incolis periculum certum immineret, res ſuas avehere non poterant. Decimo Feſti Jolenſis die, cœlo ſereno, ſignum claſſico datum, omnes ad oppugnationem convertit, admotæ tunc muris undiqve ſtrues, civisq; in certas claſſes copiæ, ſingulis loca, qvæ oppugnarent aſſignata, ad auſtrum Comes cum Orcadenſibus, occidentem Erlingus, Orientem Jon Pes & Guttormus ad aqvilonem Eindridius Jungius diſpoſiti mox ſtrues qvaqvaverſum incenſæ, qvibus ardentibus Comes, carmine raptim fuſo, memoriam Ermengerdis refricabat, eminus jaculis, cominus flammis caſtellani urgebantur, ipſi ſulfur picemqve in ſubeuntes dejicientes exiguo oppugnantium damno, nam neqve jaculantium tela propugnatores nec muri incendii vim ſuſtinebant, paſſimqve murus ruinis ſciſſus, oppugnantibus aditum præbebat. Privignus Comitis Sigmundus cognomento Aungull admodum juvenis, ſumma alacritate caſtellanos urgebat præcedens ſemper protegensqve Comitem. Cum oppugnatio aliqvantum tenuiſſet murorum defenſione omiſſa, omnes ſe intra eos receperunt. Ventus ab auſtro ſpirans fumum in ſtationem Eindridii devexit, ne verò flamma vento concitata, hoſtium jam victrix ſimul omnia depaſceret, prædaqve ſuos & operæ pretio fruſtraretur, frigidâ infusâ eam exſtingere aggreſſus eſt. Comes, qvò ſibi per refigerata ſaxa aditus ad hoſtes commodior pateret, interim ab oppugnatione ceſſatum. Exſtant tres verſus in memoriam Ermingerdis, qvorum duobus ipſe, tertio privignus ejus Sigmundus Aungull iſtam moram fallebant, inde ipſe, Aungule comitatus aliis ſubſeqventibus negotio haut arduo caſtellum ingreſſus eſt, multi caſtellanorum occiſi ſunt, alii deditione recepti, his fides ſanctè ſervata, præda ingens capta, ſed princeps aut pretioſiora ejus nusqvam inventa. ſtatim Eindridius ſuſpectus, fumi beneficio ad ſe digreſſo aditus in ſilvam permiſſi.

Exinde in Gallæcia mora amputata in Hiſpaniam ulteriorem, occidentem verſus itum, inqve ea parte qvæ Mauris paruit, ſæpius pugnatum, prædæqve magna

gna vis exacta, inter alia vicus qvidam, oppidanis resistentibus acriterqve præliantibus, tandem in fugam dilapsis, multis etiam occisis, direptus. Ermingerdis memoria novo versu à Comite celebrata, occiduum Hispaniæ latus legentes, qvod illi Svediubard suâ lingvâ appellabant ingenti tempestate per universum triduum detenti maximo cum periculo ad ancoras stabant, ventis qvalibet horâ naufragium minitantibus, solatus tunc suos Comes, versu memoriam virginis celebrante, qvibus cessantibus, secunda aura spirante, ad fretum Gaditanum plenis velis navigatum, recultatum iterum metricè Ermingerdis Oddi parvi versibus, cumqve fretum intrarent, qvod Normannorum lingvâ Niorsasund, seu Niorfii fretum appellatur, cantilena virginem ipse honorabat. Superatis freti angustiis Eindridius à societate Comitis se subducens, in Marsellam (olim Lilybæum) Siciliæ urbem transmisit, Comite ad fretum subsistente, tunc primùm apparuit fraus Eindridii in prædâ Gudfreyris intercipiendâ, id qvod ei post longum intervallum, cum Erlingus rerum in in Norvegia potiretur vitæ exitio stetit, inde Comes austrum versus per Africæ oras navigabat (Serkland appellant Africam nec semper solam, nam interdum Persiam interdum Assiriam, eadem notâ intelligunt) notata est etiam cantilena, qvam illo tempore Comes fecit. Qvid ulterius in hac profectione contigerit descriptum non est, prius qvam relicta à tergo Barbaria (qvam solam Serklandiæ nomine hic videntur intellexisse) prope Sardiniam, cœlo tranqvillo & caliginoso, ut vix extra navem oculis qvicqvam conspici posset, mane qvodam discussis tenebris, duæ insulæ in conspectum venerunt, qvarum alia mox disparuit, qvo ad Comitem relato, insularum (ait) ingentem speciem tantùm, non insulas vidistis, naves qvippe magnas, qvas hic oceanus ferre solet, Dromundos vocant, in diversa tendentes, alteram exortus ibi ventus oculis subtraxit. Hæc aliò cursum dirigit, mox convocato Episcopo, singulisq; navium præfectis, qværit, an oppugnandæ navis rationem norint, in primis Episcopi Erlingiq; consilia reqvisita, Episcopus id difficulter fieri respondit. Cum tanta esset navis altitudo, ut vix ad laterum fastigia securibus pertingerent, ipsi cum pice & sulfure affatim in capita corporaq; subeuntium injectis simul colluctaturi, dissvasit itaq; ut se suosq; in certum periculum, nulla victoriæ spe præcipitaret. Erlingus non se diffiteri, ait, qvin Episcopus imminens periculum sapienter præviderit, minus tamen futurum, si naves cominus Dromundo admoveantur, sic enim ictus gladiorum è superiori loco, telorumq; nimbum extra se casuros licere etiam, cùm liberet, ab iis discedere, neq; enim illos tantæ molis navigio se persequi posse, id consilium cùm Comes magnopere probaret, omnibus ut ad pugnam se accingerent edixit, si enim cum Christianis mercatoribus res esset, facile eos dimitti posse, sin (id qvod arbitraretur) Saraceni essent, largiturum Deum sibi adversus eos victoriam, qvinqvagesimam prædæ partem in pauperes se erogaturum vovit, his dictis, omnes arma expediunt, navesqve ad conflictum armant, qvibus Comes stationes certas in oppugnando dromundo ordinabat, remis ergo magna alacritate motis navem adoriuntur, id conspicati, qvi dromundum ducebant, conatum, ut vanum & temerarium, irridentes, byssum purpuramq; & alias res pretiosas, in latera navis injectas, magna cum vociferatione ostentant, provocatos se Comes ducesqve interpretabantur, sinistram puppis partem Comes, dextram Erlingus impetebat, Jon & Aslacus proram, eadem ratione, reliqvi mediam navem, ab utroq; latere myoparonibus cominus admotis, confertimq; junctis, adoriebantur tanta autem erat ejus altitudo, ut gladiorum nullus esset usus, sulfuris, ferventisq; picis copia ingens in Nordmannos effusa, magis qvàm ictus pugnatorum, nocuit, qvi extra subeuntes protendebatur, ita ut ab iis sibi cavere opus non esset, id qvod Erlingus etiam præsagivit. Cùm oppugnatio non procederet, Episcopus, abductis duabus navibus, iisqve sagittariorum peritissimis impositis, parùm nec extra teli jactum remotis, hostes eminus jaculis, tanto telorum nimbo lacessivit, ut nihil qvàm se protegere agere possent, nec impedire qvid reliqvi, qvi navem circumsistebant, molirentur, hac occasione imperat Comes ut dolabris navem, ubi ferro minus esset munita, perfringerent, mox ejus exemplo,

qvi in cœteris navibus erant idem machinabantur, Erlingo navem ſuam ad locum, ubi ancora à latere dromundi roſtro ſuſpenſa pendebat, applicante, proreta ejus Audun Rufus lignum qvod ei adhæſit aſcendens, aliis etiam qvotqvot locum ibi capere poterant ſibi adjunctis, nacti oportunam ſedem grandioribus foramina ictibus, qvam cœteri moliebantur, qvoad ſingulorum corporum capacia eſſent, navi per ſuperiora tabulata Erlingus, inferiora Comes ſe certatim ingerebant, cum in ſuperioribus conveniſſent, ingens pugna exorta eſt, Saracenis & inter eos Mauris, qvorum acerrimus impetus, ſumma ſe vi defendentibus, ibi Erlingus ingenti vulnere in cervice prope humeros ſauciatus, cùm ſegniter convaluiſſet, capite paullum inclinato, qvoad vixit inceſſit, Skackius id eſt diſtortus in poſterum exinde cognominatus, ubi autem Comes & Erlingus ſe conjunxerant, propugnatores in proram fugiebant, confluentibus deinde Comitis militibus, cum numero qvoqve ſuperarent, alacriter in hoſtes invecti, eos paſſim cædebant, inter cœteros eminebat vir formæ ſtaturæq; decore cæteros valdè præſtans, qvem principem eorum Nordmanni interpretati, Comes qvoqve occidi vetabat, teſtudine igitur clypeorum admotâ captus, in navem Epiſcopi cuſtodiendus defertur, cœterorum nemini parcitum, magna ibi ſpolia, interq; ea pretioſa cimelia congeſta, his abſolutis, cùm à tanto labore reſpirarent, Comes prælium iſtud duobus verſibus celebrat, inq; fine poſterioris, Ermingerdis laudes, interea de ſingulorum alacritate ſermo inſtitutus, cùm non conveniret, qvinam primus dromundum aſcendiſſet, res, judicio Comitis commiſſa eſt, qvi carmine facto, gloriam illam Auduni Rufo adjudicavit, cui omnes acqvieverunt, deinde navi jam exſpoliatæ faces injectæ, tum verò captivus ille colores mutare, varieq; affici, nec loco ſe continere, nec tamen vel voce, vel nutu, eis etiam rogatus, qvicqvam ſignificare, nec minis eorum vel promiſſis moveri, ut verò navis flammam latè conceperat, tanqvam igniti rivuli, in mare delabi viſi ſunt, tunc demum intellectum, ſpolia perfunctoriè qvæſita, metallum enim, ſive aurum fuerit ſive argentum, tum demum liqvefactum, mari immerſum, hominum poſſeſſioni, uſuiq; exemtum eſt. Inde in auſtrum ad Africam navigatum, pactisq; cum civitatis cujusdam civibus, ſeptem dierum induciis, commercia celebrata, argentum aliæq; merces emptæ, paſſim captivus venum expoſitus, neminem emtorem invenit, ſine pretio dimiſſus, qvinqve etiam Nordmannorum, qvo voluit comitatus deducitur, poſtera die magno comitatu rediens, principum ſe Africæ unum profeſſus eſt, indeq; cum nave, qvam cæperant, ſolviſſe, id autem ſe peſſimè habuiſſe, qvòd tantas opes incenderint, earumq; uſu homines privarint, poſſe qvidem vindictam de iis in præſens ſumere, rationem tamen beneficii habiturum, qvod non ſolùm ſibi peperciſſent, ſed etiam honoribus, qvibus poterant, affeciſſent, cœterùm optare, ne proinde convenirent, dictâq; ſalute ad ſuos digreſſus eſt, inde in Cretam navigatum, ubi cum ingenti tempeſtate conflictati ſunt, exſtat Armodi verſus, qvem ea nocte, dum excubias inter alios vigiles ageret, fecit, ibi tantiſper moræ indultum, dum faventes venti afflarent, qvibus ad votum ſpirantibus, Aſcalonem (Akursborg appellant, ut ſupra dictum eſt) mane primi qvadrageſimæ diei perventum eſt, magnaq; pompa, rerumq; in iis terris rararum oſtentatione, urbem ingreſſi ſunt, id qvod Thorbiornus Niger carmine celebravit, ibi dum morarentur, morbus epidemicus claſſem invaſit, inter multos etiam Thorbiornus Niger exſpiravit, cujus exſeqviæ ab Oddio Parvo carmine celebratæ ſunt.

Inde ad omnes Sanctæ terræ ſanctas urbes peregrinatio inſtituta, omnium in amne Jordane corpora abluta, Comes cum privigno ſuo Sigmundo Aungule, tranato flumine in terram conſcendit, ibi virgulta qvædam Palmariorum more cum magnis nodis implicâſſent, carmina ea de re duo Comes, Sigmundus unum fecit, qvo dies, qvod id geſtum eſt, feſtum nimirum divo Laurentio ſacrum proditur. Exſtat & verſus à Comite factus, cùm terrâ ſanctâ eadem æſtate exceſſerat, Conſtantinopolim navigaturus, per auctumnum ad urbem qvandam, Imbolum dictam delati (Imbrum fortè inſulam, maris Ægei ſitam inter Lemnum & Thraciæ Cherſoneſum

ſoneſum intelligit) ibi longo tempore ſubſtiterunt, anguſtæ erant plateæ, ideoq; ſolebant, qvibus intererat obviantes inclamare, ut cederent loco, (qva voce uſi ſunt Græci neſcio, hi ſua lingva *midhafvi* fortè μηδ' ἐσῃ, ne progrediaris eos ingeminâtie referunt, ſolebant autem ſingula ad ſuam lingvam aptare & detorqvere, ne ſignificatione qvidem obſervata, qvicqvid enim ſignificarent Græci vel etiam alii, ad illud lingvæ ſuæ vocabulum referebant, qvod ſonum proximè exprime.et, idem aliis gentibus, præſertim in propriis nominibus familiare eſt) hac voce cum Erlingo ad pontem ſero veſpere pergenti, valdè ebrio, obvii, ut locum ſibi daret, ſignificarent, ille verò audire ſe diſſimularet, adventu eorum è ponte deſiliens, pectore tenus luto inhæſit, qvem accurrentes ſui extractum, veſte exutum, nova induebant, id qvod Comes deinde faceto verſu cùm mane conveniſſent, proſecutus eſt, ubi obſervandum jam tum ante hanc peregrinationem, Regis Norvegiæ filiam Erlingum uxorem duxiſſe, qvod ex *hiſtoria Norvegica*, non pariter liqvet, hic tamen eodem verſu Regis affinem Erlingum appellat.

Evenit deinceps ut cùm nimis poti ſinguli ad naves pergerent, Jon Pes ſolus deſideraretur, mox miſſi, qvi eum reqvirerent (qvod tamen in terrâ per noctem non licuit) cum nullibi reperiretur, ſeqventis diei primo diluculo, juxta civitatis murum occiſus inventus eſt, nec qvi fecerit poſtea cognitum, amplo funere elatus, ad ſacram ædem humatus eſt, poſt exiguum tempus ad promontorium, qvod ab Ægæo mari Ægiſneſiam appellabant, iter promotum, exſpectatusqve dies aliqvot ventus claſſi trans pelagus Conſtantinopolim ferendæ idoneus. Magna cura navigatio illa ad pompam exemplo Regis Sigurdi Hieroſolymipetæ oſtentandam adornata, inter navigandum Comes ad gloriam Imperatoris, veliis remisq; declarandam carmine ſe ſuosq; alacriter invitavit, ipſe viciſſim ab Imperatore Manuele Comneno benignè exceptus, qvi liberaliter eos munerabat, oblatis inſuper ſtipendiis, ſi ſibi militare vellent ibi Eindridius, magno apud eum honore, Comitis res invidiâ, & qvod malè ſibi conſcius eſſet metu, coram Principe extenuabat, Væringis nihilominus valdè Comes Nordmanniq; accepti, qvam vocem plures infeliciter interpretati ſunt, (ut ex *Lexico Du Freſne* & *Hoffmanni* conſtat) pro exſulibus Anglo-Danis à Nordmannis expulſis, qvi obſeqvio Imperatorum Conſtantinopolitanorum, ſuum obſeqvium mancipaverint, cùm longè ante illa tempora, in hiſtoriis, eorum fiat mentio. Auctor incertus, qvi de profectione Danorum in terram Sanctam, nuper à *Kirkmanno* in lucem editus *Cap: XXVII* nobiliſſimos Curiales eos interpretatur. Erant enim ſtipatores Imperatorum, è qvibus robur militiæ maximam partem conſtitit, alii varias pro ſuo qvisq; ingenio nominis rationes adducunt, mihi, ipſi, ſibi primi id nomen indidiſſe videntur, à *Var*, qvod nos ſignificat, qvaſi noſtrates, populares, qvo nomine ſeptemtrionales omnes, Germani etiam & Angli iſtis in locis à Græcis & Aſiaticis ſe diſtinxiſſe exiſtimo, ſed de his, differendi hic nullus eſt locus. Ibi cum in multam hiemem manſiſſet, in occidentem velis verſis, Dyrrachium celebrem Macedoniæ urbem (qvam ſua lingva Dyraksborg appellant. Hodie *Durazzo*) pervenerunt, tranſmiſſoq; ſinu Adriatico, Apuliam, ibi Comes ipſe cum Epiſcopo & Erlingo, nec non potiſſima parte militum relictis navibus, eqvos comparabat, terreſtriq; itinere Romam, inde compendioſiſſima via in Daniam profecti, mox Norvegiam repetentes, omnibus exoptati redibant, adeoq; celebris expeditio iſthæc viſa eſt, ut ſinguli poſtea in majore honore eſſent, qvàm antea fuerunt. Interea frater Erlingi Augmundus cognomento *Dreingur* (id qvod mercenarium ſervum, ſimul etiam bonum ſtrenuumq; virum denotat) in fata ceſſit, Erlingo dum ſimul eſſet prælatus. Poſt aliqvot annos cæſo Rege Norvegiæ, Ingio, à factione, qvæ eum ſecuta eſt, Magno Erlingi filio Norvegiæ Regè ſub patris tutelâ creato, ipſe qvoq; à *Valdimaro Daniæ Rege* ad Comitis dignitatem evectus magni nominis auctoritatisq; Princeps evaſit.

Eindridius aliqvot annis poſt reditum Comitis, in patriam redux, cum Erlingi iram, meritorum ſuorum conſcientiâ, vereretur, Regis Eyſteinis factioni ſe adjunxit;

junxit, qvo cæso, cum Sigurdo Hallvardi Hauldi de Reyre filio ſocietate facta, Haconem Sigurdi Bronchi filium cognomento Humeroſum ad Regium faſtigium cum ſimul ſuſtuliſſent, Regem Ingium & Gregorium Daginum occiderunt, poſtea cum Erlingo ad locum Seck dictum prælio facto occubuit Hacon, Eindridius fugâ evaſit, juſſu deinde Erlingi, poſt aliqvod intervallum occiſus eſt. Comes Rognvaldus in Hordia per æſtatem diu moratus, cognito in Orcadibus ſe abſente magnos motus exortos, optimatibus in factiones diſtractis, Haraldo & Erlendo Comitibus, de imperio dimicantibus, eorum levitatum perfidiamq; eleganti verſu traduxit, navium defectu præter voluntatem detentus, plures longas per amicos faciendas curavit, qvæ cùm illo anno confici non poſſent, onerariâ Iſlandicâ, qvam poſſidebat vir gentis illius genere nobilis, Dhorkallus Aſgrimi filius, tractus auſtralis præfecturæ Arneſenſis, Parœciæ, à ſede Epiſcopali *Biskups tungæ* dictæ incola, magno delectoq; ſatellitio ſtipatus in Scotiam initio hiemis, portumq; Torfneſiæ devenit, ſub feſtum Jolenſe in Orcades delatus.

CAP: XXXII.

Exponuntur, qvæ in abſentiâ Rognvaldi in Orcadibus geſta ſunt, ut Eiſteinus Norvegiæ Rex expeditionem in Occidentem movens, Comitem Haraldum ex improviſo capit, eiqve pretium liberationis expreſſit, inde partes Scotiæ Angliaqve ſpoliavit. Erlendus Comitis Haraldi Svaviloqvi filius, Comes à Rege Scotiæ creatur, Orcadum partem repetit à Comite Haraldo, in Norvegiam proficiſcitur, partem Comitis Haraldi à Regibus impetrat, inter Comitem Haraldum & Sveinum Aſleifis filium inimicitiæ ob ſtupratam à fratre ejus Comitis matrem. Sveinus Comiti Erlendo è Norvegiâ redeunti ægrè reconciliatur, ejus deinde partes fideliter ſecutus, Comitem Haraldum improvisò oppugnat, & ut parte comitatus Erlendo cedat adigit, fidemqve juramento obligat, qvâ deinde violatâ Comitem Erlendum adoritur, Anakolis fratrem capit, qvi dolo fratris aliis in ejus locum captis permutatione redimitur, Comes Haraldus Erlendum Jungium, qvi ipſo invito matrem ejus in Hialtlandiam abduxit, obſidet, mox data in matrimonium matre cum eo paciſcitur, Comes Sveinus & Erlendus piraticam aggrediuntur, perſecutores effugiunt, Regis Scotiæ rara in Sveinum gratia, liberalitas & favor.

Jam eà enarrabo, qvæ in Orcadibus dum peregrinaretur Rognvaldus, geſta ſunt. Eodem anno, qvo Orcadibus ſolvit, Eiſteinus Haraldi Gillii filius Norvegiæ Rex magna claſſe copiisq; ad Rinarſeyam appulit, ubi cùm cognoſceret Haraldum Maddadium nave viginti loculorum, cum octoginta comitum ſatellitio in Cataneſiam profectum, mox tribus lembis, tranſmiſſo ſinu Pictico, ſecurum & nihil tale cogitantem, in oppido Thorsâ, occupatâ nave, comprehendi, ſibiq; ſiſti curavit

curavit, trium (aliis ſeptem) auri marcarum ſolutione, poſtqvam ſe feudum ipſius beneficio in poſterum recogniturum juramento promiſiſſet, dimiſſus eſt, inde Eiſteinus Aberdoniani, emporium Scotiæ celebre, trajecit, qvo exſpoliato, manus cum eqvitum turmis ad locum Hiortapoll, (Hartipol) auſtrum versùs conſeruit, iisq; fugatis aliqvot naves occupat, in Angliam deinde infeſtâ claſſe directâ, tribus prœliis, totidem victorias reportavit, primum ad oppidum Hvitabæas geſtum, urbis incendio finitum, aliud ad Scarpasker, adversùs eqveſtres copias, tertium in ſinu Pilavika. Plura etiam geſſiſſe perhibetur, nam memorabile oppidum Langatun, in cineres redegiſſe (*Chronica Gvith: Thorne pag: 1796* Langedon appellant) ita ut poſtea priſtinum ſtatum nunqvam recuperaverit, membrana, qvam ſeqvor, tradit, tribusqve verſibus Einaris Sculini Eyſteini ipſius poëtæ ſimul confirmat. Eodem autumno in Norvegiam rediit, & qvamvis titulum ultionis abavi ſui Haraldi imperioſi, ante plus minus centum annos in Angliâ trucidati, expeditioni prætenderit, variis tamen hominum judiciis excepta eſt. Hoc tempore Stephanus Angliæ ſceptra tenuiſſe perhibetur, eodemq; anno Rex Scotiæ David deceſſiſſe, ſubſtitutus in ejus locum nepos Melcolfus, ætate impuberi, qvi annus *Buchanano* MCLIII. habetur, qvo tempore Maddadus Comitis Haraldi pater in fata conceſſit, mater autem Margareta, mulier formâ conſpicuâ, ingenio acri & ſagaci in Orcades conceſſit. Poſt mortem Comitis Ottaris, Erlendus Haraldi Svaviloqvi filius, maximam partem Thorſa remanſit, interdum in Hæbudis, aut etiam piraticis exercitiis diſtinebatur, adoleſcens magnæ ſpei, multisq; virtutibus conſpicuus, alloqvio blandus & facilis, liberalisq; & qvi libenter conſilia prudentiâ ſeqveretur, hinc ſatellitibus ſuis militibusq; acceptus, qvorum magnum numerum circa ſe habuit, verùm à conſiliis intimis nutricium ſuum Anakolem, virum familiæ nobilitate, potentiaq; clarum, manu qvoq; promptum & rebus gerendis ſtrenuum, hic dum in peregrinatione Hieroſolymitanâ Comes Rognvaldus verſaretur, à Melcolfo Scotiæ rege Comitis dignitatem, dimidiamq; Cataneſiam, eodem jure, qvo pater ejus Haraldus beneficio Scotiæ Regum impetravit, qvòd potentes amici propinqviq;, qvorum numero abundabat, pro eo anniterentur. Rexq; ætate eſſet tenerâ, dimidia Cataneſia Haraldo permiſſa, eò igitur ad amicos cum Erlendus conceſſiſſet, cum copiis in Orcades transmiſit, poſtulans ab Haraldo patrimonium ſibi reſtitui, qvi cum majori exercitu ſe muniviſſet, poſtulata abnuit, proceres ad eos conciliandos converſi, media parte ut Haraldus cederet, urgebant, qvod cùm is pariter negaret, in annum induciæ factæ ſunt, ea lege, ut ſi interea Erlendus in Norvegiam profici ceretur, partemq; Comitis Rognvaldi in clientelam à Regibus impetraret, Haraldus qvoq; cederet, eò igitur Erlendus trajecit, relicto domi Anakole cum parte militiæ. Inter Comitem Haraldum & Sveinum Aſleifis filium, inimicitiæ exortæ ſunt, qvod Gunnium Olafi filium, fratrem Sveini, ob ſtupratam matrem ſuam Margaretam, ſuſceptosq; ex eâ liberos finibus imperii ſui Comes proſcripſiſſet, qvem Sveinus in Liodhuſam, ad amicum Liotholfum, ad qvem ipſe prius diverterat, ablegavit, qvamvis ipſius Liotholfi filium nomine Fuglem, qvod in aula Haraldi Comitis eſſet, in inimicorum numero haberet. Erlendo Norvegiam petente, Haraldus in Cataneſiam profectus, hiemem in Vika exegit, Eodem tempore Sveinus in Cataneſiæ Thraſvika reſedit, agris privignorum ſuorum curandis intentus, nam ex prima uxore Rognhilde Ingimundi filia, (qvorum conjugium breve erat) Olafum filium, ex poſteriore Ingiride Thorkelis filia Andream ſuſcepit.

Feriâ qvartâ hebdomadis qvadrageſimæ ultimæ cùm Lambaburgum cum modico comitatu aſcenderet, conſpectum in ſinu Pictico lembum, cenſum Comitis Haraldi ex Hialtlandia vehentem adortus, omnem diripuit, vectoribus in terram expoſitis, qvo cognito per hebdomadem Paſchatis, ſingulis inter ruſticos manſiones alimentaq; Comes diſtribuit, dictitans alternis ſibi Sveinoq; opes affluxuras, qvâ elapsâ Sveinus lembo & oneraria nave in Orcades tranſvectus, prope iſthmum Skalpeid Fuglem Liotholfi filium Liodhuſa patris domicilio ad Comitem Haraldum contendentem, nave, Sigurdum qvoq; Klaufium Comitis Haraldi villicum eodem

itinere duodecim unciis aurii (aura) qvod Kyrkiuvogo in ejus ædes ſecuritatis forte majoris gratiâ deportatum erat, ſpoliavit, inde in Scotiam converſus Ardurnæ (Ardurnes fortè in Strathnaverna Scotiæ provincia, Ardion Scriptor habet) Regem Melcolmum ibidem morantem, puerum novem annorum adiit, magnaq; cum benevolentia, ſuſceptus, integrum menſem apud eum remanſit, juſſus omnibus privilegiis bonisq; qvæ ante contractam Haraldi Comitis offenſam in Cataneſia tenuiſſet, in poſterum frui. Inde liberaliter à Rege dimiſſus, naves conſcendit, in Orcades navigaturus. Eodem tempore Anakol in Dyrneſia conſtitutus Sveinum Orientem versùs Mulam navigantem conſpexit, miſſo igitur Gautio, qvi in Skeggbiarnaſtadis habitabat, petivit, ut cum Fugle ob ereptam navem paciſceretur. Erant enim Fugl & Anakol ſangvine juncti. Locus conventui Sandeya electus, haut ſecus qvàm promiſit, comparuit Sveinus, Fugliq; non pro ejus, ſed ſuo arbitrio ſatisfecit. Exinde Anakol Sveini factioni ſe adjecit, pollicitus eum Comiti Erlendo reconciliaturum, magnis enim inimicitiis inter ſe diſſidebant, ob incenſam Frakaurkem, aviæ Comitis ſororem, ſimul in Strionseyam, ubi Thorfinnus Beſſinus, cui Ingigerdis Sveini ſoror repudiata à Thorbiotno Klerko, deinceps nupſit, habitabat, profecti, dum in portu qvodam aliqvot dies morarentur, ad promontorium Hofneſiam Comitem Erlendum ab alto navigantem agnoſcunt, cui Anakol & Thorfinnus obviam ſine morâ euntes adventum enixè gratulantes, agunt, de pacificatione cum Sveino. Abnuit Comes familiæ ſuæ inimicum ſemper, deinde fœdifragum pronuncians, utpote qvi promiſiſſet Comiti Ottari ſibi auxilio futurum, ad paternam ditionem recuperandam, nec tamen præſtitiſſet, tum Sveinus fortè præſens auxilio ſe futurum denuò promiſit, protinusq; partes ejus ſecuturum, univerſa dies inſumta eſt, irrito ſtudio, ni Anakol & Thorfinnus minati eſſent, ſe Sveinum Orcadibus exſulem ſecuturos, ne verò tanta vis hoſtibus accreſceret, Sveinus in amicitiam receptus eſt, tum demum Erlendus expoſuit, partem illam comitatus Orcadenſis, qvam Comes Haraldus poſſideret, ſibi beneficio Eiſteini Regis conceſſam, ſvaſit igitur Sveinus, ut horum famam ipſi prævenirent, accedentesq; Comitem Haraldum, ditione ut cederet, juſſu Regis Eyſteini, poſtularent. Ad Kiarekſtadas claſſe excubantem; feſti Michaëlis veſpere, nihil tale opinantem deprehendunt, qvi nave longâ conſpectâ, attonitus, cum univerſo ſatellitio prætoria exiliens in caſtellum evaſit. In Arnio qvodam Rafni filio, panicus terror notatus eſt, qvi è nave ſe proripiens, cum Kirkiuvogum curſu propero delatus eſſet, clypeum humeris geſtare ſe neſcivit, priusqvam poſtibus implicitus per fores introire neqvibat. Erlendus & Sveinus navibus excedentes, caſtellum igne ferroq; oppugnabant, Haraldo ſe acerrimè defendente, expugnaſſentq; ni nox eos dirimiſſet, illiq; paullo diutiùs in oppugnatione perſeveraſſent. Multi ex utraq; parte vulnerati ſunt, ſeqvente die per cives & utriusq; amicos de pace actum, qvæ licet ab Erlendo & Sveino, qvorum partes potiores, ægrè admitteretur, coaluit tamen, cùm Haraldus comitatus partem, qvæ ſua erat, dederet, ſacramento pollicitus, nunqvam poſtea ab eo reqviſiturum, teſtes juramento, Orcadum optimates adhibiti. Mox Haraldus in Cataneſiam, inde ulterius in Scotiam, ad amicos, paucis Orcadenſium comitatus receſſit, Erlendus indicto foro, ad qvod freqventes omnium inſularum incolæ convenerunt, inſtrumentis ab Eiſteino Rege acceptis, publicè exhibitis, promulgatisq;, cum jus ſuum in Orcades vi inveſtituræ omnibus monſtraſſet, Sveino amicis familiaribusq; ſuis annitentibus, partesq; ejus propugnantibus, omnium conſenſu univerſas inſulas, dicto audientes habuit. Adjectâ tamen conditione, Comitem Rognvaldum parte ſibi debita, cum rediret, prohiberet, plus poſtulanti omnes ſe opponerent. Erlendumq; ſummo ſtudio viribusq; tuerentur, verùm Sveinus nihilo ſecurior, nec à Comite uſqvam diſceſſit, nec monere deſtitit, ut ſedulò ſibi caveret, nec nimium Haraldo, qvantumvis jurato, aut Scotis crederet. Plurimum auctumni in navibus transactum, inqviſitumq; per aſſiduos exploratores in conſilia actaq. Comitis Haraldi. Appropinqvante feſto Jolenſi, cùm tempeſtates incumbere cæpiſſent, Sveinus domum in Garekseyam profectus, Comitem, ne ſe abſente minùs ſecurus eſſet, hortatus,

tatus, ut consiliis pareret, nec festo Jolensi solenniter celebrando ullum in insulis locum eligeret, verùm singulis noctibus in navibus acqviescceret, permovit. Undecimo festi Jolensis die, cùm Sveinus in Garekseya cum domesticis suis potaret, naribus manu pressis, eqvidem inqvit Comitem Haraldum jam in itinere esse, Orcadesq; petere existimem, id cùm illi ut impossibile tanta tempestate judicarent, ita qvidem videri respondit, nec se propter meram suspicionem nuncium Erlendo facturum, licet valdè verendum ne opus esset, missoq; hoc sermone, ut antea potatum.

Tempore Jolensi Haraldus qvatuor navibus, & centum classiariis in Orcades profectus, duas noctes ad Garekseyam constitit, portu deinde Hasnarvogo in Rosseya capto, decimo tertio festi Jolensis die pedestri itinere sinum petebat, festi parte in *Orcahaugs* (villæ id nomen videtur, denotat autem tumulum Orcii seu Orcadis, unde forte Orcades nomen contraxerunt, ut in limine dictum) prius exacta, ubi cum duo Comites eorum insanirent, remora injecta itineri est, cùm in sinum pervenirent nox præteriit, at Comes Erlendus, qvamvis pridie in terra potasset, noctem tamen in nave qvievit, duos ejus Comites, qvi in villâ remanebant, Haraldus occidit, alter Ketill vocabatur, alterius nomen omissum est, capti Arnfinnus Anakolis frater & alter nomine Liotholfus, alii item duo, mox Haraldus cum Thorbiorno Klerko Thorsa rediit, fratres autem Benedictus & Biornus Haraldi satellites, Lambaburgum petebant, Arnfinno Anakolis fratre captivo abducto. Eadem nocte qva Comes Erlendus, motum ab Haraldo, concitatum cognovit, Sveinum de ea re certiorem fecit, qvi expeditis navibus sine morâ adfuit, inqve multam hiemem in navibus simul excubabant. Benedictus & Eiricus pretium liberationis pro Arnfinno poscebant. navem, qvam Comes Erlendus iis ante Kiarakstadas stantem eripuit, cùm consensurus esset Comes, disvasit frater ejus Anakol, ratus minori pretio posse liberari. Die Mercurii, qvi qvadragesimam præcessit, ipse & Thorsteinus Ragnæ filius assumptis viginti Comitibus, lembo in Catanesiam de nocte vecti, navem in occulto sinu, sub prominentibus jugis, se verò in specubus prope Thrasvikam absconderunt, in transitris autem trunci, speciem dormientium præterreuntibus præbentes, dispositi, suspicionem fraudis, qvi mane ejus diei navem conspiciebant, demserunt. Interim Anakol, remiges extra civitatem, ad Ostium amnis nave appellentes observavit, duos etiam è civitate, eqvitem alium, alium peditem, procedentes, suis igitur bifariam divisis, decem secundùm amnem ad eripiendam iis navem procedere, totidem oppidum ingredi jubet. Eiricus paullo ante domum redux cubile petebat, ibi armatorum sono territus, elapsus per alias fores, navem cursu petebat, ubi in decem illos incidit, qvi ad usum navis intercipiendum missi sunt, mox captus, inq. Orcades ad Comitem deductus permutatione Arnfinni postliminio rediit. Proximo vere Comes Haraldus è Catanesia in Hialtlandiam movet, occisurus Erlingum Jungium qvod matrem suam, cujus nuptias suo consensu non impetrabat, se invito ex Orcadibus in Hialtlandiam devexerat, occupatoq; Moseyarburgo, munito castro præparatisq; omnibus ab obsidionem ferendam idoneis, obsesso castro, subvectiones impedivit, fame ad deditionem compelli posse existimans, qvod cùm ex animi sententia non procederet, protraherenturq; obsidio, Erlendus per communes amicos petivit, ut matrem sibi nuptum daret, malletq; se amicum habere, qvam inimicum, consideraret, de Imperio cum potentibus hostibus certandum, ideoq; amicis adhuc indigere, qvanto plures inimicos habeat, tanto hostium res accessione eorum firmiores fore, fidelem à se operam exspectandam, si affinitatem non aspernaretur, haut absurda suggessisse videbatur Erlendus, itaqve ratione status præsentis habitâ, matrem ei Comes elocavit, inq; societatem receptum Comitem in Norvegiam accivit. Hisce in Orcades relatis, absentia ejus securior Erlendus, svasu Sveini una cum illo piraticam aggredi cœpit Orientalis Scotiæ oræ, sinusq; Breidafiordus (sive latus sinus) latrociniis fœdata, inde in austrum, Bervikam usq. itum, ibi Knutus à divitiis Opulentus dictus, mercator celebris habitabat, cui Sveinus magnam navem onerariam, capta simul uxore, qvæ,

ea vehebatur, eripuit, deinde in auſtrum ad Bliholmum navigabat. Bervikæ erat Cnutus cum hæc reſciſceret, centumq; marcis argenti cives Bervikenſes ad perſeqvendos hoſtes conduxit, qvatuordecim naves expeditæ, vectorum plurimi mercatores. Sub Bliholmo Comitis Sveiniq; naves ad ancoras ſtabant, cùm Sveinus per veſperam naves præter morem, velari vetuit, prædicens Bervikenſes eadem nocte cum valida manu adfuturos, id frigido præſertim cœlo, cùm cœteri detrectarent, ſolius Sveini navis poſterior pars malum usqve patuit, ipſe penulam gavſapinam amictus, arculæ inſidebat, paratum ſe in omnem eventum dictitans, fuit inter nautas ejus vir qvidam Einar cognomento Skeifus, is fruſtra ait fortitudinem Sveini ſupra aliorum hominum celebrari, cùm velis integere navim in præſens non audeat. Excubiæ in inſulâ agebantur, ibi vigiles inter ſe diffidentes, cùm Sveinus animadverteret, eam ipſe conſcendit, cognitoq; inter illos, qvid appareret, non convenire, primus qvatuordecim naves aqvilone navigantes, oculis conjecit, erat enim qvovis alio oculatior, juſſis itaqve cuſtodibus, ut ſuæ qvisqve navis rectoribus de imminentibus hoſtibus, ſimul ut vela tollerent, indicarent, mox mutuo clamore ſe invicem, plures autem Sveinum conſulebant, ipſe ſilentio imperato, naves inter inſulam & continentem deduci, ibiq; occultari ſvaſit, ſi enim hoſtes ſe non obſervarent præterituros, evitatumq; periculum, ſin obſervarentur, citato remigio, in eos impetum ut facerent. Ductoribus aliis cum diſpliceret conſilium, fuga prælata, itaq; auctore Sveino altum petitum, cùm metus omnia acceleraret, ſinguli ſe protinus expediebant, ſegnior Sveinus moras de induſtria nectens Anakolem exſpectabat, etiam cùm celeritate navis longiùs provehebatur, ne ſolus eſſet, in ejus gratiam vela contraxit, verùm anteqvam contraxiſſet, Einar Skeifus à Sveino qværit, navis ne moveretur, tum Sveinus, fortitudinem meam in poſterum ne ſugilles, cùm præ metu currentem navem à ſtante non diſcernas, hanc præſertim omnium celerrimam, deniqve ad inſulam Moſeyam curſus directus, inde Sveinus nuncios Edingburgum ad Regem, qvi de exſpoliato Knuto eum certiorem facerent, miſit. Qvi prius qvam urbem ingrederentur, duodecim eqvites obviam habuerunt, ſaccos argento plenos portantes, ubi Sveinus eſſet rogantes, ſibi enim relatum captum eum detineri, ſe autem cum iſto argento ad eum liberandum à Rege miſſos, Rex cognito ſalvum eſſe, clypeum prætioſum aliaq; munera ad eum miſit, jactura Cnuti inſuper habita. Eodem auctumno Sveinus cum Comite Erlendo domum revertit. Cùm per æſtatem Comes Haraldus in Norvegiam conceſſiſſet, Rognvaldus qvoq; cum Erlingo Skackio ab itinere Orientali Norvegiam, & imminente natali Chriſti Feſto in Orcades rediit.

CAP: XXXIII.

Comes Rognvaldus fœdus cum Comite Erlendo contra Comitem Haraldum facit, indeq; mox reſiliens Haraldo ſe jungit, perſvaſus cum Erlendo ſalva pietate pactionem contra Haraldum inſtitui non potuiſſe. Rognvaldi Comites tredecim Thorbiornus Klerkus occidit, ipſum vulnerat. Rognvaldum & Haraldum in Orcades moventes, Erlendus & Sveinus fugiunt, qvi poſtea de improviſo in Orcades delati, Comitem utrumq; claſſe vecturaq; univerſa ſpoliant, magnamq; ſtragem faciunt, Comites agrè evadunt, qvi poſtea qvoq; de improviſo infuſi, Comitem Erlendum occidunt, ejus militibus parcitur.

Reditu

Reditu Rognvaldi cognito, Erlendus cum proceribus egit, ut qvæ fœdera ſecum iniiſſent, ex tam longâ peregrinatione nunc ad ſuos revertenti exponerent, conſenſuqve ejus firmarent, qvi ſummo ſtudio annixi effecerunt, ut conventus Kirkiuvogi ad decimas Kalendas Januarii indiceretur. Convenit, ut inſulis ex æqvis partibus inter ſe diviſis, reditus pro ſua qvisq; parte obtineret, junctisq; viribus Comitem Haraldum, aut qvemcunq; alium impetentem arcerent. Fides ultro citroq; data, mutuoq; jurisjurandi religione ſtabilita. Claſſe egebat Rognvaldus, inq; proximam æſtatem naves è Norvegiâ exſpectabat: ergo per hiemem nihil motum. Seqventi vere poſt conſilia de reſiſtendo Haraldo agitata, Erlendus in Hialtlandiam ad eum excipiendum, ſi forte eò appelleret, conceſſit, Rognvaldus in Cataneſiæ oppidum Thorſa, ubi plurima Haraldo à familiaribus propinqvisq; auxilii ſpes. Cùm maximam æſtatis partem Comes Erlendus & Sveinus in Hialtlandia tererent nec interea per intermeantes naves fama de iis qvicqvam in Norvegiam deferret, Haraldus horum ignarus, ſeptem navibus pelago commiſſis qvatuor tantum in Orcades adduxit: tres tempeſtatibus in Hialtlandiam pulſæ, in poteſtatem Erlendi devenêre. Ut verò fœdera inter Rognvaldum & Erlendum cognovit, ſeq; ab Orcadum poſſeſſione excluſum animadvertit, nec utriqve reſiſtendo parem, Rognvaldum ſibi priùs conciliandum ſtatuit, Thorſa profectus, eum in Sudurlandia nuptias filiæ ſuæ Ingiridis cùm Eirico Slagbrellere celebrantem audivit. Interea Erlendus & Sveinus in Hialtlandia morati, cognito Comitis Haraldi in Orcades adventu, eum cum inſtructa claſſe, absqve mora ſimul navigantes, perſeqvuntur. Verùm æſtu maris tempeſtate concitati, medio pelago ab invicem ſeparati, Comes in Sandeyam tribus navibus appulit: Sveinus ad Fridareyam duodecim repulſus, poſtea ad Comitẽ Erlendum in Sandeyam, qvem periiſſe exiſtimabat, delatus eſt, ubi mutuo gaudio ſe invicem exceperunt. Vix Haraldus ad urbem Thorſa pervenit, cùm nuncius adventum ejus in Bervikam, (villa fortè in Sudurlandiâ ita appellatur) detulit: eò igitur Rognvaldus cum eqvitum valida manu rediit. Multus in iis reconciliandis Eiricus Rognvaldi gener & Haraldi propinqvus, varias, easq; prægnantes cauſſas, qvæ non ſinerent eos à ſe invicem divelli, operosè repetebat. Sangvinis propinqvitatem, diuturnæ ſocietatis ſancta fœdera, mutuaq; inter nutricium & alumnum officia, tanto nexu devinctos, ſi hoſtilia inter ſe agitarent, divino humanoq; juri vim facturos qveſtus, obtinuit, ut ſecuritate ultro citroq; datâ, uterqve in caſtello qvodam urbis Thorſa convenirent, & remotis arbitris colloqverentur, pari militum numero, foris utrumq; ſtipante. Diu collocuti ſunt: neq; enim priùs inter ſe ſalutabant, poſtqvam Rognvaldus rediit. Ad pacificationem omnia ſpectabant, cùm adulto die nunciatum eſt, copias Haraldi armatas adventare: id qvamvis ille fraudi futurum negaret, mox tamen extra caſtellum tumultus, gladiorumq; ſonitus auditus, terroris aliqvantum incuſſit. Comites citiſſimè egreſſi Thorbiornum Klerkum cum manipulo militum, qvi ſtatim ſatellites Rognvaldi invaſit, vulneribusq; affecit, agnoſcunt, ut abſtineret, neqvicqvam vociferantes, donec tandem intercurſu civium urbanorum dirimebantur. Tredecim Comitis Rognvaldi domeſtici occiſi, qvi & ipſe in facie vulneratus. Mox, interponentibus ſe amicis, fœdus priſtinum inter eos renovatum, novaq; ſocietas, ſponſione & juramento ſancita, proculcatâ prioris juramenti fideiq; Erlendo ab utroqve recens datæ religione, qvò fiducia prioris amicitiæ ſecurum faciliùs de improviſo opprimerent, tanqvam de cumulatâ perjuriis cœde triumphaturi. Eadem nocte in Orcades decem navibus profecti, adq; Rinarseyam delati, capto portu Videvago in terram conſcendunt. Interea Erlendus & Sveinus cum claſſe ad Bardvikam conſidentes, multitudine hominum in Rinarseya conſpectâ, per exploratores de fœderibus inter Comites renovatis, propoſitoq; ſe commeatu excludendi certiores fiunt. Igitur Erlendus, reqviſitis militum conſiliis cùm ſinguli Sveini voluntatem explorandam ſtatuerent, ipſe qvoqve eum conſuluit, qvi invaſit, ut Cataneſiam eadem nocte repeteret, qvòd vires ad decernendum cum utroqve ſimul deficerent, prætexeretq; decretum in Hæbudis hiemandi. Veſpere, qvi feſtum Sancti Michaëlis præceſſit, trajecto ſinu Pictico, armenta pecudesq; in Ca-

taneſiâ diripiunt, navibusq; imponunt. Venti tempeſtatesq; diu invium ſinum fecerunt, qvibus deſidentibus, Svenus virum qvendam, qvi in Orcades referret, abrepta è Cataneſia armenta, Comitemq; & Sveinum jam paratos, iter in Hæbudas moliri, nec præter ventos, qvicqvam eos morari, ſubornat. His cognitis Rognvaldus, domeſtico conventu habito, monuit, ut ſinguli ſibi qvàm accuratiſſimè caverent: agnoſcere ſe dolos Sveini ideò, ut hoſtes deciperet, excogitatos: qvò enim remotius ſe profecturum ſimularet, eò propius celeriusq; acceſſurum. Prima hieme ſex longis navibus, iisq; magnis Thorſa in occidentem circa Scotiam Erlendus & Sveinus curſum, adverſis ventis, obnixi dirigunt, id cùm Comites cognoviſſent, naves ſuas ad iſthmum Scalpeidenſem applicant, ſvadente Rognvaldo, ut in navibus nihilominus aliqvod tempus excubarent. Cùm Sveinus in Occidentem ad locum, Staurem dictum, perveniſſet, negabat ſe ultra nautas remis fatigaturum, ventisq; vela dare juſſit: id, qvantumvis periculoſum, ejus tamen auctoritate proceſſit. Secundis ventis propero curſu in Orcadum Vagalandiam delati, cognoſcunt Comites & Eiricum Slagbrellerem, multosq; proceres ad iſthmum Skalpeidenſem in Knarraſtadis, qvatuordecim navibus inſtructos conſidere, Thorbiornum qvoq; Klerkum in Papuleyam ad Haconem Karl affinem ſuum profectum. Comites ergo eadem nocte oppugnandos Sveinus cenſuit. Id qvamvis pleriqve diſſvaderent, tamen probante Comite Erlendo, conſilium aliorum etiam ſuffragia meruit. Hæc octavo Kalendas Novembris geſta ſunt. Nix pluviæ mixta eadem nocte cœlo decidit, cùm Comes Rognvaldus ſex ſuorum comitatus, ad villam ſuam Orfioram, omnium ſecurus imbre perſeverante profectus eſt. Via per Knarraſtados ferebat, habitabat ibi vir natione Iſlandus, Botolfus Begla, melioris notæ Poëta, qvi Comite multis verbis, ut ibi pernoctaret, exorato, & detractis veſtibus in lecto collocato, ipſe imperatas ſibi excubias egit. Eadem nocte Erlendus & Sveinus Comiti Haraldo adeò improviſi ſuperveniunt, ut tùm primùm excitaretur, cùm claſſicum intonuit. Arreptis itaqve armis, ſinguli maſculè ſe defendebant: in prætoriâ nave, usqve qvinqve omnes cæſi, Comesq, Haraldus in terram, ægrè qvidem evaſit. Inter cæſos præcipuus erat Biarnius Erlendi Jungi frater, vir inſignis, centumq, alios ferrum abſumſit, complures vulnerati, qvi evaſerunt, fugâ in terram dilapſi: paucos Erlendus de ſuis deſiderabat. Navium, qvæ Comitum erant, numero qvatuordecim, ſingulæ cum inſtrumentis & univerſa vectura, interceptæ. His peractis certiores facti, Comitem Rognvaldum eodem veſpere Knarraſtados petiviſſe, ad eum comprehendendum accurrentes, Botolfum ante fores ſtantem, ibi ne eſſet rogant: ille humaniter priùs ſalutatis, exceptisq; reſpondit, eadem nocte ibi fuiſſe. Unde inciratiores, ubi jam eſſet, ulteriùs reqvirunt: manu igitur extensâ, qvaſi indicio, verſus elegantes nec hodie obliteratos, cecinit, qvibus alacriores facti, ad eum in poteſtatem redigendum, celeri curſu, pro ſe qvisqve certant, gloriam capti iſtius capitis, ſingulis ſibi exoptantibus. Ingreſſus Botolfus Comitem excitat, refertq; quæ illâ nocte geſta, qvantumqve periculum immineat. Hoc cognito Rognvaldus veſtibus raptim ſumtis celeriter Orfioram petit, ubi Comes Haraldus eadem trepidatione hoſtiles manus elapſus latebat. Mox ſcaphis arreptis, alter tribus, qvatuor alter Comitibus in Cataneſiam trajecerunt, ſeqventibus aliis ſcaphis, per occaſionum momenta raptis, ſuorum ſingulis. In diviſione prædæ (qvæ ingens parta) Sveinus argentum menſale cœteraq, pretioſa Comiti Rognvaldo erepta, inq; ejus nave intercepta, ut ſorte duceret, curavit, ipſiq; ſtatim Comiti poſſeſſori in Cataneſiam remiſit. Conſuluit deinde, ut Comes claſſem ad Vagalandiam duceret, ſtationem ad ſinum opportunam, tum ad proſpectum navium è Kataneſia venientium, tum ad excurſionem illuc occaſione data, faciendam: verùm Erlendus, aliis inſtigantibus, in inſula Daminseya aqvilonem verſus claſſem ſtatuit. Interdiu in magno caſtro potatum, in navibus invicem colligatis pernoctatum, idqve in multam S. Martini qvadrageſimam, qvæ natale Chriſti Feſtum præcedit. Qvinto ante idem feſtum die, Sveinus verſus Orientem in Sandvikam ad agnatam ſuam Sigridem profectus, exortam inter illam & vicinum litem compoſiturus, diſcen-

diſcendens Comitem Erlendum monuit, ut eadem nocte intra navem qvietem caperet, nihilo, ſe abſente, qvam aliàs ſecurior. Unicam noctem apud Sigridem manſit, alia invitatus ad Gilſem, Sigridis colonum fidumq; amicum, qvi cerviſiam nuper coxerat, divertit. Ubi certior factus, Comitem, ſecus ac ſvaſerat, ad navem non rediiſſe, miſſis ad eum Margado Grimi filio, duobusq; aliis monuit, ut licèt priore nocte conſilium ſuum neglexerit, proinde tamen non aſpernaretur, noctemq; qvæ ſeqveretur in nave tranſigeret: iis autem ſeorſim ſubjecit verendum, ut conſilia ſua Comiti diu eſſent uſui futura. Ipſi, qvæ juſſi, deferebant. Milites diſſentire à ſe ipſo ingenium Sveini reſponderunt, interdum contemtis periculis nihil non audere, interdum panico terrore correptum, qvò ſe recipiat, neſcire, ſe qvidem intra tecta, non naves, qvietem capturos. Comes monita Sveini ſe ſecuturum pollicitus, tribus ſupra viginti comitatus, naves adiit, reliqvis in diverſorio manentibus: Margadus in ſinum, non procul inde diſtantem, ſeceſſit. Hac eadem nocte Comites Rognvaldus & Haraldus Erlendo improviſi, nec vigilibus, qvi in terra excubias egerunt, priùs obſervati, qvàm prætoriam navem conſcendiſſent, ſupervenerunt. In anteriore navis parte Ormus & Ulfus ſtabant, qvorum hic ad Comitem accurrens, cum nimiâ crapulâ gravem excitare neqviret, arreptum extra navem in ſubjectam ſcapham infert, Ormus ab alio latere exſiliens terræ adnavit: Comes Erlendus plurimiq; qvi in nave erant, occiſi. Clamore excitatus Margadus, lucente lunâ recedentes Comites obſervabat, inde concludens Erlendum occiſum, primò ad Rennadalum profectus Sveinum per nuncios certiorem de his facit. Haraldus, qvi militibus parci voluit, tantiſper à Rognvaldo inhibitus eſt, donec conſtaret, vivusne an mortuus eſſet Erlendus. Pridie natalis Chriſti cadaver ejus inventum eſt, indicio haſtilis inter muſcos in litore eminentis, cujus mucrone corpus ejus transfixum, qvod in templo deinde ſepultum eſt. Militibus hinc incolumitatem pollicentur Comites & inter illos, tribus Sveini Aſleifis domeſticis. Inter milites Erlendi Jon Vængus erat, prioris de qvo antea actum eſt ſororis filius, qvi in domum Haconis Caroli receptus, ſororem ipſius ſtupravit, inde profugus piratis duce Anakole ſe aſſociavit. Hic inter alios, qvi prælio non interfuerunt, Kirkiuvogum fugiens, in Ædem Sancti Magni ſe recepit. Sed omnes à Comitibus obſeſſi, adq; deditionem compulſi: Jon Vængus verò juramento in poſterum ad nuptias ſororis Haconis à ſe ſtupratæ fidem obſtrinxit, deinde Comitis Haraldi villicus factus. Annales hæc ad annum Chriſti MCLIV. referunt falsò: nam eodem anno, qvo Melkolfus Davidi Regi ſucceſſit, Comes Rognvaldus peregrinationem inſtituit, Haraldusq; Maddadius ab Eyſteino Norvegiæ Rege captus eſt. Qvid deindè ſingulis annis acciderit, è ſuperioribus patet.

CAP: XXXIV.

Sveinus variis latebris abditus Comitum milites infeſtat. À Comite Rognvaldo ad convivium feſti Natalitiorum invitatus humaniter ſuſcipitur. Comiti Haraldo, indictâ ingenti multâ, reconciliatur: ſed ruptis pactis, nova inimicitia exoritur. Comitem cum propriis ædibus exuſturus, à funeſto propoſito revocatur. Uxoris ejus in Comitem Haraldum fides. Perſeqvente Comite Haraldo prope captus, in abdito antro, æſtuantis maris fluctibus obſtructo, latens evadit. Inſolentiam Jonis Vangi in eum retorqvet. Comiti Rognvaldo, mox

Haraldo

Haraldo reconciliatur, ſed huic non ita ſincerè. Jonis Vangi fratres capit, contumeliaq́ afficit. Is Sveini filium deinde captum, imperante Comite Rognvaldo, iterum dimittit. Tandem in gratiam cum Comite Haraldo redit, ablataq́ omnia recuperat.

Secundùm mortem Erlendi, Sveinus in Rennadalum profectus, cùm, Margado prodente qvæ in Daminseya geſta erant, exactè cognoverat, inde in Rolfseyam devenit, exportatisq; omnibus navis armamentis accurateq; ſervatis, milites ſuos inter ruſticos per viciniam ſuſtentandos, diviſit. Ipſe per exploratores Comitum procerumq; conſilia expiſcatus, cum qvinqve comitibus in monte ſe abſcondit, qvem ac alio latere mare alluit. Inde per ſingula crepuſcula trajicere ſolitus, in villa, qvam occultè ingreſſus eſt, delituit. Ibi cùm Thorfinnum, ejusq; filium Augmundum, cum affine ſuo Erlendo, de occiſo à ſe Comite Erlendo ſtrenuè gloriantes, reliqvos etiam ſuam qvemq; fortitudinem laudibus efferentes, inter latebras audiviſſet, vanâ jactatione provocatus, cum comitibus, qvos celeritate prævertit, de ſubitò invectus, Eilendum lethali vulnere ſauciavit, Thorfinnoq; captivo abducto, in Thingavollum ad Patruum ſuum Helgium conceſſit: ubi primos feſti natalis dies latuit, Comitibus interea, Rognvaldo in Daminseya, Haraldo in Kirkiuvogo feſtum celebrantibus. Horum mitior Rognvaldus per nuncios in Thingavollum miſſos Helgium monuit, ut propinqvum ſuum Sveinum, modò, ubinam eſſet, ſciret, ad ſe per feſtum natale, ſuo nomine, invitaret, pollicitus, ſe, ut Comiti Haraldo reconciliaretur, adnixurum. Qvo cognito, Sveinus Comitem acceſſit, comiterq; exceptus, poſteriorem feſti partem apud eum tranſegit. Qvo finito, loco dieq; pacificationi, inter Comitem & Sveinum conſtituto, placuit ea primo decidi, de qvibus priùs inter eos actum erat. In primis Rognvaldus Sveinum in gratiam Comitis Haraldi reducere, remis velisq; contendit, omnibus licèt, præter propinqvos ejus, repugnantibus, palamq; vociferantibus, auctorem eum diſſidiorum turbarumq; ſemper exſtitiſſe. Ad ultimum multa Sveino indicta, marca auri ſingulis Comitibus pendenda agrorumq; allodialium pars dimidia, navisq; longa, eaq; eximia extortæ, Sveino pacem ſi bonam, etiam diuturnam, iniqvam, non ultra neceſſitatem duraturam monente.

Rognvaldus partem multæ ſibi adjudicatæ remiſit, præfatus amicitiam ejus pecuniæ præferendam. Haraldus jus ſuum exſecuturus, in Garekseyam profectus, frumentum aliaq; diripuit. Sveinus illatum damnum Rognvaldo qveſtus, pactum Haraldum rupiſſe affirmabat: ſe igitur domum profecturum ad damnum æſtimandum retulit, diſſvadente Rognvaldo, utq; ad ſe maneret invitante, qvod qvantumvis impiger vir, viribus tamen Comiti Haraldo impar eſſet. Nec tamen à propoſito ſe retrahi paſſus, in Garekseyam cum decem comitibus lembo vectus adulto veſpere devenit, poneq; domum ſubiens, faces ſuccendi juſſit, conſilio ut cum domo ſua, Comes qvoqve conflagraret. Inter præcipuos Comites ejus Sveinus Blakarius erat, qvi propoſito improbato, incertum reſpondit, an Comes intra tecta eſſet, vel ſi maximè, non tamen uxori Sveini aut filiæ exitum permiſſurum, eas autem una cremari, maximum piaculum. Qvo monito Sveinum ad fores convertit, verùm, qvi intus erant, in ſubita trepidatione januam clauſerunt. Cognito Comitem abeſſe, domeſticos ejus, deditis tantùm armis, dimiſit incolumes, univerſaq; cerviſiâ effusâ, uxorem filiamq; ſecum avexit. Reqvirens ab uxore, ubinam Comes eſſet, cum nihil reſponſi acciperet, nutu itaqve ait, cùm verbis non libeat, indica. Illa Comitem prodere, qvòd ejus agnata eſſet, nolente, nave conſcensâ, qvædam arma ſatellitibus Comitis reſtituit. His Comes, qvi in aliam inſulam ad venationem leporum conceſſerat, delatis, pactum, qvod interceſſit, ruptum pronunciavit, Sveinumq; deinde ad inſulam Hellirseyam (qvæ recedente æſtu eminentior, antrum

intra

intra rupes aſſurgens, ſed paucis cognitum, inſidiis tegendis idoneum celat, qvod affluens mare obſtructo oſtio ita tegit, ut ne ſpecies qvidem ejus pateat) contendentem obſervans mox propulsâ è litore nave ſine morâ perſecutus eſt. Videns autem Sveinus imparem ſe Comiti, ad antrum refluente æſtu declinat, & navem in ſuperiores ejus partes deducit: ſed, adventante Comite, alluvium undas referens, obducto oſtio, & latebram & Sveinum oculis ſubduxit. Hic longo tempore per inſulam, circaq; reqviſitus: cùm nusqvam appareret, admiratus eſt Comes, navem ad inſulam delatam, at nuſpiam inde recedentem obſervatam Cumq; ſubmerſa non videretur, ad alias inſulas relatam exiſtimans, eò ad reqvirendam eam ſe contulit. Poſtqvam Haraldus diſceſſiſſet, refluens unda exitum Sveino præbuit, qvi omnia verba Comitis, cryptâ tectus, excepit. Ibi, nave relictâ, lembo, qvem monachi poſſederant, arrepto, Sandeyam petit, lemboq; incenſo in inſulam ad villam Voluneſiam dictam accedit, ubi vir nomine Bardus Sveini propinqvus habitabat, qvem domo clam eductum monet, ſe ad illum manſurum. Optatus qvidem hoſpes, reſpondit Bardus, non tamen palam excipiendus, qva ingreſſus, in conclavi, à reliqva domo pariete diſtincto, foribus acervo lapidum obſtructis tectisq; cum comitibus latebat. Eadem veſperâ Jon Vængus Haraldi Villicus, cum ſeptem aliis acceſſit, qvi omnes humaniter à Bardo ſuſcepti introductiq; in cœnaculum, juxta focos liberaliter excitatos, corpora fovebant. Magnâ garrulitate Jon geſta inter Comitem & Sveinum effutiens, variis qvoqve Sveinum calumniis momordit, fœdifragum illum, neminiq; fidum aſſeverans, ut qvi, recens icto cum Haraldo fœdere, mox eum incendio conſumere decreviſſet: nunqvam pacem inſulas, niſi illo exacto, habituras. Bardo, ejusq; familiaribus Sveinum defendentibus, mox Comitem Erlendum vituperare occepit, utpote qvi cum nullius damno obierit, vir ferox & iniqvus, & omnium libertati inimicus. Qvo audito, Sveinus non ultra ſui potens, ſumtis armis, dejectoq; acervo lapidum per occultas fores ſe proripuit, publicas obſeſſurus. Verùm ad primum tumultum territus Jon interula tantum & lineis femoralibus indutus, raptis calceis, ad primum ſtrepitum à foco exſiliens per januam in tenebras, qvæ illuni nocte incubabant, evaſit, multoq; frigore affectus, & qvibusdam pedum digitis algore ſolutis, decidentibusq; alter qvaſi Jon Pes, in aliam villam eadem nocte evaſit. Comitibus Jonis, intercedente Bardo, victor pepercit, Exactâ nocte, Sveinus lembo, qvem Bardus poſſidebat, auſtrum verſus ad Bardsvikam conceſſit, dilituitq; interdum in ſpelunca, interdum per dies in villâ potabat, noctibus in navicula acqvieſcens, evitandis hoſtium inſidiis. In Rinarseyâ conſtitutus, mane qvodam Comitem Rognvaldum, navem ad litus, ubi lembus ejus ſtabat, applicantem animadvertit, ſatellitesq; qvinqve ex ſcendentes: eos igitur è colle qvodam lapidibus, juvantibus ſuis impetebat. Verùm, reliqvis arma expedientibus, ſimul cum ſuis in litus deſiliens, lembum in aqvam propellebat, myoparone Comitis, interim refluente æſtu in litore ſtante, qvem Sveinus, haſtam manu gerens, cum præteriret, tamen, Rognvaldo clypeo ſe protegente, eam non emiſit. Elapſum in præſens Comes, clypeo pacis ſigno elevato, ad colloqvium in inſulam revocat: qvo viſo Sveinus, pacatiore ſe ſemper animo præfatus, cum Rognvaldo reconciliaretur, revertit. Medio colloqvio conſpecta navis, qvæ Haraldum è Cataneſia in Vagalandiam tendentem vehebat, qva appropinqvante, Rognvaldum, qvid facto opus eſſet, conſulit, ſvaſit, ut ſtatim in Cataneſiam proficiſceretur. Hæc tempore Qvadrageſimæ Paſchatis accidebant. Uterqve ſimul è Rinarseya diſcedebant, Comes Roſſeyam, Sveinus occidentalem Straumseyam petebat. Interea Comes Haraldus, peripecto Sveino, inſeqvi eum pergit: relictâ igitur nave, Sveinus in inſulam ſe recepit, qvò delatus Comes, inſidias veritus propiùs accedere noluit. Verùm Amundius Hnefii filius, Comitis amicus, & privignorum Sveini patruus, interceſſione ſua pactum eadem hieme ictum, inter eos reſtituit, mox, exortâ ſubitâ procellâ, utrumqve in eadem inſulâ detentum, etiam per noctem in unum lectum, Amundio diſponente, reduxit, multis utriusqve comitibus in eodem conclavi dormientibus. Inde Comes in Or-

cades,

cades, Sveinus Catanesiam profectus, aliorum relatione percepit, Comitem Haraldum, pactum illud, ut vile, æstimare, id qvod & ipse parum curabat. Pergebat in austrum ad Dalos, ubi festum Paschatis apud amicum suum Sumarlidium agebat, qvo finito, in reditu incidit in Petrum Bunnum & Blankum, duos Jonis Vængi fratres, qvos captivos, bonis, qvæ vehebant, omnibus spoliavit inq; terram deductos, stipites, qvi illos excuperent, patibuli loco, fecit erigi, deinde dimisit, majori fratris dedecore victuros dictitans, qvi longo algore langvescentes, tandem domiciliis hominum repertis reficiebantur. In Lodhusam postea delatus, ibi aliqvantisper manebat. Ut primùm Jon Vængus captos à Sveino fratres, nec qvid de iis statuerit, cognovit, ad insulam Sanctam profectus, Olafum filium Sveini apud Kolbeinum Hrugam educatum in Vestureyam evexit. Cùm puer deinde in Hreppisnesia, in Comitem Rognvaldum incidisset, qvo auctore eò perveniisset rogatus, ubi Joni Vængo respondit, intuitus Jonem Comes, cur eum avexisset, qværit: Ille verò qvia inqvit fratres meos captivos tenet, nec scio an occiderit. Tum Comes, qvicqvid de fratribus tuis statutum fuerit, tu certè illum eò, unde abstulisti, actutum refer, neqve ullâ molestiâ afficito: neqve enim tibi in insulis, sive à Sveino sive Kolbeino tutum, si qvicqvam durius in illum statueris. Interea Comes Haraldus in Hialtlandia diutius mansit. Post Paschatis festum Sveinus ex Hæbudis sexaginta comitibus in Orcades delatus, Rolfseyæ navem admovit, captoq; Hacone Carolo, qvi Comitem Haraldum secutus est, cum Erlendus occumberet, trium auri marcarum pretium pro liberatione extorsit. Inde in Rosseyam profectus, navem multæ nomine sibi extortam, atqve a singulis lateribus duabus tabulis mutilatam conspexit: nam demi eas Rognvaldus curavit, qvòd neqve dono oblatam accipere, nec pretio emere vellet. Deinde in Rosseyam, ad Comitem Rognvaldum, in provinciam Birgisherad devenit, comiterq; exceptus, magnam verni temporis partem ad eum remansit, ubi, cùm inter alia superius memoratæ navis mentio facta esset, Comes excisas asses imperio suo affirmabat, ne redux ex Hæbudis Orcadenses illa nave occupatâ infestaret. Festo Pentecostes Comes Haraldus è Hialtlandia in Orcades rediit, cui Rognvaldus per nuncium significavit, placere, ut initum cum Sveino fœdus, iterum renovaretur: constituta q; dies Veneris, qvæ festo proximè succesit, locusq; basilica Divi Magni. Illo conventu Comes Rognvaldus, seqvente Sveino, latam securim gestabat, pactumq; per hiemem initum, eodem die redintegratum est, Rognvaldusq; Haraldum nave, cujus possessione Sveinus prius multæ titulo exciderat, donabat, cœtera omnia Sveino restituit, qvi ut velum navi suæ ablatum templo Divi Magni, ubi tunc antiqvo more reservabatur, efferri, ad fores apud Comitem Rognvaldum consistens conspexit, torvum vultum prætulisse notatus est. Die, qvi seqvebatur, Saturni, sacris nonis peractis, Haraldus Sveinum per nuncios ad se vocabat, qvi diffidens, rem ad Rognvaldum detulit: qvo qvantumvis fidem Haraldi suspectam sibi non dissimulante, nihilominus Sveinus cum sex comitibus ad eum accessit. In minori triclinio Comes scamno cum Thorbiorno Klerko, paucis præsentibus, insidebat; hic cùm paulisper potâssent, Thorbiornus excedens; suspicionem fraudis Sveino reliqvit, sed qvi mox rediens chlamidem palliumq; coccinum, vel potiùs pretiosum (singulæ enim vestes pretiosæ hoc olim nomine apud Septemtrionales exprimebantur) referens ei donavit, prætatus nescire, an doni titulus iis rectè prætenderetur, qvæ ipsi per hiemem ablata essent. Gratissimum Sveino hoc donum erat, sed gratius tamen, cùm mox Haraldus nave agrisq; allo dialibus, multatus erat, omnibus restitutis, eum ad se invitavit, nunqvam fore, ut obductam cicatricem in posterum refricaret sanctè pollicitus. Hæc cùm præter spem evenerint, Sveinus memori in bene meritum animo agnovit, eademq; nocte ad Comitem Rognvaldum profectus singula retulit, qvi, ut amicitiam Comitis sedulò in posterum coleret, vicissim monuit.

Cap:

CAP: XXXV.

Expeditio Sveini, Thorbiorni Klerki, & Eirici Slagbrelleris in Hæbudas & Sorlingas describitur. Thorkelis & Thorarini cædes. Proscriptio Thorbiorni Klerki. Helgius Sumarlidinus, & Odranus Gillinus cæduntur.

Post exiguum tempus, tres proceres Sveinus, Thorbiornus, & Eiricus in Hæbudas, expeditione susceptâ, in occidentem Syllingas sive Sorlingas usqve provecti, ingenti victoriâ in portu Divæ Virginis die Sancto Columbo sacra, magnam prædam nacti, ad Orcades revenerunt. Ad id usque tempus à pactis cum Sveino initis, Comites semper simul & amicè Rognvaldo directore habitabant: jam verò Thorbiornus Klerkus ad Haraldum in Consiliarium lectus accessit. Sveinus Rognvaldo addictior, in Garekseyam concessit, ubi magnâ stipatorum multitudine hiemes exigere, annuis spoliis reditibusq; agrorum milites sustentare, per æstates piraticam exercere solebat. Thorbiornus Klerkus concordiæ inter Comites labefactatæ infamis, mox in apertum Rognvaldi hostem degeneravit, caussâ tali. Inter Aulicos Purpuratos Comitis Thorarinus Killenef fuit, domesticus perpetuus & amicus. Inter eum & Thorkelem Thorbiorni Klerki amicum comitemq; inter potandum lis orta, Thorkelem ad vulnus ei infligendum perpulit, persequentibus sociis Thorarini, fugâ ad Thorbiornum provexit. E superiore contignatione impetus eorum cum uterqve sustinuisset, accurrentes Comites eos dirimebant: verùm caussam cognitioni Comitis Rognvaldi committere, dedignatus Thorbiornus, ob persecutionem lite eos pulsavit. Postqvam convaluit Thorarinus Thorkelem ad templum procedentem occidit, fugiensq; in templum asyli jure tutum se existimans, à Thorbiorno comitibusq; ejus impetitur. His cognitis, Rognvaldus multitudine stipatus accedens qvæsivit à Thorbiorno, templum ne effringere moliretur: is protegendo homini, qvi eò fugerit, minimè idoneum respondit: Comes tutum in præsens ab irruptione ejus futurum, cùm renunciâsset, mox majori vi ab ejus violatione eum repulit, qvi nulla pactione interposita in Catanesiam concessit. Ubi cùm aliqvantisper remansisset, crimina cœdibus & stupris multifariam auxit: clam deinde omnibus in Orcades, cum triginta comitibus, devectus portum Scalpeidensem subiit, assumtisq; qvatuor comitibus, Kirkiuvogum pedestri itinere pervenit, inq; diversorium, ubi Thorarinus potabat, celeriter se projiciens, eum ad necem usqve vulneravit, citatoq; gradu extra fores in tenebras se proripuit. Hanc ob caussam à Rognvaldo, limitibus imperii sui exsulare jussus, repetitâ Catanesiâ, apud Hosnium robustum, sororis suæ Ragnhildis maritum, delituit: eorum filius fuit Stephanus consiliarius dictus Thorbiorni comes. Paulò pòst Thorbiornus ad Melcolfum Scotiæ Regem profectus, liberaliter apud eum habitus est. Fuit in aulâ Regis vir nobilitate & ferocia pariter clarus, Odranus Gillius, qvi ob homicidia, turbatamq; publicam pacem, offensam Regis incurrit, inq; Orcades fugiens, à Comitibus receptum invenit, villis eorum in Catanesia præfectus. De hoc officio dissensus inter eum & præclarum Catanesiæ civem Helgium, Rognvaldi Comitis magnum amicum, intervenit, qvem Gillius ideo occidit, perpetratâ cœde, in occiduos Scotiæ sinus profugit. Receptus ibi à Principe Sumarlidio Hauldo Dalis, in sinu Scotiæ, præfecto (Chronicon Manniæ Herergaidel seu Argilæ regulum *Buchananus lib. VII.* in Milcolumbo qvarto Argatheliæ Thanum appellat) uxor ei Ragnhildis Olafi Bitlingi Hæbudarum Regis filia: eorum liberi Dufgall Rex, Rognvaldus & Engull, hæc familia Dalensis appellatur. Sveinum piraticæ accinctum Comes Rognvaldus accivit, petiitq; ut occasionem ulciscendi Odrani Gillii, modò daretur, non intermitteret. Is fortunæ eventus inexploratos præfatus, mox qvinqve hyoparonibus, in occidentalis Scotiæ sinus infusus cognovit, Sumarlidium Hauldum;

dum, cum ſeptem navibus ad piraticam inſtructis, in procinctu ſtare, qvarum unam Odranus Gillius ducebat, in ſinus Scoticos ad deportandum inde militem profectus. Mox ergo Sveinus Sumarlidium adortus, poſt acerrimum ab utraqve parte conflictum, cum magna ſuorum parte occidit. Ubi verò cognovit, Odranum Gillium, prælio non interfuiſſe, ad eum inqvirendum profectus, inq. Myrkvafiordo, ſeu ſinu tenebricoſo nactus, cum qvinqvaginta ſuorum occidit. His auſpiciis ejus anni piraticam orſus, in æſtatem more ſolito protraxit, reduxq; à Rognvaldo Comite gratiam reportavit *Chronicon Mannia* his, in cæteris valdè conſentiens, in cæde Sumarlidii, annoq. cædis diſſentit: magna clade eum Sveinus affeciſſe non occidiſſe videtur, præſertim cùm *Buchananus* Chronico Manniæ conſentiat.

CAP: XXXVI.

Comites in Cataneſiam venatum magno comitatu proficiſcuntur. Thorbiornus Klerkus in inſidiis latitat. Ex ſternutatione præſagium. Hoſculdus Comitem Rognvaldum colloqvio prodit, Thorbiornus Klerkus invadit & occidit. Ejus cum Comite Haraldo colloqvium. Magni Havardi filii conſilium, fortitudo & pietas. Thorbiornus Klerkus occiditur; ejus fortitudo. Comes Rognvaldus miraculis claret, Sanctorum albo inſcribitur. Ejus ex unicâ filiâ nepotes.

Conſveverant Comites in Cataneſiam, indeq; ad montana ad venatum caprearum rangiferorumq qvotannis proficiſci: jam verò Thorbiornus Klerkus, manſionum vices apud Scotiæ Regem & amicos in Cataneſia dividebat: Ibi in publico omnium conſpectu verſatus, hic occultè delituit. Horum tres potiſſimi in Cataneſia, eiq; maxime fidi, Hofnius nimirum ejus ſororius, alter Lifolfus, Thorsdalorum tertius Hallvardus, vel potius Hoskuldus, Dufæ filius Kalfadalorum prædii Fors, qvod cataractam denotat, aliàs Forſneſi, qvod è Thorsdalis porrigitur, incola. Et jam duos ſupra viginti annos, à captivitate Comitis Pauli imperaverat Rognvaldus, cùm affectâ æſtate, more ſolito, una cum Comite Haraldo in Cataneſiam proficiſceretur. Cùm Thorſa ventum eſſet, fama ſed obſcura ferebat, Thorbiornum ibi, cum haud exiguo manipulo latitare, eos occaſione data adorturum. Collecto itaqve ſtiparorum numero ad centum usqve latera ſua ſepſerunt. Inter hos, eqvites viginti, per veſperam in vallem deſcendentes, hoſpitioq; recepti, tunc ad focum conſidebant, cùm Comite Rognvaldo vehementius ſternuente, Haraldus ſubjecit: Sonora ſternutatio, agnate! Poſtridie mane, dum ad ſuperiora vallis procederent, Rognvaldus præceſſit; proximè eum Aſolfus, & Jomar agnatus ejus adeoq; qvinqve ſimul eqvitabant accedentes villam. Hoskuldus in frumento, horreis inferendo, occupatus Rognvaldum elatâ, & remotioribus exceptu facili voce nominatim ſalutabat, deq; aliis atqve aliis eodem tenore, donec ad triclinium perveniſſet, interrogando morabatur. Domus omnis in arduo, devexoq; colle ſita, aditum per anguſtas tantum ſemitas, arduasq; & aggere inſuper, ab utroqve latere ſuperſtructo, coarctatas ponè recipiebat. Ibi, qvi poſtico lapidibus, raptim congeſtis, obſtructo abſconditus potabat, Thorbiornus cum ſuis, audita Hoskuldi voce, arreptis ſubito armis, dejectisq; lapidibus, per averſam domus partem furtim in aggerem erumpens, delatum ad ſe Comitem, uno eodemq; ictu circa mentum gravi vulnere ſauciavit, & Aſolfum manu, qvam ictui objecerat, truncabat. Qvi accepto vulnere exclamat: Vos, qvos pluribus muneribus

ribus Comes ſibi devinxit, fideliùs eum tutamini: erat autem annorum duo de viginti, nuper in ſatellitium ejus receptus. Comes, viſo Thorbiorno, deſcenſurus eqvo, pede ſtapedi inhærente, detinebatur, cùm ei Stephanus aliud vulnus haſtâ, tertium Thorbiornus iterum inflixit: verùm eodem momento Jomar femur Thorbiorni haſtâ fodiens mucronem in ilia intorſit. Igitur Thorbiornus retro cedens, per declivia colis ponè domum in ſubjectam & foveis interciſam, maleq; fidam paludem ſe recepit, cui Comes Haraldus cum ſuis advoniens occurrebat. Cumq; ſe invicem agnoſcerent, ſatellites Haraldum, qvandôqvidem ſciret Thorbiornum ſe aggreſſurum, ut ejus conatus occuparet, hortabantur. Verùm ille, qvid acciderit, inſcius, niſi poſt longam moram certior, ſingulis, qvi præceſſerant caſaver Comitis circumſtantibus, conſulendum Rognvaldum reſpondit: eſſe enim Thorbiornum cùm ſangvinis nexu, tum pluribus meritis ſibi devinctum. Inde Thorbiornus in paludem ſuperatâ voragine, qvæ eam magnam partem interſecabat, provectus, cum confluentium è villa numero, ad qvinqvaginta, ulteriorem ripam occupavit, tranſitu Comitem prohibiturus. Is autem incitatus à ſuis, ad citeriorem pervenit: verùm intercedente gurgite, lato pariter ac profundo palude circumqvaqve putreſcente, cùm inſuper fortiter exciperetur, miſſilibus tantùm Thorbiornum eminus impetebat, qvorum is nullum remitti permiſit, Qvibus deficientibus, Haraldum his verbis inclamavit: Parce Agnate, qvæſo, omnem enim cauſſam arbitrio tuo permittam, nullâ ullius rei pactione interpoſitâ, absqve exceptione me dedam, qvò major honor ad te redundet. Meminiſti enim tantas cauſſas interveniſſe, ut parcendum vitæ meæ, etiam hac cæde perpetratâ, meritò judices. Oppreſſum jus tuum, dignitatemq, & auctoritatem ad ſervilis licentiæ modum coërcitam vindicavi, frenatam laxavi, proculcatam erexi, donis te ſemper honoravi, & qvæ ad honorem tuum facerent, ſedulò conqviſivi. Eſto, Scelus ingens commiſi: ſed illius onus mihi, tibi univerſum imperium ceſſit: ſed nec aliam mihi ſortem Rognvaldus, qvam ipſe tulit, deſtinavit, nec diffiteor, qvin me occiſo, etiam ſatisfactionem, tuo ipſius judicio juſtam ab eo exegiſſes; me ergo occidere paras. Hæc pluribus cùm peroràſſet, multos ad miſerationem interceſſionemq; traxit. Qvibus, qvòd multi eſſent, cùm aures haut difficiles Haraldus præbiturus videretur, Magnus Havardi Gunnaris filius, Conſiliarius Comitum, idemq; propinqvus, omnium, qvi præſtò erant, nobiliſſimus, eum his verbis interpellat: In tanto ſcelere conſilium tibi Comes ſuppeditare neqveo: qvam tamen famam ſubiturus ſis, ſi Thorbiorno parcas, edicam, æternum nimirum opprobrium. Te enim incentorem cædis, omnes ejus amici judicabunt, diuq; hæc conſilia agitâſſe, qvæ nunc demum in nervum eruperint: nec ſine ratione, cùm iterum iterumq; coram te glorietur in tuam gratiam ſceleſtiſſimum facinus perpetrâſſe. Fruſtra igitur ſperes, cùm ſe purgabit, te excuſaturum, aut crimen abs te in ſe averſurum: nec tu eorum ſuſpicionem, ejusq; confeſſionem facilùs confirmabis, qvàm ſi, ſceleris parte in te receptâ, vivum eum hinc dimiſeris. Ego certè, di pliceat placeatve, vivum hinc abire non patiar, modò ſint cordatorum virorum, qvi me ſeqvi velint. Idem fratres ejus Thorſteinus & Hacon, Sveinus etiam Hroaldi filius aſſenſu confirmabant, relictoq; Comite ſecundùm voraginem profecti, locum tranſitui opportunum qværebant. Qvo conſpecto, Thorbiornus, diſſident, inqvit, Haraldus & Magnus ille mihi parciturus ad miſericordiam, hic occiſurus ad ſævitiam inclinat: deqve ſalute deſperans, ut erat cataphractus, gurgitem tamen novem cubitus latum tranſilivit. Secuti qvidem Comites, nemo tamen eodem ſucceſſu: plures ripâ prehensâ, manibus ſe alevabant, hortantes ut Magnum confeſtim invadendo, prælii fortunam experiretur. Sed Thorbiornus, ut ſibi qvisqve caveret, monuit, ſe Comitem Haraldum aditurum. Plures diſſvadebant, in ſilvis potiùs latebras qværendas rati: verùm id fruſtra fuit. Singulis itaqve per varia effugia dilapſis, ipſe, cum octo, qvi remanſerant, Comitem adiit, procumbenſq; in genua, caput ſuum ſe ei deferre retulit, multis in preces ſubſeqventibus. Tum Comes, abi Thorbiorne ait, tibiq; cave: neq; enim te occidere ſuſtineo: Hæc locuti ſecundùm fluvium Kalfadals A proceſ-

ſerunt. Ut verò inſeqventem Magnum Comes vidit: cave inqvit Thorbiorne, non enim, ut te protegam, cum civibus meis dimicabo. Diſcedens itaqve ad æſtiva (ſic interpretor tuguria in montibus, paſcendis pecoribus, lacteisq; cibis per æſtatem conficiendis exſtructa,) id temporis vacua, Aſgrimsægrin vocata, cum ſociis præſentibus confugit. Qvibus inſtans Magnus flammam tectis ſubjecit: alacriter tamen ſe defendebant, donec tugurium corruerit. Egreſſi itaqve, igne fumoq; fatigati, ferro, qvantum licuit, impetebantur. Tandem omnibus occiſis, vulnera Thorbiorni inſpecta ſunt, deprehenſumq; inteſtina demerſa in vulnus illud, qvod Jomar ei intulit. Haraldus ad inferiora valliis deſcendit: Magnus ad prædium Fors rediens, cadaver Comitis Rognvaldi exanimum curabat, & ad civitatem Thorſa detulit. Atqve ita vaticinatio Sveini, de ingrato Thorbiorni in Rognvaldum animo, impleta eſt. Incidit obitus Comitis Rognvaldi Kalii in annum MCLVIII, qvinctum diem poſt æſtivum, idq; prius; Divæ Mariæ feſtum aſcenſioni ejus dicatum qvod decimum octavum Kalendas Septembris occupat, dies ab eo qvinctus in decimum tertium ejusdem menſis, qvi nobis eſt XX. Auguſti. Haraldus inde & proceres in Orcades, corpus ejus magnâ pompâ detulerunt, qvod ad templum Divæ Virginis tantiſper ſepultum jacuit, donec multis magnisq; miraculis coruſcans, à Biarnio Epiſcopo, permiſſu pontificis Romani, cum anno à nato JESU MCXCII. in Divorum numerum relatus eſſet, ſublatum eſt. Conſpicitur, inqvit ſcriptor noſter, ſangvis ejus in ſaxo, qvem mortui Comitis corpus rorabat, usqve in hodiernum diem tam recens clarusq; ac ſi nuper profluxiſſet. Deſiderium ejus non intra Orcades ſtetit, alibi paſſim etiam ingens fuit: multis enim profuerat. Princeps liberalis, moderatus, amicis fidus, variis artibus excultus, Poëta inſignis, unico tantum perjurio, metu illicitè concepti juramenti, lapſus. Unicam filiam reliqvit Ingigerdem, Eirici Slagbrelleris uxorem: eorum liberi Haraldus Jungius, Magnus Mangius, & Rognvaldus, filiæ Ingibiorg, Elia & Ragnhildis.

CAP: XXXVII.

Comiti Rognvaldo Comes Haraldus in univerſas Provincias ſuccedit. Ejus uxor & liberi, qvorum unus apud Sveinum educatus. Sveini exercitia, & expeditio verna, qvam purpuream appellavit. Comitis Haraldi grave monitum & tacitum de Sveini itinere fatali præſagium. Sveinus Duſlinum de improviſo intercipit; cum civibus paciſcitur; decipitur; occiditur. Ejus eulogium, liberi. Biarnii Orcadum Epiſcopi indoles.

Poſt cædem Rognvaldi omnium inſularum principatum Haraldus ſoli ſibi vindicabat. Fuit autem ingenio & opere magnificus, robore & ſtaturâ præcellens. Ex uxore Affrecâ filios procreavit, Henricum & Haconem, filias, Helenam & Margaretam. Haconem à teneris, educandi officio ultrò oblato, Sveinus ſummâ curâ enutrivit, & cùm primum per ætatem licuit, piraticis exercitiis, qvalibet æſtate, adhibuit, nec qvicqvam, qvod ad honorem ejus augendum faceret, intermiſit. Solebat Sveinus ſingulas hiemes domi in Garekseyâ tranſigere, ſuisq; impenſis ſemper octoginta domeſticos alere, triclinio tantæ capacitatis uſus, ut par Orcades non haberent. Qvolibet vere, labores domeſtici ingentes, agris arandis impenſi, magnaq; vis frumenti iis ſerendis adhibita: nec ipſe ſibi in laborando pepercit. Finito ſationis tempore, piraticâ Hæbudas & Hiberniæ agros populabatur, mediaq; æſtate rediit, domiq; manſit donec peractâ meſſe, frumenta horreis ingeſta eſſent. Inde ad Latrocinia piratica reditum, nec domum, ante primum

mum hiemis menſem exactum. Celebris inter alias Sveini verna qvædam expeditio fuit, qvinqve tantum, ſingulis autem magnis navibus ſuſcepta. Habudenſes vim ejus metuentes bona, qvæ poſſent auferri, omnia vel terræ infodiebant, vel ſpeluncis abdiderunt. Usqvé Monam, exiguo lucro provectus, in Hiberniam deflectens, latrociniis eam laceſſivit, ibiq; prope Dublinum conſtitutus, duas mercenarias naves ex Anglia eò tendentes, pannos Anglicos, aliasq; magni pretii res vehentes intercepit: neqve enim ei obſiſtere poterant. Omnibus direptis, naves veſtesq; ſingulis, cibiq; parum nautis permiſſum: poſt redirum in Hæbudas, prædâ inter milites divisâ. Inde triumphanti ſimilis navigans, oſtentandæ pompæ, in portubus naves Anglicis pannis velabat. Cum Orcadibus claſſem admoveret, aſſuti velis panni Anglici, coccineorum velorum ſpeciem præbebant: unde hanc expeditionem purpuream appellabat. Domum rediens convivium magnificum inſtruxit: nam inter cætera, vini mulſæq; aqvæ affatim raptum. Ad hoc Comes Haraldus invitatus, inter convivium, cùm fortè de rebus Sveini geſtis ſermo incideret: ſvadeo inqvit Comes, ut in poſterum piraticâ abſtineas: reditus enim integro curru acceptiſſimus: tu autem alienis opibus, te tuosq; jam diu ſuſtentâſti; prædones autem inter prædandum perire ſolent, ni temporius deſiſtant. Subridens Sveinus, intuitusq; Comitem, bene & amice qvidem, ait, mones, dignaq; conſilia tua, qvibus pareatur: ſunt tamen, qvi qverantur, te qvoqve haut ſatis æqvum. Non me inqvit Comes, pruritus lingvæ ad hæc impulit: verùm ad me qvod attinet, ejus cura mihi incumbit. Bona qvidem, inqvit Sveinus, intentio tua: monita itaqve obſervabo, mittamq; hoc exercitium: nam & ætas increſcit, vires autem decreſcunt, aſſiduis expeditionibus imminutæ: tantùm hanc auctumnalem cæteris adjiciam, qvam vernâ ignobiliorem fieri nolim, deinde deſiſtam. Haut facile amice, ait Comes, prævidetur mors an gloria præcurrat. Poſtea ſermonem aliò convertebant, finitoq; convivio Comes, donis honoratus, confirmatâ amicitiâ diſceſſit. Paullò pòſt Sveinus ſeptem navibus longis, omnibus magnis, aſſumto Hacone Comitis filio, piraticam aggreſſus eſt. Primo Hæbudæ luſtratæ, parumq; partum, adita deinde Hibernia inteſtatur Dublinumq;, improviſis omnibus captum: neqve enim cives hoſtem ſentiebant, priusqvam urbe occupatâ. Ingens ibi præda avecta, rectoresq; civitatis capti omnes, qvi urbis in perpetuum ceſſione ſe redimentes pecuniam, qvantam imperaret, daturos ſe promittebant, præſidiaq; qvæ imponeret recepturos: fides in hæc ſacramento ſtabilita. Inde ſub veſperam ad naves rediit, rediturus in urbem mane ſeqventis diei, & recepturus pecuniam & obſides, impoſiturusq; præſidia. Eadem nocte primates in unum cöeuntes conſilia agitabant, ſuam qvisqve tum privatam, tum publicam fortunam deplorantes. Durum videbatur imperium Orcadenſium pati, durius hominis omnium occidentalium ferociſſimi: placuit itaqve eum inſidiis, (ſi fieri poſſit) opprimi. Mox foſſas intra portas, & paſſim per vicos, ubi procedendum erat moliti ſunt, lignaqve ſuperimpoſita, qvæ greſſum fallerent, ſtipulâ ſtraverunt, ne veſtigium novi operis appareret, abſconditis intra domos armatis, qvi incidentes illico opprimerent. Seqventi die Sveinus armatus urbem intravit, intraq; portas à civibus deductus in foveas imprudens cum ſuis decidit, mox accurentes armati, alii ad portas, alii ad eos opprimendos, qvotqvot intra portas erant defendendi opportunitate deſtitutos, qvos ideo facile occiderunt. Omnium ultimus Sveinus periit, cujus hæc extrema verba excepta ſunt: Neminem ignorare volo, ſive hodie vitam finiam, ſive evadam, me Sancti Rognvaldi ſatellitem eſſe, ejusq; ſecundùm Deum, ſolatium ſperare. Hunc exitum habuit Sveinus: qvod malum Comes Rognvaldus jam pridem, ut antea dictum, Haraldus etiam futurum prævidebat. Fama eſt, non ſuæ modò ætatis, ſed omnis ante ſe memoriæ occidentalium eorum, qvi privatim vixerunt, maximum fuiſſe. Mihi ad extremum uſqve diem felix prædo, veterator ingens, infandi in proprium, eumq; indulgentem & mitem dominum, ſceleris flagitii & propè parricidii deteſtabilis auctor videtur, & honeſtius, qvam pro flagitiis ſuis occubuiſſe. Eo occiſo, qvi ſupererant, claſſe Orcades petebant. Cæde hac cognita Olafus & Andreas filii hereditatem

reditatem inter ſe dividebant, proximaq́; poſt obitum æſtate, ampliſſimam illam domum, qvam in Garekseya pater habuit, minoribus ædium partibus diſtingvebant. Andreas Sveini filius uxorem duxit Fridam, Kolbeini Hrugæ filiam, Biarnii Orcadum Epiſcopi ſororem, eodem patre natam. Is Epiſcopo Vilhelmo poſteriori ſucceſſit, numeroſæ familiæ nobilitate, potentiaq́, tum etiam propria magnificentia clarus, Comitis Haraldi inſignis amicus. Liberalitatem ejus, amicitiæq; conſtantiam cum Rafno Sveinbiorni filio, nobili Iſlando, qvadrantis occidentalis cive, viro magno, pio, & candido, vita ejusdem Rafni celebrat, qvæ miſſum ab Epiſcopo ex Orcadibus ad eum annulum ſigillaritium aureum, pondere unciæ, cui inſigne corvus cum nomine Rafni inſculptum, ephippiumq́; præterea notæ melioris, & veſtes, colore nobili, memorat. Ad annum hujus ſeculi primum ſupra ſeptuageſimum, meminit *Jacobus Waræus*, Johannis cujusdam Orcadienſis, qvi Aſculfum Dublini Regem, à Dermitio Murchardi filio regno exactum, reſtituturus erat. Scribit autem hoc modo pag: 148.

Anno 1171. circa feſtum Pentecoſtes Aſculphus à Johanne qvodam [qvem Orcadienſem appellant Annales Ultonienſes] & copiis ſuæ gentis auxiliaribus, è Mannia, adjutus, cum 60. navium claſſe, portum Dublinienſem ingreſſus eſt, & militibus expoſitis, in urbis partem Orientalem irrumpere tentavit, ubi, dum Milo Coganus, qvi urbi præerat, præſidio haud ſatis firmatus, urbem propugnare conaretur. Richardus frater ejus è porta S: Pauli auſtrali, cum parva manu egreſſus, hoſtes [qvi auxiliares copias Cogano advenisſe putarant] in fugam facile conjecit. Partim in prælio, partim in fuga, multi eorum cæſi feruntur, & inter eos dictus Johannes Orcadienſis, Aſculphus etiam ipſe captus eſt, & qvod lingvæ frænum intemperantius laxaſſet, ultimo ſupplicio poſtea affectus.

CAP: XXXVIII.

Comes Haraldus ad ſecundas nuptias procedit. Ejus liberi ex illo conjugio. Haraldus Eirici Slagbrelleris filius, à Magno Erlingi Norvegiæ Rege, media Orcadum parte cum Comitis titulo donatur, ſed ab Haraldo non recipitur. Cum Comite Haraldo confligit & occiditur. Ejus ſanctitatis opinio invaluit. Comes Haraldus Cataneſiam invito Scotiæ Rege Wilhelmo ſubigit, qvam per Regem Habudarum Rognvaldum Scotiæ Rex recuperat. Ejus præfectum Hliſolfum Comes Haraldus per ſicarium occidit. Cataneſiam iterum ſibi ſubjicit. Ejus in Epiſcopum crudelitas. Miraculum in ſanando Epiſcopo. Scotiæ Regis in Haraldum Expeditio, exercitus, duræ pacis conditiones præſcriptæ. Buchananus notatur. Ejus in anno hujus belli cum noſtro Scriptore diſſenſus, & cum Annalibus noſtris conſenſus, locus intricatus.

Poſt

Post uxoris Affrecæ mortem, Comes Haraldus uxorem duxit Hvarflodem, Comitis Moraviæ filiam, eorum liberi Thorfinnus David & Jon, Gunnhildis Herborg & Langlif. Illo tempore, Norvegiæ sceptra Magnus Erlingi Skackii filius, Regis Sigurdi Hierusolymipetæ ex filia Christina nepos, intestinis bellis, exstincta omni ferè Regiâ stirpe masculâ, artibus patris Erlingi, Archiepiscopi Eysteini, Episcoporumq; suffragia emercantis, tenuit. Ad eum Haraldus Eirici Slagbrelleris filius, Comitis Rognvaldi nepos cum fratribus suis profectus, partem insularum, qvam avus possederat, cum Comitis dignitate impetravit. Qvem è Norvegia secutus est Sigurdus, cognomento Murtus, Ivaris Gallii ejus, qvi una cum Comite Erlingo Nidarosiæ cæsus est, filius, ætate juvenis, sed indole eximia acer & strenuus; mater ei Havardi Gunnaris filia. Magnus autem Jungius Haraldi frater, in Norvegia apud Regem remansit, cum eo postea in Sogniâ cæsus. In Hialtlandiam primò delatus Haraldus Junior, ad differentiam nominum exprimendam, appellatus, in Catanesiam transmisit, accessoq; Wilhelmo Scotiæ Rege, dimidiam Catanesiam, qvam avus Rognvaldus habuit, illo conferente, obtinuit. Eò profectus, cùm copias contraheret, inter multos præclaros viros, sororius ejus Lifolfus Skallius, seu calvus, Ragnhildis maritus ad eum venit, copiarumq; ejus maximæ parti præesse meruit. Legatus inde in Orcades ad Haraldum Seniorem missus, cum postulatis, ut Regum acta rata haberet, gravibus in se Comitis minis discessit: negabat enim ulla pactione imperium suum imminuturum. Mox ingentem exercitum colligit: collegit & Haraldus Junior in Catanesia militem, misitq; in Orcades Lifolfum ad explorandum, qvid Haraldus Senior ageret. Qvi transmisso sinu Pictico, Orientalem Rognvaldzeyæ partem conscendit, progressusq; in montem, tres exploratores deprehendit, qvorum duobus occisis tertium secum duxit. Inde prospecto hostium exercitu, numerosam classem, ut plurimùm magnis navibus constantem observavit, redienſq; ad suos retulit tantas esse hostium copias, ut resisti tanta suorum paucitate neqveat. Expedire, ut hoc eodem die civitatem Thorsa petant: inde ad eos ingens militum supplementum confluxurum, qvo instructi tutiùs cum hoste congrediantur. Ad hæc Sigurdus Murtus respondit, magno suo malo affinem Comitis fretum Picticum hodie trajecisse, cùm cor in itinere reliqverit, neqve succedssum bonum sperandum, si viso Comitis Haraldi exercitu, cordium jacturam singuli faciant. Tum Lifolfus ante periculi conspectum, vix cujuslibet cordis habitum apparere, tamen conjectare, se fugam capiente eos, qvi sortes habeantur, non diu postea in acie remansuros. Atqve ita consilium de supplemento Thorsa exciendo intercidit. Paucarum horarum interjectu, Haraldi Senioris classis Rognvaldzeyâ navigans conspecta, curam ad aciem ordinandam convertit: mox, exposito in terram milite, qvantum Senior numero prævaleret, apparuit. Sigurdus Murtus & Lifolfus, Haraldi Junioris duces, suum qvisq; cornu dirigentes exercitum educebant. Et Sigurdus qvidem rubram tunicam pretio am indutus partes ejus anteriores à ventre ad pedes defluentes, exemplo Thormodi Kolbrunæ Poëtæ balteo subnectebat: rogatus cúrni etiam posteriores: imò, inqvit, hodie rectà procedendum, non retro gradiendum duxi. In exercitu Haraldi Senioris viri strenui, & periti pugnæ, superbè vestiti; in primis Episcopi propinqvi, & militum tribuni conspicui erant. Ingenti animorum alacritate ab utraqve parte pugnatum est, duravitq; eodem dimicantium ardore aliqvantisper, donec Sigurdus Murtus inter promptissimos, infesto mucrone occurrentium Orcadensium ora, cedentiumq; terga fodiens corruit. Cujus casu Lifolfus nihil territus, acriùs in hostes invectus, ab utroqve latere circumfusos feriebat. Tradunt Catanesenses, ter eo die aciem hostium perrupisse: tandem, memorabili editâ pugnâ, gloriosâ morte concidit. His duobus cæsis, reliqvi, trepidâ fugâ dilapsi, latebras qværebant. Ipse Comes Haraldus junior ad foſſam qvandam, inde bituminosa terra in usum focorum eruitur, concidit exanimis, statimq; eadem nocte, ubi cruor ejus manabat, clara lux visa, opinionem veræ sanctitatis in animis hominum conciliavit. In Catanesia corpus sepultum est, locumq; ubi concidit, superstructum deinde templum ornat. Innumera

mera miracula, qvibus merita ejus Deum illuſtrare, ſcriptor noſter commemorat, qvi his temporibus vixiſſe videtur, additq; ſemper manifeſtari, eum in Orcades transferri velle, ad propinqvos ſuos, Divum Magnum, & Sanctum Rognvaldum. Poſtqvam pugnatum eſt, Comes Haraldus univerſam Cataneſiam ſibi ſubjecit, triumphanſq; Orcades repetivit. Ut verò Vilhelmus Scotiæ Rex cæſum Haraldum Juniorem, Cataneſiamq;, ſe invito, armis, ſub obſeqvium Comitis Orcadenſis redactum cognovit, irâ, ut par erat, commotus, miſit ad Rognvaldum (*Chronicon Mannia* Reginaldum vocat) Gudrodi filium Hæbudarum Regem, omnium ſui temporis occidentalium, bellis maximè clarum. Qvippe qvi tres continuos annos, more priſcorum famoſiſſimorum piratarum, in navibus egit, ità ut interea fuligino-ſum tectum non ſubiret: qva formulâ, nullam domum intrâſſe ſignificatur. Pater ei Gudrodus, natus Ingibiorge Comitis Haconis Pauli filiâ, patre Olafo Bitlingo Hæbudarum Rege. Hic ex mandato Scotiæ Regis, ingentem exercitum toto Hæbudenſi agro è Satiriâ ſeu Cantiria inſuper, & ex Hibernia haut exiguam manum excivit infuſusq; in Cataneſiam, univerſam ſubegit. Aliqvantiſper ibidem moratus omnibus ex animi ſententia ordinatis, tribus præfectis eam regendam diſcedens commiſit, Manio nempe Olafi filio: Rafno ſupremo provinciæ judici & Hlifolfo Allio. Interea Haraldus Comes Oradenſis, domi qvietus remanſit, diſſimulatâ notitiâ de expeditione Regis. Poſt ejus abitum, miſit virum qvendam in Cataneſiam, cum occultis mandatis, ut Præfectorum, ſi omnes non poſſet, unum necaret, qvi ad judicem Rafnum perveniens, interrogatur, cujus cauſsâ illuc profectus eſſet. Cùm conſcientiæ indicium trepidatio proderet: video, inqvit Rafnus, ſubornatum te a Comite Haraldo ad aliqvod malum facinus hac in provincia perpetrandum, verùm, cùm ſangvine mihi junctus ſis, occidere non ſuſtineo. Dimiſſuſq; incolumis ad Hlifolfum conceſſit, eoq; lethaliter vulnerato, Orcades repetivit. Mox Comes ingentem exercitum in Cataneſiam tranſportatum, in oppido Thorſa exponit. Epiſcopus, nomine Jon, Cataneſiæ, in ejusdem urbis primaria domo, Scarabolſtad dicto, conſtitutus (ut cives tantis viribus reſiſtendis impares, deq; venia majorem in modum ab exaſperato Comite deſperantes animadvertit, qvòd adeò infenſus perhiberetur, ut auribus ad preces obſeratis, nemini videretur parcere) ad mitigandum eum proceſſit, præfatus civibus, ſi ſecum leniter ageret, etiam ipſis veniam ſperandam. Cumq; magno impetu è navibus in urbem univerſæ copiæ convolarent, Epiſcopus obviam procedens, hilari vultu verbisq; à Comite exceptus, deinde juſſu ejus comprehenſus, lingva oculisq; orbatus eſt. Addunt Monachi, qvos miracula delectant, medio ſupplicio virginem Divam Trollhænam (Scotiæ tutelarium numinum unam) ab Epiſcopo invocatam, dimiſſumqve in clivum qvendam proceſſiſſe, ubi mulierem qvandam eamq; ſolam deprehenderit, cujus auxilium nuper imploraſſet. Qvæ conſpecto ſangvine è facie ejus manante, imperato ſilentio, libenter ſe opem ei laturam reſponderit, delatumq; deinde Epiſcopum ad locum, ubi Diva Trollhæna reqvieſcit, reſtitutum in integrum, viſum fandiq; facultatem recuperâſſe. Talia *Procopius* ſuo tempore facta, pluresq; alii memorant: ego auctoris, qvem ſeqvor, fide refero. Hac vindictâ peractâ, oppidum ſtatim deditione captum; alii gravibus pœnis affecti, alii pecuniariâ multâ, pro cujusqve in ſe delicto irrogatâ, omnes, per totam Cataneſiam, volentes, nolentesq; ad ſacramentum fidei ſibi iterum dicendum adacti; Præfectorum, qvi ad Scotiæ Regem dilapſi ſunt, bona omnia mobilia, immobiliaq; fiſco vindicata: ipſe cum magna copiarum parte, ad continendam in obſeqvio gentem, ibidem reſidebat. Sex erant præfecti Cataneſiæ, qvi tempore qvadrageſimæ, qvæ natalem Chriſti præcedit, Ad Regem Vilhelmum fugientes, omnem Haraldi ſævitiam ei ordine expoſuerunt: qvâ concitatior, ſingulis amiſſas res ſuas duplo ſe rependere velle pollicitus eſt. Primo die, cùm in aula ejus eſſent, ſingulis panni XXV. ulnæ, & marca Anglica ad impenſas diurnas datâ: comiter deinde excepti, manſerunt ad eum, uſqve univerſum feſtum præteriit. Tum demum Præfectis omnibus, militis totâ Scotiâ conſcribendi provincia data; univerſusqve exercitus in val-

lem,

lem, qvæ Cataneſiam & Sudurlandiam committit, Eyſteinsdalum dictam, perductus: qvam à ſummo ad imum, ſitu caſtrorum, in ordinem longum, ſpatium qvidem ingens, extenſo occupavit. Qvibus cognitis Haraldus adhuc in Cataneſiâ remanens, vires undiqve conqviſivit. Coivêre, ad ducentos ſupra ſeptem armatorum millia: ſexaginta centenarios auctor recenſet, qvolibet autem centenario duodecem denarii continentur. Verum id manipulus tantùm militum fuit, cum exercitu Scotiæ Regis, comparatus. Legati itaqve de pace ad Regem miſſi, reſponſum retulêre, fruſtra pacem peti, nî bonorum omnium per univerſam Cataneſiam qvadrans Regio fiſco cederet, exceptis eorum poſſeſſionibus, qvi ad Regem confugerunt. Convocatis igitur ſingulis Cataneſiæ civibus, aliisq; proceribus, Haraldus poſtulata exponit, eorumq; conſilia reqvirit. Verùm cùm nulla ad certiſſimam calamitatem, ſi dimicarent deſtitutis viribus, declinandam via ſe offerret, in qvartam poſſeſſionum Cataneſenſium partem conſenſum eſt. An bona, qvæ vocant ſoli, hìc etiam intelligenda ſint non aſſeqvor, ambiguitate vocum *þering* & *eigu* rem implicante: per priorem mobilia omnia intelligi dubium non eſt; poſterior poſſeſſionem, non ſecundùm juris Romani ſubtilitates, intelligendam, ſed qvatenus id, qvod in proprietate noſtra eſt, exprimit, denotat: tradit autem priùs, omnis pecuniæ qvartam Regem poſtulâſſe, poſteriùs, qvartam poſſeſſionum partem obtinuiſſe. Haraldus inde univerſam Cataneſiam, beneficio Scotiæ Regis habendam accepit, eodem jure, qvo tenuit, anteqvam Haraldo Juniori concederetur. Hac bellica tempeſtate impendente, Thorfinnus Haraldi Comitis filius Scotiæ Regi obſes datus oculis privatus eſt. Hæc noſtri Auctoris verbis referre viſum eſt, cùm *Buchananus* eandem rem paullò aliter narret *Lib: VII.* in Gvilielmo Scotiæ Rege. Hæc enim ad annum gratiæ milleſimum centeſimum nonageſimum nonum refert, perq: ducem oculis orbatum Thorfinnum filium Comitis fortè, (licet ſtrangulatum addat) non Comitem Haraldum intelligit, qvem ſemper Comitis titulo, nunqvam ducis inſignit. De ſtirpe autem ejus caſtrata, colleq; qvi à teſticulis nominatus, memoriam rei geſtæ ſervet, noſter planè ſilet: neqvaqvam præteriturus, ſi ſcivisſet: ignorare autem non potuit, cùm eodem tempore vixerit, & ut videtur præſens, cæteraq; diligenter notaverit. Collis tamen nomen ſiti circa vallem modò nominatam, ab Eyſteini proprio viri nomine profluxiſſe exiſtimem: cùm autem Danicâ lingvâ, teſticuli *eiſta* appellentur (ſunt enim plura locorum virorum fœminarumq; in Scotia nomina, certè illo ſeculo fuerunt, qvæ illa lingva impoſuit) ad illam fortè originem poſteritas collis nomen retulit, vocum ſimilitudine decepta: vallem enim, ubi caſtra metatus eſt Rex, tum ita dictam ex iis, qvæ modò retuli, apparet. Annus autem, ad qvem *Buchananus* hæc refert, licèt cum annalibus noſtris, qvi hæc ad annum MCXCVIII referunt cum noſtrorum traditione tamen nullo modo cohæret. Siqvidem Magnus Erlingi filius Norvegiæ Rex, qvi Haraldo Juniori avitum patrimonium clientelari jure conceſſit, in Sognia à Sverere Rege cæſus eſt, anno MCLXXXIV: nec poterit imperii ejus periodus ulterius protendi, uti nec bellum, qvod poſt Haraldum Juniorem cæſum ob Cataneſiam in contumeliam Regis Scotiæ ſubactam in qvindecim annos ſive produci, ſive differri, cùm itaqve cauſſa belli univerſusqve proceſſus deſcribatur, noſtrum potius ſeqvendum exiſtimo. Accedit, qvòd qvæ poſt Magni Regis mortem Haraldus in ſucceſſorem ejus Svererem Norvegiæ Regem deliqvit, cùm perduelles contra illum inſtrueret, annum à *Buchanano* adductum longè antevertunt, qvæ hic attexam.

CAP: XXXIX.

Sverir Sigurdi Bronchi Norvegiæ Regis filius naturalis, fabri pectinum filius habitus, in Fereyis educatus, fit presbyter: ſed cognito

gnito genere Regio, in Norvegiam profectus, bellum Magno Erlingi facit, vincit, regno eum exigit, tandem etiam occidit. Ejus in devicti ſobolem clementia. Filius Magni Sigurdus in Orcades ſe confert, humaniter à Comite Haraldo exceptus ubi eo connivente magnas copias colligit, qvæ ſe Inſulobarbos & Auripedes appellabant. Iis Regio titulo præfectus Norvegiam invadit, magnis ſucceſsibus atterit, totamq; ab ortu Stadam usqve ſubigit. Bergis hyemat. A Sverere deinde navali prælio, acerrimè geſto, tandem vincitur, & cum maxima ſuorum parte occiditur. Regis Svereris in Comitem Haraldum ira, ad qvam deprecandam cum proceribus omnibus in Norvegiam tranſmittit, ſit Regi Svereri ſupplex, veniam facti impetrat, Hialtlandia multatur, & media multarum in Orcadibus parte. Qvæſtores iis exigendis à Rege præfecti in Orcades miſſi, qvos donec Rex viveret, patienter ſuſtinet, poſt ejus verò mortem, eorum Præfectum per inſidias tollit. Ejus ætas, potentia, ſucceſſores & filia nomine Langalif, qvam Samundus Iſlandiæ civis uxorem poſtulabat.

Fuit Sverir Regis Sigurdi Bronchi filius naturalis. Qvo occiſo, cùm ſtirpem ejus maſculam ab Erlingo Skackio ad internecionem qværi mater animadvertit, poſtqvam fabro pectinum, nomine Unadi nupſiſſet (cujus frater Hrojus Epiſcopus Færeyenſis) diſſimulato, qvo patre ſatus eſſet Sverir, ejusdem fabri filium haberi eum voluit, qvò perſecutioni ſecuriùs ſubtraheret. Deinde educationi Epiſcopi commiſſum, literis usqve adeò imbui curavit, ut ad ſacrum paſtorale miniſterium conſecraretur, tum demum de vero patre à matre, qvæ Romam profecta, inter alia, qvibus conſcientiam exonerari cupiebat, pueri natales confeſſa, adultoqve filio à pontifice referare juſſa eſt, certior factus jam annorum qvatuor ſupra viginti, hiemem proximam in Færeyis ſubſtitit. Inde in Norvegiam profectus, nec multo poſt à factione, qvæ fratrem ejus patruelem Eyſteinum ſecuta eſt, Rex creatus, cum ingentibus moleſtiis complures annos conflictatus. Comite Erlingo Skackio Regis patre, cum multis proceribus occiſo, Rege ter fugato, bis finibus Norvegiæ ejecto, tandem in Sognia viribus, ut ſemper aliàs, longè inferior, ipſum Regem occidit, regnumq; occupat, anno MCLXXXIV. feſto Viti & Modeſti, qvod illo anno in feriam hebdomadis ſextam, ſeu diem Veneris incidit, XVII Kalendas Julii ſeu XV Junii, anno biſextili, literis dominicis A & G notato, qvæ nota de anno, qvem ſupra adduxi, certos nos reddit, cum is feſtum illud in diem Veneris referat, neq; enim annus MCLXXIX, qvo dies Veneris idem feſtum recipit, hic locum habet, cum annorum eorum geſta certiſſimis indiciis nobis nota ſint. Sverir victoriâ moderatè uſus, filium Erlingi Skackii Sigurdum nothum in aulam receptum, longo tempore ſplendidè enutrivit, paſſus etiam Magni Regis ex Giride Aſlachi junioris filia filium, Sigurdum qvoqve dictum apud Amitam ſuam Ragnhildem Erlingi Skackii & Chriſtinæ Regis Sigurdi Hieruſolymipetæ filiam, Hallkelis Jonis filii, uxorem educari. Hic Hallkell, Hallkelis Huki nepos fuit, & qvamvis nuper jus Præfectorum à Rege Sverere aſſecutus fuiſſet, nihilò tamen minus

nus clandeſtina conſilia, de reſtituendo Sigurdo in regnum, agitabat, aſſumpto in ſocietatem conſilii Olafo, Comitis Haraldi Maddadii affine, Sigurdo etiam Comitis Erlingi filio, ipſius Svereris alumno, nullius horum experte relicto. Placuit ad præcavendam ſuſpicionem Sigurdum Olafo avehendum, commendari, qvi dum cum Rege, qvodam die, pro more ſermonem inſtitueret, fidem qvidem tuam Olafe, ait Rex, reqviro, unde hæc cum Olafus reſponderet, Rex manu cultrum tenens, oberrant hîc inqvit inimicorum genii (id qvod *Codex Flateyenſis* cæteris MSS. minùs ad fidem adiicit) egreſſusq; in veſtibulum Olafus, filio Regis offenſo, prope ſe jam proditos retulit. Eodem auctumno Sigurdum ſecum in Hialtlandiam, ubi ei plurimum agri, devexit, poſt octennium à cæde Regis Magni elapſum, anno nimirum milleſimo centeſimo nonageſimo ſecundo; & proximo vere in Orcades ad Comitem Haraldum, ubi amicè & benigne ſuſceptus eſt. Eadem æſtate Hallkell prætextu piraticæ, in Occidentem dirigendæ, myoparone optimè inſtructo eò devectus, tum demum Comiti, per Olafum ſignificavit, ad opem ejus implorandam, Magni Erlingii Norvegiæ Regis filium eò deveniſſe. Comes memor amicitiæ qvæ inter ſe & patrem ejus arcta interceſſerat, mioparonem ei abundè inſtructum donavit, factâ inſuper copiâ militis, intra ditionis ſuæ limites comparandi. Mox Sigurdo Regis titulus ingeſtus, inde magna mortalium copia ex Orcadibus & Hialtlandia ad eum confluxit, qvibus in certos ordines diſtinctis, dignitas pro cujusq; ſorte data. Comparatâ itaqve magnâ claſſe, eadem æſtate Norvegiam repetentes, magnis itineribus in Vikam nullâ adventus ſui famâ præcedente, etiam Tunsbergam pervenerunt, ubi occiſo Jone Regis Svereris conſobrino, & Helgio Bring, Regis vexillario, multisq; aliis ex Birkebeinis (ſic appellabatur factio Svereris, per contemtum primò, qvod ligneos calceos vimine pedibus alligarent, hinc betulipedes dicti qvi poſtea ad prioris ſortis memoriam, idem nomen retinebant jam purpurati) occiſis, in publicis comitiis Sigurdus Rex conſtituitur. Hæc factio Inſulobarbos & Auripedes ad Betulipedum differentiam ſe appellavit. Inde Oſleyam profecti, omnes, non ſolùm illius urbis cives, ſed & univerſam Vikam ad obſeqvium traxerunt. Cumq; multitudine abundarent, & anguſtiis ſimul provinciæ conſtringerentur, nec deditis per vim ſua eripere, aut exactionibus eos gravare vellent, in Daniam vires convertunt & mox ulterius usqve fluvium Travam, ubi mercenariis navibus interceptis, opima præda, ingens ſubſidium, parta, panni ingens copia, auriq. & argenti multum. His aucti in Norvegiam eodem auctumno redeunt. Qvibus ad Svererem in Thrandheimum, ubi ſedem elegerat delatis, per ſuperiora copias in Vikam ducit, ubi qvidam copiarum duces remanſerant, qvi appropinqvantibus inſulobarbis Burgi (Sarpsburgi prope urbem Fridrichſtadum) convenerunt, trecentis militibus inſtructi, qvos in aciem hi duces eduxerunt, Sigurdus Lavardus Regis filius, Philippus Birgeris Oſtro-Gothorum ducis filius, Svereris amitinus, Hacon Galin poſtea, Comes, ſororis Regis filius, Petrus Stiggus, Hiarandius Hida pluresqve alii proceres. Ad qvos Inſulobarbi, navibus per flumen contendentes, ubi in ſuburbanos Sarpsburgi campos pervenerunt, aciem inſtruebant, qvorum exſuperante multitudine conſpectâ Birchibeini territi fugam illicò capeſſebant: Inſulobarbi verò miſſilibus & jaculis inceſſantes, qvosdam eorum occiderunt. Exinde, nemine reſiſtente, cùm univerſam Vikam in poteſtatem redigiſſent, Bergas exercitum affecto auctumno deportabant, ibiq; hiemantes univerſam Norvegiam ad Stadas usqve verſus aqvilonem tributo ſubjecerunt. Exſtruxerat ibi caſtellum Sverir, cui Sigurdum Borgarklettum, relictâ, ut habet Chronicon Danicum, in cuſtodia ejus Reginâ, præfecit: id cùm ſæpius eminus miſſilibus oppugnarent, neq; enim cominus aggredi præ jaculis caſtellanorum licuit, re tandem infecta receſſerunt. Multi interim è provinciis, undiqve ad eos tranſibant, in militiam deinde ſatellitiumq; recepti. Eodem auctumno Sigurdus Erlingi Skackii filius, è nutricatu Regis Svereris ad eos profugit, interqve duces adſcitus, prudentiæ ſpecimen oſtendebat. Tempore qvadrageſimæ Paſchalis, dum Olafus, Comitis Orcadenſis affinis, ſacris in æde Divi Olafi celebratis intereſſet, manumq; columnæ imponeret, qvidam Bergenſium ad-

moto arcu obſerato, aculeo eam transfixam columnæ affixit, ingensq; vulnus acceptum eſt. Per hiemem milites per provincias vicinaq; hoſpitia ſparſerunt, de adventu Svereris ante vernum tempus ſecuri. Verùm ille ſibi metuens, omnibus ad excipiendum eos, tanqvam in ſingulos dies imminentes, præparatis, copias è circum jacentibus provinciis Nidaroſiam evocavit, partemq; magnam ſuorum per hiemem in vaſto diverſorio, Gildiskala dicto, in omnem eventum paratam, usqve in tempus qvadrageſimæ, cum claſſe ſubitò Thrandheimo, parvis navibus, nec ulla viginti loculis majore, pluribus etiam minoribus ſolvit, citatoq; itinere omnes famam ſpeculatorumq, ſollertiam præveniens, Bergas pervenit, pridie dominicâ palmarum. Cum Inſulobarbi conventum haberent, Olafus Comitis frater Svererem prope diem adventurum indicans, conſilia eorum exqvirit, fugane an pugna eligenda: Sigurdum Erlingi filium cum tribus navibus in Stafangria abeſſe, totidem Eyſteinum Korpum in Sogniam abduxiſſe. Svaſit ergo, ut Stafangriam properarent, qvò Sigurdi naves ſuæ claſſi commodius adjungant. Ad ea Halkell reſpondit, copiarum viribus ſe qvidem à Sverere hoc ſtatu ſuperari non poſſe, conſiliorum pondere ne ſuperarentur providendum: iis enim omnes ejus adverſarios viros ſe longè præſtantiores ſuccubuiſſe: his ſi pariter inſtructi decernerent de victoria neutiqvam dubitandum. Pluribus belli fortunam experiri placuit. Hoc eodem veſpere, ſub occaſum ſolis, Sverir prope Bergas claſſem appulit, lemboq; in urbem vectus, fit certior, de eorum conſiliis, reliqva claſſis in Grafdalum delata, ipſe in Holmam ad templum deflexit, ubi corpus Epiſcopi Pauli ad exſeqvias funebres præparatum deprehendit, qvi eodem die exſpiravit. Inde urbem ingreſſus milites à civibus ad prælium depoſcit, mox diſcedens ad ſuos, claſſem ad promontorium Hvarfsneſiam applicat. Ipſe ſpeculatum oriolâ, ad claſſem eorum, remigans, Hallkelem ſvadentem audivit, ut primâ luce hoſtes adorirentur, navibusq; invicem ad mutuum auxilium revinctis, rem lapidum imbre primò acerrimè, iis deficientibus, omnis generis miſſilibus ſtrenuè gererent, deinde gladiis cominus impetu qvanto poſſent maximo, qvoad hoſtes debilitati, ad vires in poſterum reſumendas inhabiles redderentur. His auditis Rex, ad ſuos rediens, qvid agitarent, expoſuit. Occupari itaqve, qvàm exſpectari pugnam, anteq; diem eos impeti jubet. Qvò verò ſe invicem inter tenebras meliùs noſcerent, lintea proris ſingularum navium appendi: cumq; altioribus navibus humilioribus eſſet congrediendum, ſuas naves invicem ligatas eorum claſſi cominus, ſed adeò dextrè applicari præcipit, ut ictus gladiorum ſubeuntes præterirent: impetum enim non impetu propulſandum, ſed protegendo corpora ſua donec ardor ille langvere inciperet, eludendum, deinde omnes vires in feſſos effundendas; remorum præterea armorumq; in primis diligentem curam habendam monet: nam & iis etiam victores indigere. Viginti naves omnes parvas Sverir, tredecim illi ſingulas magnas habuerunt. Qvi cum ad primam lucem, ſine velis, in portu Floruvogis dicto manſiſſent, ſolutis rudentibus, qvi ſaxis obvoluti, naves in ſtatione tenebant, concitato remigio portu exeuntes Birkibeinos qværebant, navibus à prora puppiq; colligatis, ſimul agmine procedentes. Cùm autem tenebræ proſpectum impedirent, naves Svereris prius conſpectæ non ſunt, qvàm eas impetu in ſe ruentes ſentirent. Sublato itaqve ab utraqve parte militari clamore, Inſulobarbi magno impetu naves funibus cominus tractas in aciem cogebant, verum tantâ celeritate impulſæ aliæ aliarum remos detergebant, omnibus invicem vinctis, Birkibeini in eos invecti, longè alacriori impetu excipiuntur, obruti omnis generis miſſilium grandine, clypeis velut contabulatis, teſtudine facta, confertim ſe protegebant, ut facilè appareret peritos talium fuiſſe. Ceſſante telorum nimbo, hoſtiumq; ardore langveſcente, Sverir ſuos hortatur, arma protinus expediant, navesq; propiùs admoveant, oſtendantq; ſe eſſe illos Birchibeinos, qvorum gladios non hebere, qvotqvot iis ad illum diem congreſſi fuerint, ſuo malo didicerint. Subitò itaqve exorti, alii lapidibus & ſaxis, jaculisq; & haſtis, alii gladiis punctim cæſimq; feriendo hoſtes undiqve impetebant. Verùm illi, reſumto ſpiritu nihilo ſegniùs rem gerentes, majorum navium opportunitate uſi, ictibus haut vanis Regios laceſſebant,

ſebant, regiamq; navem remulco injecto, occiſis proretis, captoq; vexillo ad malum usqve propugnatoribus nudatam, jam qvoqve concendere conantur. Tum Rex ſuos inclamans, ut hoc malum averterent, adeò eos accendit, ut alienatis à periculi ſenſu animis, fortiſſimè in hoſtes invecti, aut invaſores occiderent, aut de Regia navi deturbatos, in proprias propellerent, ſimulq; ſuam navem inciſo remulco extricarent, plures qvoq; earum, qvæ propiùs acceſſerunt, injectis vinculis indepti, hoſtes vaſtabant, eodemq; impetu multo plures ex Birkibeinis cæſi ſunt, cœterùm ubi ſe ab hoſtibus extricabant, Rex eos paulum cedere juſſit, mox reſumptis viribus acriùs pugnaturos, neq; enim tantam procellam, deinceps excitaturos hoſtes, qvi jam cum impetu totas vires effuderunt, nec dubitandum, qvin etiam illi vulnerum dolorem, haud minus qvam ſui ſentiant, at Inſulobarbi, ut Regem cedentem animadverterunt, in fugam verſum exiſtimantes, inſtandum victis rati, ſvadente Olafo Comitis affine, reſciſſis catenis, qvæ claſſem illorum connectebant, qvo expeditiores ſingulæ forent, alacriter perſeqvebantur, verùm deficientibus remis, qvi primo congreſſu fracti, cum à vectoribus dirigi non poſſent, fluctibus in diverſa actæ ſingulæ, à duabus tribusve Regiis invaduntur. Eodem tempore ſubſidiaria urbanorum civium navis, centum armatos, ſingulos loricis annulis conſertis, tectos vehens, auxilio Regi tempeſtivè advenit, invectiq; in hoſtium naves, unam poſt aliam expugnant, relictisq; ſuis, eas, qvippe majores impoſito milite occupant, vexillum Regis Sigurflugam, id eſt victoriosam muſcam appellatum Inſulobarbi in prætoriæ ſuæ navis prora erigebant, eam igitur Birkibeini totis viribus adorti, tantiſper premebant, donec eo recuperato ſimul agmine infuſi, à prora ad puppim vectoribus vacuam facerent, omnibus occiſis, Sigurdus Regis Magni filius in mare proſiliens, inter natandum occiditur, mox duæ naves concitatis remis fugiebant, qvarum ductores Lodinus Pauli Smattaugæ ſeu parvi oculi filius, & Hallvardus Brattus, Olafus Comitis Haraldi affinis poſt cædem ſuorum in undas præceps ruens litori adnavit, qvem Birkibeini in vadis occurrentes trucidabant. Hallkelis navis, qvod eſſet omnium altiſſima & ſtrenuiſſimis militibus inſtructa, noviſſimè in poteſtatem redacta eſt, ipſo cum maxima claſſiariorum parte cæſo. Intercideraat hoc bellò maxima Inſulobarborum pars, qvæ auſpicium dictumq; Sigurdi ſecuta eſt, exceptis iis, qvi prælio aut non interfuerunt, aut qvibus pepercit victor. Ante reditum in urbem Rex ſacra celebrari prohibuit, ni nimis diu bello diſtineretur; jam verò victor, cum hoſtium navibus advectus, ad horam ſacris peragendis ſollennem rediit, eaq; peragi curavit. Paullò poſt prælium Bardus Guttormi filius, Benedictus parvus, & plures alii deceſſerunt. Corpus Sigurdi Regis filii inventum, omniumq; conſpectui ſubjectum, qvò dubitatio evidentiùs eximeretur, de duce Inſulobarborum interemto, adq; Divæ Virginis templum juxta chorum, auſtrum versùs, amplo ſepulcro juſſu Regis conditum, cui multa Inſulobarborum cadavera, & ſupremo loco Olafi Comitis affinis illatum eſt. Fama fuit, non aliàs tam imparibus navibus dimicatum. Navalis prælii peritiâ Birkibeini, cavendiq; ſollertiâ prævalebant, audaciores ſimul & incautiores Inſulobarbi, qvi, ſi primo congreſſu remos pariter, ac Birkibeini, conſervâſſent, victoriam qvoqve reportâſſent. Sigurdus Comitis Erlingi Skackii filius, cognita ſuorum clade, effusâ fugâ, in Vikam, inde in Daniam cum parte copiarum navigavit, pars in diverſa ſparſi, pars victoris clementiâ conſervati veniam qvoqve impetrabant. Ira omnis in Comitem Haraldum Maddadium, Orcadenſeſq; verſa ad qvem oppugnandum claſſem Rex dirigere decrevit. Qvo in Orcades relato, Haraldus valdè ſibi metuens, ad culpam deprecandam, cauſſæ præſidio deſtitutus, aſſumto itineris Comite Epiſcopo Biarnio, omnibusq; proceribus in Norvegiam tranſvectus, Bergas qvo tempore omnes regni Epiſcopi à Rege ad comitia evocati convenerant, pervenit. In cœmiterio Ædis Redemtoris, cauſſa Comitis examinabatur, ſatellitibus Regium tribunal undiqve circumſtantibus, aliis propter conſidentibus, extra qvos alia circa Comitem ſtatio diſpoſita. Ejus orationem his verbis Codex Flateyenſis, in Regis Svereris vitâ narrat. In hoc celeberrimo nobiliſſimorum virorum conſeſſu, auri-

um,

um, animorumq; favore, magnopere jam ſenex indigeo: nam & ætatem canî indicant, ſenii indices. Non inſvetus Regum, qvorum multos acceſſi, aliis acceptus aliis inviſus, jam præter ſpem in offenſam Domini mei Regis Svereris incurri, culpâ magis imputata, qvam commiſsâ. Perduellionis auctor non fui, ſed nec perduelles oppugnavi: neq; enim integrum mihi, omnium ſubditorum odia in me concitare, qvoad iis Comes impero: neqve omnia, qvæ Orcadenſes faciunt, meâ voluntate fiunt. Multi excurſionibus Hiberniam & Scotiam vexant, aut etiam mercatores ſpoliant, omnia hæc me invito, qvantumvis in pœnis exigendis haut mitis habear, ſed qvid hîc verbis opus eſt: hanc enim cauſſam univerſam Dei, Regisq; Svereris clementiæ & arbitrio committo: procedenſq; à ſtatione ante pedes Regis in genua procubuit. Rex conſpecto Comite parumper circumſtantes intuitus conticuit, deinde infit. Eqvidem magnum ſubditis meis exercitus, tam validus Orcadibus excitus, damnum intulit: jam verò Comitem facti pœnitentem, clementiamq; implorantem conſpicitis, qvam hôc faciliùs impetrabit, qvò ea magis apud Deum indigeo. Exſurge mi Comes, Dei meoq; beneficio, periculi ſecurus: conditiones pacis, cùm tempus magis vacat, edicam. Omnium eorum, qvi in Floruvogis exſi ſunt agri in Orcadibus & Hialtlandia, in matriculam juſſu Regis relati, & Regio fiſco adjudicati, propinqvis intra triennium redimendi poteſtate factâ: qvo elapſo, qvicqvid redemtum non eſſet, allodiali jure in perpetuum ærario cederet. Hialtlandia inſuper, cum omnibus reditibus, Comiti ademta fiſcoq; aſſerta qvæ nunqvam deinceps Comitibus Orcadenſibus paruit. Orcades ſolæ Comiti Haraldo relictæ, multarum pœnalium dimidia parte Regi reſervata: eiq; exigendæ Qvæſtores Regii ordinati, qvorum præcipuus Arnius Liora. Singula his iisdem Comitiis circa XXIX Junii peracta inſtrumentis publicis juſſu Regis conſignata, Comitisq; Sacramento ſub diſceſſum confirmata ſunt. Fides, qvamdiu Sverir vixit, culta, cujus metu Comes Arnio ſe facilem oſtendit. Rege autem mortuo, cum inteſtinis bellis Norvegia concuteretur, Arnium per inſidias necandum curavit, Hialtlandiamq; & Orcades in priſtinum ſtatum reduxit. Qvinqvennis erat Haraldus cum Comes crearetur; viginti annos ſimul cum Sancto Rognvaldo, & poſtqvam is cæſus erat XLVIII. ſolus imperavit. Deceſſit placidè, anno ſecundo imperii Ingii Bardii Norvegiæ Regis, qvi à Chriſto nato MCCVI. effluxit, ætatis ſeptuageſimo tertio. Princeps pace belloq; juxta clarus, prudens & perſpicax, ſtaturâ corporis, roboreq; magno, facie turpi. Ei in imperio ſucceſſerunt filii Jon & David: Henricus Roſſiam Scotiæ provinciam adeptus eſt. Comitum Orcadenſium potentiſſimi memorantur Sigurdus Eyſteini Glumræ filius, Thorfinnus & Haraldus, de qvo agimus. Biarnio Epiſcopatum Orcadenſem tenente, fratris ejus Kolbeini Karlis filius Thorkell cognomento Roſtungus, nave mercenaria, ſinum Iſlandiæ Borgarfiordum ingreſſus, Borgi portu capto, ipſe qvoqve ibidem hiemabat. Ibi tum Snorrius Sturlæus rector illius, pluriumq; provinciarum habitabat, vir potens, jam ſuis ipſe ſcriptis paſſim celebris. Inter eum & mercatorem de farris pretio, gravis controverſia incidit, qvod minoris venire Snorrius, majoris mercator voluit. Inſpectante itaqve mercatore far auferri mandat, id qvod diaconus de Borgo intrepidè exſecutus eſt. Sveinus autem fratris Snorrii filius, cum fatali morbo conflictatus peregrinis ſuccurrere neqvibat. Mercatores vim ſibi fieri indignantes, cùm ad navigationem omnia apparâſſent, lethali Diaconum vulnere ſauciârunt. Impatiens ultionis Snorrius, fratres ſuos cum ſubditis convocat: trepidè Thordus ad Mercatores cædendos acceſſit, freno Sigvatus alter frater indigebat. Navem tamen in alveo ſinus aggrediuntur, ancoralia inciſuri: verùm iis pvovidus mercator, ferreas laminas obduxerat ita, ut ictibus non læderentur: inſuper nautæ tanta alacritate ſaxa & ſpicula in ſubeuntes ingerebant, ut re infecta recederent. Evecti deinde in altum adverſis ventis eodem auctumno in portum Eyrenſem, (hodie Eyrarbacka) repulſi ſunt. Thorkell navis præſes Oddam ad Sæmundum Jonis Lopti filium deducitur, ibiq; per hiemem humaniſſimè excipitur, idq; in gratiam Epiſcopi Biarnii, cum qvo Sæmundo magna amicitia: Immiſerat tunc Snorrius

ſemel

ſemel atqve iterum in Thorkelem occultos percuſſores, ſed fruſtra. Omnium Islandorum facilè potentiſſimus Sæmundus erat, longeq; nobiliſſimus, qvippe Regis Magni Nudipedis pronepos. Cumq; legitimam uxorem non haberet, Comitis Orcadenſis Haraldi Maddadii filiam petebat uxorem, cui nomen Langalif. Annuit Comes, ſi ſe adire, inqve Orcadibus nuptias celebrare vellet; aliter eam dimittere nolebat. Sed nec Sæmundus patriâ excedere ſuſtinebat.

CAP: XL.

Nova in Norvegiâ factio, Bagli appellati, iterum regni ſtatum graviter concutiunt, Reges ſibi creant, qvorum res valdè crevit. Interea Orcadenſes animos ſumunt, ut & Habudenſes: ſed factionibus compoſitis, paceq; reductâ, iterum Comites Orcadenſes David & Jon ad obſeqvium Regis Norvegiæ Ingii redeunt. Obitus Davidis. Sculii Comitis Norvegiæ, occulta cum Comite Jone conſilia. Epiſcopi Cataneſiæ Adami avaritia & incendium. libri I. epilogus.

Noviſſimis Regis Svereris annis, exortâ nova factio, Bagli appellata, ſeptem continuos annos, qvibus is vixit, qvietum & florentem Norvegiæ ſtatum inteſtino bello turbavit. Dux datus Ingius, pro Magni Erlingi filio ſe gerens: agnitus etiam à proceribus factionis Magni, qvi invidia odioq; Svereris concitati falſum, qvàm nullum filium Magni Ducem acceptabant, ad qvem imperitum vulgus, exemplo inſtinctuq; eorum ſeductum, facilè confluxit. Eodem anno, qvo Sverir obiit, à ruſticis cæſus eſt: ſeptem de imperio dimicavit. Ne verò genus Magni, qværentibus ducem, deeſſet, ſtatim Ingio frater Erlingus, cognomento Steinveggus, paterni fraterniq; imperii jurisq; heres anno MCCIV. Rex ſalutatus, triennium iſti factioni imperavit Succeſſit ei Philippus, cui ſeqvente anno, ſeculi illius octavo, Ingius Norvegiæ Rex regni partem conceſſit ad ſeditionem componendam. Anno MCCIX utriqve Birkibeini Bagliq; initâ ſocietate, duodecim navibus occidentem piraticâ laceſſiverunt: transportati ab iis, ſimul præfecti, Orcadibus & Hialtlandiæ à Rege Ingio, Comiteq; præpoſiti. Hæbudæ, anno ſeqvente decimo ſcilicet, teſtantibus annalibus omnibus, inteſtinis Regum ſuorum bellis diſcordes ab iis exſpoliatæ, & in his inſula ſancta, ſeu Divi Columbi in illum diem ab injuriis Norvegorum intacta, & religione tuta. Mox ortæ inter ipſos diſcordiæ utrosqve ab invicem ſeparârunt, qvos ſparſos, diverſisq; in locis prælio fuſos, magna ex parte ferrum abſumpſit: reliqviæ cladis in Norvegiam reduces. Epiſcoporum ob ſacrilegia inſectantium procellis vexatæ, ſuccubuerunt. Toto tempore ab obitu Regis Svereris, (illo enim vivo Comes Haraldus Maddadius nihil auſus eſt) regnantibus ſucceſſoribus, filio Hacone, nepote ex filio Guttormo Sigurdi Lavardi filio ſororis Svereris Ingio Bardio, Comites Orcadenſes ex calamite Norvegiæ magnos ſibi ſpiritus ſumſerunt, retentaq; Hialtlanda, cum reditibus multarum etiam Orcadenſium partem Regi debitam ſibi vindicârunt. Ut verò, ſopitis diſcordiis, pacem in Norvegiâ coaluiſſe cognoverunt, miſſo legato Epiſcopo Biarnio, pacem veniamq; petebant. Qvi Rege Ingio & Comite Hacone Galine ſeu furioſo per antiphraſin dicto, Bergis aditis, Comitibus tutum acceſſum publicâ fide munitum, in ſeqventem annum impetravit. Tunc Comites, Epiſcopusq; Biarnius in Norvegiam profecti, Regi Comitiq; judicium arbitrio ſuo exercere permiſerunt. In magnam pecuniæ ſummam damnati, prædibus inſuper, obſidibusq;

datis, ſacramentum fidei in poſterum ſincerè præſtiterunt, in Orcades & Hialtlandiam deinde, conditionibus, qvæ ad exitum vitæ eorum ſervabantur, reſtituti. Qvæ qvidem relatio mihi de Hialtlandia, eò ſuſpectior eſt, qvòd hæc non ex chartis pergamenis, ut cætera, ſed tantùm è *Chronico Norvegico Danico*, qvod ſæpe impingit, deſumo: cùm tamen Comitum Orcadenſium hiſtoria teſtetur, ab eo tempore, qvo Haraldus Maddadius Hialtlandia excidit, nunqvam eam ſub Comitum Orcadenſium imperium rediiſſe. Non ſolùm Comites Orcadenſes, poſt mutatum Norvegiæ ſtatum, ad obſeqvium redierunt, ſed etiam Hæbudarum Reges, poſtqvam piratæ Norici inſulas flammâ ferroq́; vaſtâſſent, veriti ne Norvegorum concordia in ulteriorem ſuam perniciem verteret, in Norvegiam profecti, à Rege Ingio & Comite Hacone Galine pacem exorârunt, redditisq́; cenſus reſiduis, juramentoq́; fidei & obſeqvii præſtito, eorumq́; beneficio inſulis in feudum receptis, domum redierunt. Conſtitutus tunc Kolus Hæbudarum Epiſcopus, poſtqvam Nemare aliis Reinarbo, præceſſore mortuo, qvadraginta annos Epiſcopo caruiſſent. Hacone Haconis filio, Svereris nepote, Norvegiæ Rege, anno MCCXV, ut annales habent, David Orcadum Comes obiit. Anno autem MCCXVII Sculius Comes, qvi trientem Norvegiæ imperio tenuit, novas res molitus, literas ad Comitem Orcadenſium Jonem, annulo Regis obſignatas ſcripſerat, Joſteinoq́; Thombi, ad navigandum parato, perferendas dabat. Id cùm ſuſpectum eſſet, Conſiliarii Regis, id temporis tredecim annorum adoleſcentis, Dagfinnus Bondius & Ivar Boddius miſerunt, qvi eas reducerent. Qvod olfaciens Skulius, prior eas repetivit, invectusq; in Conſiliarios, qvòd diſſidia inter ſe & Regem ſererent, adeò in Ivarem exarſit, ut prope periculum vitæ, in judiciario foro eſſet, nî à Regiis defenſus: officio tamen, ad evitandam Comitis ſuſpicionem ſe protinus abdicavit. Anno ſeqvente tempore æſtivo, cum occultis Comitis Epiſcoporumq́; machinationibus Regis jam creati mater, genus regium, Patremq́; Regem filio igniti ferri judicio, ſeu Ordalio, aſſerere cogeretur, Comes Jon & Biarnius Epiſcopus Bergis præſentes affuerunt. Qvod autem *Buchananus libro VII.* de Adamo Cataneſiæ Epiſcopo, in culinâ exuſto, ſcribit, id noſtri annales, ad eundem, qvem ille annum, nimirum MCCXXII referunt, *Codexq́; Flateyenſis* his verbis exponit. Poſt exceſſum, inqvit, Cataneſiæ Epiſcopi Jonis, qvem Comes Haraldus oculis lingvaq́; privabat, ſucceſſit Adamus, incertis parentibus natus: ad fores enim templi cujusdam infans expoſitus, inventus eſt. Hujus in exigendis decimis, inſolitus rigor diſplicuit: culpa tamen in monachum ejus cubicularium, vulgò conjecta. Uſus obtinuit, ut, qvi per univerſam Cataneſiam viginti vaccas poſſideret totidem marcas butyri, ſeu unicam ſpannam decumarum loco penderent: omnes autem qvotqvot eſſent, ſive plures ſive pauciores haberent, hac proportione obſervatâ, ita ſolverent. Tandem ille qvindenas poſſidentibus imperavit: qvi ubi obtinuiſſet, idem ab iis exegit, qvi duodecim paſcerent: in id cùm conſenſum eſſet, reditus in duplum aucturus, hoc ipſum in decem pecora impoſuit. Tandem verò ruſtici minimè hoc tolerandum rati, ad Comitem Jonem, tunc præſentem confluxerunt, qveſti injuriam. Ille eorum liti ſe immiſturum negabat; id enim ſibi tutiſſimum: interim tamen ultra poſſe neminem obligari confeſſus eſt. In Hakyrkia (ſeu edito templo, id enim nomen denotat, ſive id templi ſive prædii ſit) in Thorsdalis Epiſcopus, & apud eum Rafnus ſupremus provinciæ judex, nec procul inde Comes Jon conſtitutus erat, cùm in monte, qvi ſupra eſt, ruſtici conventum celebrarent. Rafnus identidem monuit, ut poſtulata remitteret: ſecus ab illis metuendum. Ille bono eum animo eſſe juſſit, fore enim, ut vulgus hoc imperitum frena ſibi ipſum injiceret. Miſit deinde ad Comitem Jonem, ut pacis auctorem ſe interponeret, ſed incaſſum: omne enim intercedendi miniſterium abnuit. Mox ruſticorum cohortes, agmine facto à monte decurrentes, prædium cum impetu petebant. Qvo viſo Rafnus Epiſcopum, ut confeſtim aliqvid in medium conſuleret, iterum monuit. Potabant in ſuperiori contignatione: qvò cùm ruſtici veniſſent, inviſus ille Monachus ad eos exiturus, in transverſam faciem percuſſus exanimis intra ſepta corruit. Hoc cognito, Epiſco-

pus

pus reſpondit, id ei opinione tardiùs eveniſſe, ſemper enim diſcordias in er ipſos concitâſſe: miſitq; ad eos Rafnum, qvi diceret ſe eis reconciliari velle. Qvo audito, qvotqvot prudentiores erant, gaviſi ſunt: pacificatum verò exeuntem, qvi ſtultiores, barbarâ ferociâ efferati, arripientes, in domunculam qvandam abducunt, eamqve facibus ſuccendunt, qvæ tam repentino incendio arſit, ut accurrentes in auxilium Epiſcopi, flamma præveniret. Parum tamen uſtum corpus ejus, incensâ domo, inventum eſt, qvod magno poſtea apparatu ſepultum eſt. De his per amicos Epiſcopi Alexander Vilhelmi Sancti (ita auctor habet) filius, qvi Scotiæ ſceptra illo tempore Rex gerebat, certior, adeò excanduit, ut pœnarum ab iis, qvi hæc perpetrâſſent ſeverè exactarum atrocitas cædibus, membris abſciſſis, bonorum publicatione, proſcriptionibus & exſiliis exercita, memoriæ hominum non exciderit. Octoginta viros ſcelerum molitores, manibus pedibusq; truncatos, qvorum multi ex vulneribus mortui, annales perhibent. De his exſtat *Thomæ Demſteri* teſtimonium Menologio Scotico inſertum pag: 22. ex Scoti Chronico à *Magno Maculone* exſcripto, ut & *Hectore Boëtio* deſumptum; *his verbis, ad menſis Septembris diem* 13. *in Cathaneſes Adami Epiſcopi & Martyris qvicqvid dignitatem Eccleſiæ ſuæ piè tueretur, à Comite loci in ardentem furnum conjectus in cineres reſolutus in cœlum evolavit, Rex verò Alexander II. tam indignè atrox id & impium facinus tulit, ut autores exqviſitiſſimis ſuppliciis ſubderet, præſentesqve & conſentientes genitalibus exſectis privarit, ne tam nefarii flagitii perpetratores hæredes gignerent, extant Cœleſtini IV. PP. bulla Regi, de tam inſigniter vindicatâ Eccleſiâ, gratias agentis, & collaudantis, & locus Martyrio vicinus Teſticulorum collis audit. S. B. T. Ibidem Serlonis monachi Mialroſienſis, & Martyris, qvi cum præſule Adamo eadem perpeſſus S.* Librum deniqve hoc loco ita concludit Auctor. Qvæ ad Orcadum Comites pertinent, enucleatiùs, qvàm fecimus, referre non poſſumus. Ad Haraldi Maddadii obitum continuam hiſtoriam Auctor noſter ſcripſit, qvam non ſolùm integram, ſed multis auctam, iis præſertim, qvæ aut planè deſiderantur, aut ad intellectum, tum rerum cum temporum, ex Norvegicis, Iſlandicisve hiſtoriis illuſtrandum faciunt, hæc qvoqve de Adamo Epiſcopo Cataneſiæ auctoris verbis ex *Codice Flateyenſi* diſcripta exhibeo. Cùm itaqve continuam rerum Orcadenſium hiſtoriam ulteriùs diducere neqveam, ſubjiciam ea, qvæ vel ex hiſtoriâ Norvegicâ, aut Danicâ, aut aliunde, vel ex annalibus Iſlandicis conqviſivi, in primis Epiſcoporum ſeriem, qvalem habere potui, Comitumq; ſubſeqventium nomina, qvorum memoria non intercidit, ad tempora glorioſæ memoriæ *Chriſtiani Primi*, totius ſeptemtrionis potentiſſimi Regis, qvi inſulas haſcè, cum Hialtlandiâ, Scotis hypothecæ titulo tradidit, ut infra dicetur.

Hiſtoriæ Orcadenſis

LIBER II.

De primis inſularum Epiſcopis, eorumq; Succeſſoribus, tum etiam Comitibus, qvi poſtea vixerunt, licet non continuâ ſerie, ſingulis ſibi invicem ſuccedentibus. eâ tamen, qvam annales exhibent, enumeratis usq; ad annum Chriſti, MCDLXIX.

CUm diſſenſum inter noſtrum Scriptorem de primis Orcadum Epiſcopis cum aliis authoribus, me indicaturum libro I. Cap. XVIII. pollicitus ſim, eorum indicem cœteris in hoc libro præmittam, præterito Servano, qvi ante poſtremam gentis ejus converſionem ad Chriſtum multis ſeculis. Anno nimirum CCCCXL. vixit eodemqve Anno Monaſterium ibidem fundavit, *teſte* THOMA DEMPSTERO *apparatu in Hiſtoriam Scoticam Lib. I. Capit. X. p. m. 46. & Cap: XIV. p 66.* mortuum autem ſtatuit in Pomonâ Orcadum Maxima die 13. Maji Orcadumqve Apoſtolum appellat, *Menologii Scotici pag: 10.* Inq; Inſcriptione ejusdem ad Cardinalem Barberinum D. Maphæum ſcribit. In Devcalidonio ſinu Orcades fidem hauſiſſe à Machuto, Servano, Nennio ſangvine ſuo conſecraſſe Adamum & Serlonem, qvorum poſtremi non in Orcadibus ſed Cathaneſia vixerint, de qvibus mox diximus. Memorat etiam inter Apoſtolos Orcadenſes S. Colmum ad An: MX. citatqve Breviarium Scoticum. Meminit & Bertrami Epiſcopi Orcadum ſanctiſſimi ad VI. Aprilis Kirvæ citatqve Calendarium *Adami Regii & Jacobi Cheynæi & Mundi* Abbatis ſanctitate mirabilis in Orcadibus ad 15. menſis ejusdem eodem Calendario citato, & ex eodem iterum S. Colmi ad diem 6. Junii.

Primum omnium poſt introducta ab Olafo Tryggvino Chriſtiana ſacra Orcadenſem Epiſcopum, *Adamus Bremenſis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Lib III. Cap. XLIV.* ordinatum ab Epiſcopo Hamburgenſi Adalberto, inqve Orcades miſſum, Thorolfum memorat, & alium qvendam, ejus credo ſucceſſorem Adalbertum. Factum id eſt tempore Comitis Thorfinni Sigurdi Craſſi filii, tradit enim *Bremenſis Lib. III Cap: XXVI.* Inter alias Septentrionales gentes etiam Orcadenſes legatos ad Archiepiſcopum direxiſſe, petitum, ut prædicatores ad ſe mitteret. Obiit autem Archiepiſcopus Adalbertus anno Domini MLXXII. XXVII. Cal: Aprilis, qvo verò anno hos Epiſcopos ordinaverit, non exprimitur. Iſtum Thorolfum in Orcadum deſcriptione, idem auctor juſſu Pontificis in civitate Blaſcona ordinatum refert; Non tamen diſſimulat, eas inſulas prius ab Anglorum & Scotorum Epiſcopis directas. Memorat etiam poſtea Epiſcopum, qvi eas inſederit. His ut videtur priorem Henricum, qvi in Angliâ Daniæ Angliæqve Regis Knuti Magni Sacellarius fuerat, poſtea à Sveino Eſtrithio Scaniæ Epiſcopus conſtitutus, Lundenſiq; diœceſi præfectus,

ctus, verùm ab Archiepiſcopo Hamburgenſi initiatum negat. Hujus luxurioſam vitam magnopere vituperat, de qvo narratur, ait, qvod peſtifera conſvetudine delectatus, inebriandi ventris tandem ſuffocatus crepuit. *Thomas Stubs de actis Pontificum Eboracenſium* Rodolfum Orcadenſium electum à Thoma Archiepiſcopo Eboracenſi, Epiſcopum conſecratum ſcribit, Malcolmo & ſanctâ Margaretâ in Scotia imperantibus; lecta & tradita profeſſione, qvæ ſic incipit; *In aſpectu Dei & hujus Eccleſiæ ego Rodolfus &c.* Sedit autem Archiepiſcopus Thomas ab anno Chriſti MLXX. ad annum MC. intra ergo illud ſpatium inauguratus erit Rodolfus. Idem Rogerium ab Archiepiſcopo Eboracenſi Gerhardo Rodolfi ſucceſſorem inauguratum refert, ſedit autem Gerhardus ab anno MC. ad annum MCVII. & VI. præterea menſes, intra qvod tempus Rogerium conſecratum concludo. Hujus ſucceſſorem idem auctor Radulfum Novellum urbis Eboracenſis, antea presbyterum in Eccleſia Sancti Petri ab Orcadenſibus electum, à Thoma Juniore Archiepiſcopo Eboracenſi ordinatum perhibet, qvi ei profeſſionem fecerit, & ſcriptam tradiderit, qvæ ſic incipit. *Ego Radulphus Orcadenſis ſanctæ Eccleſiæ &c.* Sedit autem Archiepiſcopus Thomas Junior ab anno MCVII. ad annum MCXIV, intraqve illud temporis intervallum Novellum ordinaſſe omninò oportet, vixit hic idem Radulfus anno Chriſti MCXLIV. Hujus Epiſcopi paſſim apud Scriptores Anglicos mentio fit, qvi omnes eum Epiſcopi Orcadenſis titulo honorant. Inter eos *Johannes Prior Hagelſtadenſis* in continuatione ad hiſtoriam Simonis Dunelmenſis ad annum MCXXXVIII. Radolfum Nuel, poſtea ad annum MCXLIV. eodem nomine eum appellat, Epiſcopumqve de Orcadibus nominat. Celebrat qvoqve *Richardus Prior Hagulſtadenſis*, de bello Standarii in geſtis Regis Stephani. Ejus luculentam orationem in eodem bello his verbis deſcribit *Johannes Brompton Abbas Jornalenſis*, cum David Rex Scotiæ Northumbriam vaſtaret. his præmiſſis:

David Rex Scotorum in Angliam innumerabilem exercitum promovit, omnia iterum ſicut prius devaſtando, & terram usq; ad flumen de Theyſe in confinio Eboracenſis provinciæ comburendo, & contra qvem milites & Principes Angliæ borealis animoſi, cum inſigni Comite Albermarle, & ex juſſu & ammonitione venerabilis patris Domini Thurſtini Eboracenſis Archiepiſcopi, viriliter reſtiterunt, fixo le Standard I. ſigno Regio apud Alberton, ubi licet qvidam aſſerunt, qvod dictus Archiepiſcopus Thurſtinus cum Regiis militibus occurrens eum fugaſſet, morbi tamen cauſa, ut qvidam volunt, cùm ibi intereſſe non poſſet & ideo Radulphum Orcadum Epiſcopum, loco ſuo miſit, qvi in acie media, loco ſtans eminenti, orationem hujus modi exorſus eſt: Proceres Angliæ clariſſimi, & genere Nordmanni, meminiſſe generis & nominis vos oportet, & inimicis reſiſtere decet, qvibus usq; in præſens nemo impunè reſtitit, audax enim Francia vos experta delituit, ferox Anglia à vobis capta ſuccubuit, dives Apulia vos ſortita defloruit, Jeruſalem famoſa, & inſignis Antiochia diſpoſuit vobis ſe, utraqve nunc autem Scotia vobis ritè ſubjecta, inermem præferens temeritatem, & rixæ magis qvàm pugnæ aptior, vobis reſiſtere, immò expetere jam conatur, in qvibus qvidem nulla rei militaris ſcientia, vel præliandi peritia, vel moderandi gratia invenitur. Nullus igitur verendi locus, ſed potius verecundiæ, qvod hi, qvos ſemper in patria ſua petivimus & vitimus, in patriam noſtram, jam ritu tranſverſo, velut dementes & ebrii convolarunt. Unum ergo vobis, ego præſul denuncio, qvod hi Scoti, qvi in hac patria templa Dei violarunt, altaria cruentarunt, presbyteros occiderunt, & pueros & præ-

prægnantes gladio peremerunt, condignas sui facinoris pœnas luent, in suo flagitio corruentes, quod omnipotens Deus hodie perficiet per strenuas manus vestras, attollite ergo animos O elegantes viri, & adversus hostem nequissimum, virtute patria, immò Dei præsentia freti, exsurgite, nec vos moveat eorum temeritas magna, cùm illos non deterreat tot vestræ virtutis insignia, illi nesciunt armari in bello, vos autem in pace ad bellum exercimini, ut postmodum in bello casus belli dubios minimè sentiatis. Tegitur vobis caput galeâ, pectus loricâ, ocreis crura, totum corpus scuto & ense, ut, ubi feriat hostis, non invenit, quem ferro circumseptum inspicit, nos ergo procedentes, adversus inermes & nudos, quid dubitamus? an numerum? certe non numerus multorum sed virtus paucorum bellum conficit, multitudo ipsa est, insolens sibimet ipsi, & impedimentum est in prosperis ad victoriam, & in adversis ad fugam, propterea majores vestri, & pauci multos sæpe vicerunt, quid ergo confert vobis gloria parentelæ, quid exercitatio armorum solemnis, quid disciplina militaris nisi multos pauciores vincatis? Sed jam finem dicendi faciunt hostes inoràmatè prorumpentes, & animo meo valdè placet, dispersæ confluentes, vos ergo qui hodie vindicaturi estis domum domini, & domini sacerdotes, terramq; vestram & parvulos vestros, si quis vestrùm hodie occubuerit prælians, vice Archipræsulis vestri, eum absolvimus, ab omni pœnâ peccati, in nomine patris, cujus creaturas fœde & horribiliter destruxerunt & Filii, cujus altaria maculando everterunt, & Spiritus Sancti, à quo separati impune ceciderunt, & confestim respondit omnis populus Amen Amen & resonuit terra in voces illorum.

Ex his fides auctoris nostri maximè videtur infringi, cùm Vilhelmum primum Orcadum Episcopum, non modò nobis obtrudat, sed etiam illo tempore Ecclesiis Orcadensium præfuisse tradat, qvo hæc de hoc ipso Novello traduntur, anno enim MCX, qvo Divus Magnus sublatus est, insuper anno MCXXXV. qvo Comes Paulus rerum potiebatur, seqvente qvoq; cum is raptu Sveini Asleifis filii avectus est, Rognvaldus successit, toto deinde ejus imperii tempore Episcopus Orcadensium fuisse perhibetur, ibiqve vixisse & Episcopale munus obiisse LXVI. annos, nostro Scriptori illud officium gessisse memoratur. *Annales Islandici* obitum ejus in annum Christi MCLXVIII. referunt, factus itaq; erit Episcopus anno MCII. Rogeriiq; & Radulphi tempore, floruit. Ad hæc respondeo, utrumq; posse subsistere, Eboracenses enim Archiepiscopi, jam dudum sibi jus per Scotiam & Orcades Episcopos constituendi arrogarunt, qvorum auctoritati Scoti acqviescere noluerunt, Orcadenses etiam licet maximè vellent, ab Episcopis tamen Hamburgensibus, id iis permissum non est, scribit enim *Adamus Bremensis*, ubi de insulis extra Norvegiam agit:

Post Normanniam, qvæ est ultima aqvilonis provincia, nihil habitationis humanæ, nisi terribilem visu, & infinitum oceanum, qvi totum mundum amplectitur invenies, is habet ex adverso Normanniæ, insulas multas, non ignobiles, qvæ nunc fere omnes Normannorum ditioni subjacent, ideoq; à nobis non sunt prætereundæ, qvoniam Hamburgensem parrochiam & ipsi respiciunt, qvarum primæ sunt Orcades insulæ, qvas Barbari vocant Organas ritu Cycladum, illæ sunt dispersæ per Oceanum.

Patet hinc electionem Episcoporum Orcadensibus aliter permissam non fuisse,

niſi ab Archiepiſcopis Hamburgenſibus probaretur, ab iisq; Epiſcopus ipſe inauguraretur. Cùm enim Knutus ille Magnus, tot regnorum dominus, Epiſcopos in Anglia conſecratos Daniæ imponeret, injuriam ſibi fieri ratus Archiepiſcopus Hamburgenſis Vnwanus, qvam minime coqvendam cenſuit. Scriptor enim hiſtoriæ Bremenſium in Vnwano tradit, cùm Knutus victor ab Anglia in Daniam rediiſſet, multos adduxerit Epiſcopos, de qvibus, inqvit,

Bernhardum poſuit in Scaniam, Gerbrandum in Selandiam, Reinerum in Finne, qvod zelatus Vnwanus, Gerbrandum redeuntem ab Angliâ, qvem ab Enoldo Anglorum Archiepiſcopo eſſe ordinatum cognovit, ille verò, ut neceſſitas perſvaſit, ſatisfaciens fidelitatem Bremenſi Eccleſiæ, cum ſubjectione debita ſpondens, familiariſſimus deinde Vnwano effectus eſt, per qvem etiam legatos ſuos ad Knutum Regem cum muneribus transmittens, congratulatus eſt, de rebus bene geſtis in Anglia. Qvod Rex gratanter excipiens, ita poſtmodum conjunctus eſt Archiepiſcopo, ut ex ejus ſententia, omnia deinceps facere maluerit.

Qvod ſi tantum Regem in ſuis Regnis liberè diſpenſantem Archiepiſcopus corripere ſuſtinuit, certè ad injurias Orcadenſium conniviſſe credi non poteſt. Cum itaq; vel ſcriptorem, qvem ſeqvor, vel qvos ille ſecutus eſt, latere non potuerit, qvinam illorum tempore Epiſcopatum in Orcadibus gerebant, aut qvi eos præceſſerit, ſtatuo horum Epiſcoporum, qvi Eboraci ordinati ſunt, neminem in Orcadibus habitaſſe, titulum tantum ad auctoritatem ſedis Eboracenſis tuendam conſervaſſe, reliqvos autem, qvi eos præceſſerunt, nullam certam ſedem aut redditus obtinuiſſe, ſed qvemadmodum in Norvegia & Svecia etiam Adami Bremenſis tempore, propter novellam plantationem Chriſtianitatis, nulli Epiſcopi certo limite fuerunt deſignati, ſed unusqvisq; Epiſcoporum à Rege vel populo aſſumpti communiter ædificabant Eccleſiam, & circueuntes regionem, qvantos poterant ad Chriſtianitatem traxerunt, eosq; gubernabant ſine invidia, qvamdiu vixerunt, teſte *Adamo Bremenſi Lib: II. Cap: XCIX* Cujus verbis utor, & idem in Dania obtinuiſe ſupra libro eodem Cap: XVI. his verbis teſtatur.

Adaldagus, inqvit Archiepiſcopus ordinavit in Daniam plures Epiſcopos, qvorum nomina qvidem reperimus, ad qvas verò ſedes ſpecialiter intromiſti ſunt, non facile potuimus invenire, æſtimo ea faciente cauſa, qvod pro rara Chriſtianitate, nulli Epiſcoporum adhuc certa ſedes deſignata fuerit, verùm ſtudio plantandæ Chriſtianitatis, qvisqvis in ulteriora progreſſus verbum Dei, tam ſuis qvam alienis communiter prædicare certabant: hoc hodie trans Daniam per Nordmanniam & Sveciam facere videntur

Et in Iſlandiâ ante Iſleifum, qvi primus iſtius inſulæ Epiſcopus cenſetur, multi Epiſcopi titulo clari docuerunt, omniaq; officii iſtius munia obibant, vagabundi tamen, ſine certa ſede, ſine proventu, tantùm ex civium vel munificentia vel miſericordia vixerunt, qvorum rationem auctor noſter non magis habendam cenſuit, qvàm populares ejus in illis Epiſcopis, qvi Iſleifum præceſſerunt. Qvin & ipſe Iſleifus jam Epiſcopus ab Adalberto Archiepiſcopo conſtitutus, cùm nullam ſedem iſti officio dicatam haberet, hæredium ſuum Skalaholtum in eum uſum donavit, cumqve nullis certis redditibus, ne decimis qvidem officio proviſum eſſet, ſemper egeſtate laborabat. Itaq; nullum eſt dubium idem primis illis temporibus in Orcadibus, alibiq; obtinuiſſe, nec enim hic traditur Thorfinnus Comes, qvi Archiepiſcopi Adalberti tempore vixit, vel Epiſcopalem ſedem fundaſſe vel dotaſſe, tantum cùm primùm fundata eſſet, locum ad templum, qvod ipſe ædificavit, delectum. His rationibus adductus, primum Orcadum Epiſcopum eorum, qvi ibi fixam ſedem

tenuerunt,

tenuerunt, Vilhelmum ſtatuo. Succeſſit ei Vilhelmus ſecundus anno — — — obiit anno MCLXXXVIII.

Excepit Vilhelmum Biarnius, qvem anno MCCXXII. obiiſſe annales referunt id qvod non ſubſiſtit, cum anno proximo MCCXXIII. una cum Comite Jone & Gregorio Kikero ex Hialtlandia, populoſiſſimis illis comitiis, qvæ Bergis feſto Divi Olafi celebrabantur, dum Regnum Norvegiæ Haconi Regi, unanimi omnium ordinum conſenſu, adjudicaretur, interfuerit, illo tamen anno (die Septembris XV. qvi ei juxta Calendarium fatalis erat) mortuum non dubito, cùm ſtatim Jofreir ei ſucceſſerit.

Anno MCCXXV. Ex Hæbudis ad Regem Haconem devenerunt Gilli Kriſtus & Ottar Snækolli filius, multas literas afferentes de neceſſitate ſuarum inſularum, advenerat & Comes Jon ex Orcadibus, ſeqve Regi reconciliavit, lite qvæ inter eos erat compoſita, relicto ad Regem filio ſuo Haraldo obſide, qvi hac æſtate apud eum detinebatur.

Anno MCCXXVI. Comparuit Bergis Rege Hacone, Sculioq; Comite præſentibus, Jon Orcadum Comes & Simon Hæbudarum Epiſcopus, eodem anno conſecratus, ut & ſanctæ inſulæ Abbas, qvorum negotia omnium primum cognita & expedita, iiq; dimiſſi. Eodem anno Haraldus Comitis Jonis filius, aqvis ſubmerſus eſt.

Anno MCCXXVIII. nuncius Jonis Comitis ad Regem Haconem Bergas magna & multa munera deferebat, qvem Rex viciſſim nave eximiâ cum univerſo apparatu, pluribus etiam aliis donis remunerabatur.

Anno MCCXXIX. Alanus Gallovidianus de qvo *Buchananus Lib. VII & VIII.* Rollandi Scotiæ Comitis filius, vir ſtrenuus, & nauticæ rei peritus, expeditionibus piraticis aſſvetus magna claſſe, militeq; numeroſo inſtructus, Hiberniam & Hæbudas populari, damnisq; afficere ſolitus, Manniam infeſtabat, verùm Olafus Gudrodi filius Manniæ Rex fiduciarius inſignem in Haconem Regem fide Regnum ſuum armis ab inſultibus ejus maſculè vindicavit, ubi, ſed ipſo inſcio, frater Rex Reginaldus cœſus eſt, ſed Hæbudarum Reges neqvaqvam pari fide Regem colebant, erant autem fratres Dugall Skrogus & Dungadus Sumarlidii filii. Inter Birkibeinos in Norvegia (Betulopedes) Uſpakus qvidam diu verſatus, tandem Hæbudarum Regum frater, Regisq; Dugalis filius (*Chronicon Mannia* Owmundi filium vocat) agnitus eſt, eum Rex Hacon anno MCCXXX. Oſloæ, Regem Hæbudarum fecit, Haconemq; appellabat, pollicitus, ſe ſeqvente æſtate eum in Regnum inducturum, proximo vere Bergas profectus navibus novem eum inſtruxit, qvibus Comes Skulius, Regius ſocer tres adjecit, his præfecti Sigurdus Sepill aliis Sæfill, Sigurdus Smidus ſeu faber & Paulus Balkinus, Regiæ claſſi ductores dati ipſe Uſpacus, ſecundam navem duxit Thormodus, Thingskorinn (aliud exemplar Thornskorinn eum appellat) tertiam Sorqvir, aliàs, Serkus Svignakiuka, qvartam Aulver Illteitt, ſeu pura malitia, qvintam Sveinungus Svartus ſeu Niger, Sextam Paulus Gaas, qvi reliqvis tribus ductores dati ſunt, non memorantur. His jam navigaturis ſupervenit Olafus Niger Manniæ Rex, pulſum ſe ab Alano referens, qvi Manniæ bellum illaturus eſſet, qvi non iſta victoria contentus, inſuper minatus eſſet, ſe arma Novegiæ illaturum, nec enim intercedens mare Scotis, qvàm Norvegis magis arduum, nec Norvegiam Scotia magis importuoſam dictitabat, verùm ultra minas non proceſſit. Poſt qvatuor dies Rex Olafus, Pauli Palkini nave conſcenſa, diſceſſit, ad Orcades delatus à Comite Jone nave magna bovis nomine inſignita donatus eſt, viginti navium claſſe, inde ſolverunt, qvo cognito Balkius, aliis Paulus Balkius juvenis Pauli filius, Ottar & Snækollus auſtrum versùs ad Skidam usq; navigantes, incidentesq; in Thorkelem Thormodi filium, mox adorti cum duobus filiis occiderunt, Thormodus autem, in vas qvod prope navem luitabat ſe præcipitans, undis in Scotiã ad Hakarskot, aliis Hattarskot aqvilonem versùs delatus, præſens periculum evaſit, inde Balkius & Ottar ad Regem Uſpakum devenerunt, poſtqvam claſſem cum univerſis copiis in portum Ilarſund, aliis Slarſund, reduxiſſent, Regibus Dugale Dungado,

do, eorumq; propinqvo principe Sumarlidio, ad epulas vinaq; generoſa invitantur, verùm Norvegi eorum fidem ſuſpectam habuerunt, nec ipſis ab Hæbudenſibus, major fides habita, itaq; Reges præſidio inſulanorum ſe muniverunt, verùm qvodam die Norvegi, cùm Dugall in Uſpaki fratris nave eſſet, exorti Sumarlidium occiderunt, Dungado absq; magna ſuorum jactura capto, huic irruptioni Uſpakus non interfuit, ſuperveniens autem fratrem Dungadum recepit, Dugalemq; fratris filium eorum iræ ſubtraxit, inſulis deinde copiæ navesq; ad octaginta contractæ, qvibus Satiria (Cantiria) promontorium à Scotia in occidentem extenſum, penè circumfluum, à Magno Nudipede Scotis ereptum, petita, aliud Exemplar Botam habet, arx inibi Regis Scotorum, uni è Stuartorum familia, tutelæ mandata, qvam ſtatim oppugnabant, verùm Scotis ſe fortiter defendentibus, picemq; & plumbum liqvefactum in Nordmannos & Hæbudenſes dejicientibus, teſtudine facta, muros molliori ſaxo ſtructos, dolabris à fundamento frangere cœperunt, qvidam adoleſcens à candelis, nomine Skagius, Skitradus, Comitem ſupra murum ſtantem ſagittâ trajecit, triduo perfoſſo muro, arx expugnata, ingens præda capta, inter cætera eqves qvidam Scotus, trecentis marcis auri ſignati ſe redemit, trecenti in oppugnatione Nordmannorum (& in his Sveinus Niger) & Hæbudenſium perierunt, mox fœda tempeſtas exorta, tres, aliis qvatuor Nordmannorum naves cum vectoribus abſumpſit. Cognitum deinde Comitem Alanum in auſtrali promontorii parte cum CL. (aliis fere ducentarum) navium claſſe excubare, eos aggreſſurum, itaq; ad aqvilonare Cantiriæ latus deflectebant, ubi cum aliqvantiſper ſtativa habuiſſent, Uſpakus mortuus eſt, magno omnium ſuorum luctu, itaq; Olafus omnium imperator conſtitutus, tranſmiſſis mercatorum inſulis, ibi diu hiberna ſtativa habuit, inde ad Manniam rediit, inciditq; in copias armatas, qvarum dux Thorkell qvidam Nialis filius, verùm indigenis adverſus Olafum pugnare nolentibus diſſipabantur, qvare Thorkell à Norvegis captus, compedibus aliqvantiſper detinebatur. Tres nummi Anglici è qvalibet vacca præter alimenta qvæ univerſo exercitui incolæ Manniæ, totâ hieme præbere tenebantur exacti. Sigurdus Sepill & Sigurdus Smidus (aliud exemplar Sigmundum nominat, nec cognomentum addit) Thorkelem non ſine multorum offensâ dimiſerunt. Appetente vere Norvegi è Mannia diſceſſerunt, Olafo Rege ibidem relicto, curſus in aqvilonem ad Cantiriam verſus, ibiq; exſcenſio facta, qvibus Scoti occurrentes manus cum ipſis conſeruerunt, levibus velitationibus Scoti rem gerebant, multorum ab utraq; parte jacturâ, cum Nordmanni ad naves rediiſſent, cognoverunt qvicqvid lixorum in terra remanſit, lebetesq; omnes interceptos, itaq; Cantiriam crebris irruptionibus vaſtarunt, inde in aqvilonares inſulas conceſſum, in Liodhuſa Thormodum Thorkelis filium oppugnabat, occiſisq; aliqvot, ipſum extra inſulas fugarunt, uxore cum univerſa ſuppellectile captâ, exinde in Orcades, inde in Norvegiam reditum. Magna gloria, hac expeditione Regis etiam gratia parta eſt. Paulus Balkinus in Hæbudis relictus paulo poſt à Gudredo, aliis Gudreko, Svarto ſeu nigro, Rognvaldi Regis filio cæſus eſt. Remanſit autem in Orcadibus è præfectis navalibus Uſpaki, Aulver *Illicit* aulicus Regis ferox iniqvus & crudelis, is ad Hanefum qvæſtorem Regium ſe contulit, fratresq; ejus Kolbeinum & Andream, & ejus exemplo alter etiam vir ſumma nobilitate, Snækollus Gunnii filius, matre natus Ragnhilde Eirici Slagbrelleris ex filia Ingigerde, divi Rognvaldi Kalii filia, irritatus injuria Comitis Jonis, qvi agrum Rognsvaldi poſteris hæreditarium, ad ſe jure ſucceſſionis delatum, per vim detinuit, multisq; precibus ſollicitatus reſtituere noluit, qvibus inſuper exacerbatus qvæſivit, Orcades ne ſibi, exemplo avunculi eripere moliretur, qvi reſpondit, ſcire ſe partem inſularum ab eo non impetraturum, qvi patrimonium jure ſibi debitum detineat, creſcente deinde in dies ira & indignatione Comitis, de ſalute diffiſus, ad præſidium Hanefi confugit, qvod is validum circa ſe habuit. Proximo autumno Comes Jon & Hanefus ſimul in Cataneſiam trajicientes, diſtinctis diverſoriis, cum ſuo qvisq; ſatellitio, in oppido Thorſa uſi ſunt, qvodam veſpere cum Hanefus cum ſuis potaret, qvidam ad eum ingreſſus, monuit, ut ſibi ſuisq; caveret, eadem enim

nocte

nocte Comitem Jonem, qvod eorum fidem ſuſpectam haberet, eos invaſurum, omnesq; ſimul occiſurum. Hanefo cum fratribus & Snækollo, occupandum facinus viſum eſt, cumq; eſſent ebrii, conſilium id cunctis probabatur, conſeſtimq; diverſorium Comitis adorti, ferro flammaq; oppugnabant, Comes in cellam ſubterraneam digreſſus, inter vaſa ſe abſcondit, eum Snækollus Sumarlidius Rolfi filius, Aulver Illteitt, Thorkell & Rafnus deprehenſum, novem vulneribus confoſſum occiderunt, occiſi & plures, inde Hanefus in Orcades rediens, vetuſtam in Vigure arcem, qvam Kolbeinus Hruga extruxerat occupavit, magna armentorum vi eò ad alimentorum uſum tranſvecta, mox exporrectæ ad ultionem neceſſitudines Comitis arcem obſidebant, cùm autem obſidio protraheretur, Hanefi propinqvi Kolbeinus Rennadalus, multiq; alii inducias, dum hyems præteriret, ſecuritatemq; pacti ſunt, ea lege, ut proxima æſtate, pars utraq; in Norvegiam transfretarent, judicioq; Regis Haconis ſe ſubmitterent, eò cum ſingulis navibus, prout convenit, utriq; conveniſſent, Regem Comitemq; Sculium ibi offenderunt, anno nimirum MCCXXXII, qvi erat decimus qvintus Regni Haconis. Admodum indignè Rex iſtud Hanefi facinus ferebat, itaq; convocatis Orcadenſibus, qvibus Sigvaldius Skialgius Comitis affinis præfuit, cædemq; jure perſeqvebatur, forum indixit, mox Hanefus cum fratribus & Snækollo Sumarlidio, & Andrea Rolfi Ketlingi filiis, in arce Bergenſi per dapiferos cuſtodiæ mandabantur, Aulver autem Illteitt Thorkell & Rafnus cum duobus aliis in inſulam Tauluholmam, aliis Totaholmam dictam, ducti, capite plexi ſunt. Qvidam interfectorum inter emiſſarios Regios nomine Biornus, cum ad ſupplicium duceretur, dum templum Divæ Virginis præteriret ſacra celebrari audivit, hic manus eorum elapſus, eqvidem ait, rectius ſacris interero, qvam vos ſeqvar, id qvod ei delicti gratiam fecit. Thorkelem autem Nigrum cum Sigvaldius in Svartabudis deprehenſum, per plateas circa Comitis Skulii hoſpitium ad ſupplicium duceret, Comes ne eum occideret, ſi graviter non deliqviſſet, oravit, imò reſpondit Sigvaldius, eò gravius deliqvit, qvod exanime Comitis corpus perfodit, qvo audito meritam pœnam non evaſit. Deinde Sigvaldius cum univerſo comitatu, qvi ex optimatibus Orcadenſium conſtabat, nave conſcenſa, domum navigabat: periit autem in reditu navis, nec ubi locorum fama, poſtea cognitum eſt, tantamq; jacturam Orcadenſes fecerunt, ne poſt longum qvidem tempus reſarciviſſe perhibeantur. Hanefus in Halogiam cum Paulo Vagaskalme profectus, in Dyniarneſia apud eum hiemavit, proximo vere Regem adiit, domumq; redeundi poteſtate impetrata, in itinere ad Hereyas repulſus, mortuus eſt. Ejus frater Kolbeinus in Thrandheimo obiit. Snækollus autem diu in aulâ Comitis Skilii, poſtea Regis Haconis vixit.

Anno MCCXXXIII. navis Judæorum in Orcadibus periit.

Anno MCCXXXIX. obiit Magnus Comes Orcadenſis.

Anno MCCXL. cum Hacon Haconis filius vivo patre Rex Bergis inauguraretur, juramentum fidelitatis ab omnibus Regni Ordinibus, Orcadenſibus inſuper & Hialtlandicis præſtitum eſt.

Anno MCXLIII. legati ab occidentalibus inſulis Hæbudis & Orcadibus retulerunt Regi Haconi res tranſmarinas motum ſpectare.

Anno MCCXLIV. Alexander Secundus Vilhelmi filius Scotiæ Rex, Princeps glorioſus & dilatandi imperii cupidus, miſſis ad Haconem Norvegiæ Regem legatis, duobus Epiſcopis, petivit, ut inſulas Hæbudenſes aliasq; ad occidentem Scotiæ adjacentes, qvas Magnus Nudipes Regi Scotiæ Melcolmo qvadam injuriâ extorſerit, ſibi cederet, verùm Hacon reſpondit, qvicqvid inter Magnum & Melcolmum de partibus Scotiæ, ſubjectisq; inſulis in poſſeſſionem Magni tranſlatis contractum fuerit ad Hæbudas referri non poſſe, cum Melcolmo in illas, aut illis ſubjectas, nullum jus, nulla poteſtas fuerit, qvas. vict Gudredo Hæbudarum Rege, perinde ac alias provincias majoribus ſuis hæreditarias bello repetiverit, hoc reſponſo accepto, retulerunt cupere Alexandrum, eas auro argentoq; redimere, petere itaqve, ut ipſe eas pretio pro ſuo arbitrio æſtimaret, ad hæc Hacon non ſe in præſens

auri

auri argentiqve in tantum egere, ut ea propter provincias Regni distrahere vellet, hoc responso legati dimissi domum repetebant, sæpius tamen per legatos idem sollicitabat, nec unqvam aliud responsum reportabat.

Anno MCCXLVI. Jofreir Episcopus Orcadensis vivis excessit.

Anno MCCXLII. qvo Hacon Rex Norvegiæ à Cardinale Vilhelmo, pompa secundum hominum memoriam inter Norvegos celeberrima coronatus, Haraldus Manniæ Rex Olafi filius, Gudrodi nepos eum accessit, inq; Vikam, ubi hiemare decreverat, secutus est, ibi filia Regis Cecilia, Gregorii Andreæ vidua, ei ambienti desponsa, nuptiæ in proximam æstatem, arbitrio patris, qvi Bergis eas celebrari voluit dilatæ. Eodem tempore Jon Dungadi (*Chronico Manniæ* Johannes Dugaldi) filius & Dugall, ex occidente advenientes, ambo simul septemtrionalem Hæbudarum partem cum Regio titulo expetebant, æstatemq; apud eum transigebant. Interea nuptiæ Regis Haraldi, cum filiâ Regis insigni apparatu confectæ, inde Rex ad conventum cum Sveciæ Rege institutum magna classe comitatuq; profectus, in Elldeyar Sunda, seu sinu Elldeyensi Jonem Dungadi filium Regem pronunciavit, qvi tanto honore auctus, in aqvilonares Norvegiæ partes Dugale comitante rediit, uterq; in Hæbudas Manniæ Regi Haraldo, itineris socii futuri, verùm proposito desistentes Jon Bergis, Dugall ad Regem Haconem in austris morantem profectus hiemavit, Rex autem Haraldus, cum uxore, splendidoq; comitatu, unica nave Bergis solvit, inq; itinere cum omnibus vectoribus vecturaq; periit in vortice Dynraust, qvi Hialtlandiam ab austro spectat, ut vulgo conjectant, eo qvòd fragmenta navis, in australis istius insulæ partes æstus devexerit. (*Chronicon Manniæ* prope fines Badlandiæ submersos perhibet, idq; ad annum seqventem refert.) Ingens damnum hac jacturâ acceptum, Hæbudensibus autem præcipuum infortunium, subita Principis morte, unica profectione tanti Regis affinitate, pluribusq; honoribus ornati, de qvo Rex Hacon proximo anno certior Bergas ad Regem Jonem misit, cum mandatis, ut absq; mora in Hæbudas proficisceretur, Regniq; curam gereret, donec plures Principes eo mitterentur, qvi ilico profectus mandatis paruit.

Anno MCCXLIX. Alexander, missis legatis, redemptionem insularum urgebat, sed interea exercitum tota Scotia collegit, bello eas extorturus, jactans apud suos, se non destiturum prius, qvam vexilla sua in oriente super Thursasker, vel gigantum scopulos extenderet, sibiq; universas imperii Norvegici partes (mare Solundense à Stadis incipit ab adjacentibus insulis nomen sortitum, Hialtlandiam ergo & Orcades simul erepturus fuisse videtur) misso præterea ad Jonem Hæbudarum Regem legato, eum ad se accivit, qvatuor Scotiæ Comitibus pro Rege fide jubentibus, aditum ad Regem fraudi ei non futurum, etiam si contractus inter eos non procederet, arcis autem Biarnaburgi, triumq; aliarum, qvas in fidem ejus Rex Hacon tradiderat, deditionem postulabat, pollicitus amplius, territorium in Scotia se ei redditurum, eumq; inter fideles amicos habiturum, id ut faceret, amici propinqviq; Jonis omnes svadebant, is autem negabat se datam Haconi fidem juratamq; deditione provinciarum ejus violaturum, itaq; mox Lodhusam rediit. Regi Alexandro in sinu Kialarsunda stativa habenti visio per qvietem oblata est, tres enim viri illum accesserunt, primus Regia veste indutus, statura crassus, facie rubra limis eum oculis, truciq; vultu aspexit, alter junior mireq; formosus, veste pretiosa, tertius cæteris procerior sed vehemens, Regem iracundè interrogavit, num Hæbudas petere decreverit, affirmanti se eas petiturum, & sibi subjecturum respondit, domum redi, id enim tibi utilissimum, Rex cum somnium suis exponeret, multos svasores habuit, ut domum rediret, sed spreto consilio, statim in morbum incidit, fatoq; functus est. Duces omissa expeditione domum redibant, ejusq; filium Alexandrum Tertium in solium patris reposuerunt. Hæbudenses hos tres viros, qvi ei apparuerunt interpretantur, primum Sanctum Olafum Norvegiæ Regem, Secundum Divum Magnum Orcadum Ducem, tertium Sanctum Columbum. *Chronicon Manniæ* Alexandrum in expeditione in insula Kerwaray mortuum refert.

Eodem

Eodem anno Hervius, aliis Haufir Epiſcopus Orcadenſis factus eſt.

Anno MCCXLIX. obiit Simon Epiſcopus Hæbudenſis.

Anno MCCLII. Conſecratus in curiâ Romæ Richardus Epiſcopus Hæbudenſis.

Anno MCCLVI. Obiit Gibon Comes Orcadenſis.

Anno MCCLXIII. Literis Regum Hæbudenſium ſignificatum eſt Haconi, Comitem Roſſiæ Niachamatis filium Kiarnachum ingenti clade inſulas affeciſſe, multis oppidis villisqve monaſteriis & templis incenſis, fœda etiam multorum indigenarum cœde graſſatum infantesq; barbarum in morem ad necem usq; ſæviiſſe, Regem etiam Scotorum minatum, non ſe prius deſtiturum, qvàm univerſum territorium Hæbudenſe Norvegiæ Regibus ſubjectum ſibi ſubjiceret.

Eodem anno Rex Hacon aſſumpto ſecum Magno Orcadum Comite (cui magnam navem dederat) Thorgilſe Stafangrienſe, Gilberto Hamarenſi Epiſcopis, cum ingenti claſſe, tribus à feſto Seliumannorum diebus elapſis, undecimo videlicet Juln è Norvegia ſolvit, delatusq; biduo in Hialtlandiam, ſtativa habuit in Breideyarſundà, inde duabus penè hebdomadis exactis, in Orcades vectus, portum Ellidarvikam, prope Kyrkiuvogum ſubiit, habitoq; cum conſiliariis colloqvio, ſignificavit, ſe copias diviſurum, partemq; in Breidafiordum prædatum miſſurum, ſe interea cum majoribus, & majore exercitus parte in Orcadibus remanſurum, verùm coloni militesq; conſcripti negabant ſe aliqvò niſi Rege duce profecturos, irritum inde conſilium non ultra proceſſit. Feſtum Divi Olafi id temporis in feriam dominicam incedebat, itaq; in caſtris ſacra celebranda curavit, omnemq; exercituu, univerſas nauticas copias convivio in nave Regia excepit, paucis inde diebus claſſem univerſam portu eduxit, auſtrumq; verſus tendendo, tranſita Mula Rognvaldzeyaq; in ſinu proximo collocavit, inq; oſtio Rognvaldzſundæ longo tempore excubuit, aderat tunc ex Orcadibus Rognvaldus cum parte navium. Inde per legatos Cataneſenſibus tributa imperavit, ſecus flamma ferroq; provinciam ſe vaſtaturum interminatus, qvod etiam facile impetravit, ibi dum conſtitit, nonis Auguſti tenebræ ſolem offuſcabant, circulo tantum lucido ſidus ambiente, tenuitq; horam dici, notant eandem eclipſin, ad V. Auguſti ejusdem anni, alii Scriptores. Redierat tunc ex Hæbudis, miſſus à Rege Jon Langaliſis filius, ad Regem in Hialtlandiam delatus retulit Jonem Sudureyarum ſeu Hæbudarum Regem ad Regem Scotiæ defeciſſe, rupto promiſſo fideq; Regi Haconi data, id qvod nullam fidem apud Regem meruit, Die feſto Sancti Laurentii celebri, Rex univerſam claſſem per Hvarfum, trans ſinum Picticum trajiciens, in ſinu Aſleifar Vika ſtatuit, ibi cognovit Jonem cognomento Drotning ſeu Reginam & Kolbeinum Aſlaci filium aliasq; naves, qvæ domi remanſerant, in Orcades perveniſſe, Lodhuſam inde, mox ad inſulam Rauneyam navigatum, Skidſundam provectus, claſſem Kerlingarſteino admovit, ubi Rex Manniæ Magnus, Erlendus Ivaris filius, Hallvardus, Nicolaus Tartus, qvi toto navigationis curſu, nullam terram priusqvam Lodhuſam attigit, Jon Drottning & Andreas Nicolai eum acceſſerunt. Cum è ſtatione Skidenſi claſſem moliretur, Dugall Hæbudarum Rex, levi lembo vectus, ad eum pervenit, Regemqve celeriter ad Milarſundam deduxit, indeqve ad Kiarbareyam, ubi univerſa claſſis, una cum Hæbudenſium navibus convenit, numero centenarium excedens, plurimæ naves magnæ, à qve apparatu & copiis optimè inſtructæ. Dum in Kiarbareya ſtativa haberet, qvinqvaginta navium claſſem ad Iſthmum Statirenſem ablegavit, ducibus Dugale Hæbudarū & Magno Manniæ Regibus, Bryniolfo, Rognvaldo Orcade, Andrea Potto, Augmundo Krækidanſe, Vigleiko Presbyteri filio aliam ad Botam qvindecim navium, qvarum præfecti, Erlendus Rufus, Andreas Nicolai Simon Stuttus ſeu brevis, Ivar juvenis, Eyfarius & Guttormus Sudureyenſis, ipſe ad Gudeyam propter Satiriam navigavit, ibi eum Rex Jon acceſſit, nave Epiſcopi Thorgilſis receptus, Regemq; prout tenebatur, ſeqvi juſſus, fidem Scotiæ Regi juramento datam, excuſavit, qvodq; ejus beneficio ampliorem provinciam teneret,

qvàm Regis Norvegiæ (ita hic locus pravè in *Chronico Norvegico*, Danicis typis impreſſo, expoſitus verti debet, ibi enim habetur, qvod feudum ſuum Regi Scotiæ, nihil autē Regi Norvegiæ debeat) oravitq; ut de feudo, qvod ſibi comiſerat diſponeret, verùm Rex eum apud ſe aliqvantiſper detinuit, ſpe mitigandi, adq; obſeqvium reducendi, multi Jonem hoc nomine criminabantur. Cùm in Gudeyâ Hacon eſſet, acceſſit eum Monachus qvidam cœnobii, griſei ordinis, pro pace cœnobii ſacræq; ædis ejusq; clientum ſollicitans, qvam & impetravit. Eodem tempore nuncii à Dungale Rege adveniebant referentes, Margadum & Engum Satiriæ præfectos, paratos eſſe ad dedendum provincias, ſuæ poteſtati commiſſas, ejusq; militiam ſeqvi Rex autem reſpondit, ni poſtridie ſe ante meridiem, accederent, ſe eos oppugnaturum. Seqventis diei mane, Margadus acceſſo Rege, deditionem fecit, paulo poſt Engus, ejus exemplum ſecutus, recepti, datis obſidibus, fidem etiam jurarunt, mille boves imperati, ejusqve fidei inſula commiſſa, utrumq; ſe Rex in Regis Scotiæ gratiam, ſi pax fieret, reducturum promiſit. Caſtellum in auſtrali Satiriâ ſitum, eqves qvidam tenuit, qvi adito Rege illud ejus poteſtati tradidit, Guttormo Backa Kolfo ejus cura commiſſa eſt. Frater Simon poſtqvam aliqvantiſper ægrotaſſet in Gudeyâ exſpiravit, ſepultus à monachis griſei ordinis, ad ſacram eorum ædem, in auſtrali Satiria, tectum ſerico villoſo corpus exanime eorumq; relatione ſanctus habitus. Qvi in Iſthmum Satirenſem miſſi ſunt, in villas incendio graſſati, prædas undiq; conqvirebant qvoad per nuncios à Rege miſſos id prohibitum eſt, ad Gudeyam itaq; Haconemqve Regem navigabant, miſſus deinde Andreas Pottus à Rege ad milites, qvi Botam infeſtarunt, ibi caſtellum illis à propugnatoribus in columitatem pactis, traditum eſt. Fuit inter Nordmannos navis præfectus nomine Rudrius, qvi Botam hæreditatis jure ſibi vendicabat, Scotia exul, variis deinde modis Scotos inqvietabat, jam verò cum duobus ſuis fratribus fidem obſeqviumq; Haconi addixit hic ex caſtellanis jam egreſſis novem occidit, deinde Bota Regis Haconis imperium agnovit, Botâ in Scotiam itum, ibiq; villæ qvædam incenſæ, nec Rudrius a damnis, Scotis pro virili inferendis, deſtitit. Cùm ad Sudureyas Hæbudas ſeu Hebrides deveniſſet Hacon, nuncii ab Hibernia, incolarum ad eum tranſitionem pollicentes, accedebant, Sigurdum ergo Sudureyenſem miſit, ad conditiones, qvas offerrent inſpiciendas. Inde in Hereyas deflexit, interea Regis Scotiæ legati, interdum ordinis prædicatorum, interdum minorum, aſſiduè de pace ad Haconem miſſi agebant. Tunc demum Hacon Jonem Regem multis muneribus honoratum dimiſit, ſecurumqve eſſe juſſit, qvi interpretem ſe pacis futurum, rediturumq; ad Regem, cùm per nuncios id ſibi ſignificaretur, pollicitus eſt. Exemplo Scotiæ Regis, Hacon qvoqve legatos, de pace componenda ad eum miſit, Gilbertum (Epiſcopum Hamarenſem habet Chronicon typis impreſſum) Henricum Epiſcopum Orcadenſem. Andream Nicolai, & Andream Plittum & Paulum Surem comiter excepti Regem à pacis ſtudiis haud alienum, uti præ ſe ferebat, deprehenderunt, qvi & legatos de pace, conditionibus ſibi probatis acturos, ſe miſſurum retulit, qvo reſponſo redeuntibus legatis, brevi Scotiæ Regis legati ſubſecuti ſunt, indicem inſularum, qvibus cedere Rex eorum voluit, afferentes, exceptæ Bota, Hereya (Arania) & Kumureya (Cumbra) qvas ſibi reſervare voluit, hinc pacis conſilia irrita, Scotis procraſtinantibus, qvi dimiſſi ad Regem ſuum iterum redibant. Igitur Hacon univerſam claſſem Cumbræ adnovit, mox conventus de pace conſtituenda, in Scotia indictus, qvò Hacon Epiſcopos qvosdam ſatrapasqve miſit, qvos è Scotis aliqvot, & viri de monaſteriis exceperunt, cùm verò conditiones non variarent, de pace non convenit. Adulta die Scoti è continente, majore numero confluentes, Nordmannis doli ſuſpicionem incuſſerunt, qvi ad naves redeuntes, Regi, qvæ agebantur, retulerunt, ſvadentes, ut induciis finem imponeret, miſit ergo Rex Hacon unum è ſatellitio ordinis ſuperioris, nomine Kolbeinum, dignitate eqvitem, cum literis inducíarum à Scotiæ Rege datis, & mandato ut ſuas de eadem re ei datas, referret. Scotoqve ſignificaret, ut cum univerſo exercitu ſibi obviam iret, eoqve conventu pacem Deo propitio ſecum ſanciret, vel ſi non conveniret, confligeret, lucro ejus, cui

Deus

Deus victoriam concederet, posteriorem conditionem Scotus non abnuere visus, sine tamen certo responso, Kolbeinus rediit, id qvod Haconi displicuit. Sexaginta deinde naves in Skipafiordum, seu sinum navium missæ, ducibus Magno Manniæ & Dugale Regibus, Alano fratre ejus, Engo Margado Vigleicoq; sacerdotis filio & Ivare Holmo, hi universas villas in circuitu lacus Lokulofvii vastarunt, tractum comitatus titulo, jureq; celebrem Lofvard dictum (forte Lorna vel Lochaber) multæ in stagno insulæ, qvas universas populabantur, prædis ad naves relatis, Dugalis frater Alanus, agro Scotiæ, qvà in transversum patet, exspoliato, multas bovium centurias abduxit, decem navium jactura in Skipafiordo abducta, Ivar insuper Holmus morbo absumitur. Festum Michaeli in diem Saturni incidit, proximo die lunæ ingens tempestas, mistam imbri largifluo grandinem præcipitans exorta, navem onerariam, statione turbatam in Regiam triremem, vi infesta direxit, id conspicati rudentum custodes ferri eam in se significarunt, accurrentes itaq; nautæ, ad avertendum damnum impigri, inhibere neqvibant, qvin prora in caput Regiæ navis impacta rostrum defringeret acta deinde circum latus ad puppim, inq; anchoram impulsa rudentiqve implicata, Regiæ navis anchoras convellere cœpit, itaq; jubente Rege rudens mercenariæ incisus, ipsaq; in insulam provecta, sine velis ea nocte Regia navis, ægrè licet subsistit, appetente die æstu affluente, mercenaria vadis levata in Scotiam ferebatur, vento increbescente, funibus adhuc pluribus, navis Regia ligari, qvintaq; anchora expediri cæpit, Rex scapha ad insulam vectus, sacra celebrari curavit, interea navis in sinum propellebatur, projecta tunc sacra anchora, nec sic qvidem cursum stitit, tandē octo simul anchoræ, & eas inter qvæ mercenariæ adempta, à sævientis procellæ impetu navem vindicarunt, qvinqve aliæ vadis illisæ sunt. Ut verò Scoti allisas littoribus naves conspexerunt, in unum collecti, impetū in Norvegos fecerunt, iis qvi in mercenaria erant, acriter se defendentibus. Cum autem vis ventorū parum remitteret, Rex suis in terra laborantibus subsidia misit, inde cum Thorlaugo Bosio, in satellitum lembum devectus est, subsidiis Regiis adventantibus, Scoti ad superiora fugiebant, Nordmannis in terra noctem illam agentibus. Interea Scoti navem mercenariam, qvæ appulsa est, exspoliarunt. Seqventi die Rex Hacon summo mane, ea qvæ in nave à Scotis relicta, ad classem deferri mandavit, Augmundus Krækidantz cum phalange militum, collem qvendam occupavit, qvem levi velitatione Scoti impetebant, universo deinde exercitu hostium appropinqvante, Regem ut in navem se deduci pateretur, sibiq; inde subsidia mitteret, duces petebant, qvi qvantumvis suis præsens adesse nitebatur non tamen pervicit omnibus vicem suam sollicitis, itaq; ad naves rediit. Satraparum in terra remanentium hi notantur, Augmundus Krækidanz, Erlingus Alfi filius. Andreas Pottus, Erlendus Rufus, Andreas Nicolai filius, Paulus Sur, Thorlaugus Bosis & Andreas Plittus, cum militibus in universum octingentis, qvorum ducenti in tumulo cum Augmundo constiterunt, reliqvi in subjecto sabulo, Scotorum exercitus, eqvitibus qvingentis, iisqve ab armis vesteq; optime instructis, ingentiqve licet incerto peditum, arcus hastasq; magnam partem gerentium, numero constare visu (præsente ut creditum Rege, Chronico Danicis typis excuso teste) Nordmannos lapidibus telisq; incessebat. Andreas Nicolai in collem, ad Augmundum Krækidansem enisus, svasit ut ad reliqvas turmas descenderet, ne à Scotis circumveniretur, id qvod etiam feliciter processit, interea Scoti Norvegos lapidum telorumq; jactu acrius urgebant, illi retrocedentes se, ut poterant, protegebant, in infimam acclivitatem delati, gradum accelerando, reliqvis fugientium speciem præbebant, qvi protinus territi, classem petituri ad scaphas properabant, qvarum complures demersæ, qvidam etiam vectorum perierunt, qvidam ad lembum enisi, at qvi in terra remanebant, suos ut redirent, bis terve inclamantes, paucos convertebant, ibi inter alios Hacon de Steine & duo alii occisi, cùm ad lembum littori illisum accessissent, ferventissimè, impari licet manu, pugnatum est, decem Scotis singulos Norvegorum impetentibus, qvibus hi duces se viriliter opposuerunt, Augmundus Krækidanz, Andreas Nicolai, Thorlaugus Bosius, (qvibus Chronicon Danicum Paulum

Surem adjicit) ibi eqves qvidam Scotorum Petrus, cum pluribus aliis cæſus Chronicon ſummo loco natum refert, multosq; cæſos, plures tamen è Scotis) dum prælium duraret, tempeſtas adeo ſæviebat, ut nulla occaſio affulgeret Regi, ſuis in terra periclitantibus ſubveniendi, Rognvaldus tamen & Eylifus, cum parte eorum, qvi in ſcaphas confugerunt, in terram conſcendebant, audacter hoſtem invadentes, ſed Eylifus ab hoſtibus pulſus ad navem rediit, Rognvaldo intrepidè ad ſuos perrumpente, ad qvem, qvicunq; Norvegorum diſperſi erant, ſe congregantes, Scotos tanto impetu urgebant, ut à colle præſidium peterent, leviore deinde prælio, telis ſagittisq; ſe ultro citroq; impetebant, verùm inclinante die Norvegi animoſiores, Scotos, qvi collem tenebant, ultro impetebant, deturbantq;, qvibus inter colles rupesq; ſe abdentibus, Norvegi ad claſſem ægrè obſtante vento, elapſi ſunt, die, qvi ſeqvebatur, miſſi à Rege, qvi mortuorum corpora ad naves deferrent, cæſi autem ſunt Hacon de Steine, & Thorgils Gloppa, ambo Regis ſatellites, civium ruralium primarii duo, Karlshofud è Thrandheimo, & Askell è Fiordis, tres præterea à candelis, Thorſteinus Batus, Jon Ballhofud & Hallvardus Buniardus. Qvantum Scotorum cæſum fuerit vix Norvegis conſtitit, nam prout qvisq cecidit à popularibus raptus, inq; ſilva delatus eſt, Rex autem Hacon ſuorum cadavera ad templum deferri, ibiq; condi curavit. Proximo die Jovis ſublatis anchoris, Regiam navem inſulæ applicuit. Eodem die copiæ in Scipafiordum miſſæ ad eum redierunt, die vero Veneris tranqvillo cœlo emiſſarios ad incendendas naves, in terram appulſas miſit, eodemq; die Cumureya ad Melagſeyam navigatum, noctesqve ibidem aliqvot actæ, ibi qvi in Irlandiam miſſi, ad eum redierunt, referentes Hibernos univerſum exercitum ſuis impenſis per univerſam hiemem ſuſtentaturos, ſi eos poteſtati Anglorum eximeret. Placuit Regi conditio, verùm diſſenſu ſuorum, ventorumq; repugnantia, obſtante, concione advocata; pronunciavit ſe omnibus permiſſurum in Hæbudas navigare, indigebant enim victualibus. Corpus Ivaris Holmi, eodem tempore in Botam tranſvectum, ibiq; ſepultum eſt, inde à Melanseya (Melagseya) ad Herseyam navigatum, ibi nox peracta, ſeqventi die ad Sandeyam, mox Satiris Mulam, ſeu Cantiriæ promontorium, eadem nocte in aqvilonem ſub Gudeyam perventum, inde ad oſtium Ilæ, ubi biduum Rex moratus eſt, ab inſulanis boves trecenti exacti, permiſſum, qvi maluiſſet farre vel caſeo multam luere. Prima, ab hiemis initio die dominica inde navigatum, cum repente tanta tempeſtas caligoq; exorta eſt, ut plurimi vela deducerent. Statione in Ciarbareya capta, internuncii inter Haconem & Jonem Regem miſſi, non tamen ut convenirent effecerunt, ibi cognitum, qvòd qvidam Norvegorum, magna ſpolia ad alimentorum uſum Mila exegerint, qvosdam etiam incolarum occiderint, duorum vel trium ſuorum jactura, inde Rex ad Milarkalfum delatus, per aliqvot dies ſtativa habuit, ibi Dugall Rex cum Alano fratre ſuo dimiſſi, regnoq;, qvod Jon prius habuit, præpropoſiti; Magnus Rex cum aliis Hæbudenſibus, prius dimiſſi erant, Rudrius Botæ, Margadus Hereyæ præfecti, Dugali Regi caſtellum in Satiria, qvod Guttormus Backaholfus inſedit Scotisqve vi expreſſit, datum. Hac eadem expeditione Hacon univerſum territorium ſingulasq; provincias, qvas Magnus Nudipes in Scotia & Hæbudis devicit iterum recuperavit, id qvod Sturlas carmine geſta Haconis, hancq; eandem expeditionem fusè deſcribente, hodieq; magnam partem ſuperſtite luculenter teſtatur. Milarkalfo deinde in Rauneyam deventum, ibi Baltius Hialtlandiæ civis aliiq; in Orcades à Rege miſſi, cum iis, qvibus Norvegiam repetendi venia data, cumq; ventus obſiſteret, in Skidii Veſtrafiordum navigatio directa, ibi mora aliqvalis, tributa ad alimenta inſulanis imperata, inde Hvarſum Dyrneſiamq; prætervecti, tum demum ventis deſidentibus, ſinum Goafiordum intrant, veſpere, qvi feſtum duorum Apoſtolorum Simonis & Judæ præceſſit, qvod illo anno in feriam dominicam incidebat, ibi nox exacta, finitis ſacris, qvidam Scoti à Norvegis capti, ad Regem deferuntur, qvibus parcitum, iidem miſſi in viciniam, ſe cum imperatis bobus reverſuros pollicebantur, uno interea obſide dato. Eodem die undecim ex Andreæ Skuſſii nave in terram aqvatum ibant, qvorum duo paulo poſt, vociferatione

one & ejulatu audito, inter natandum à ſuis excepti, reliqvi in terra à Scotis occiſi, erant autem inermes, nec lembus, refluente æſtu, in littore conſiſtens, in tam ſubitanea trepidatione, ad evitandum periculum uſui. Confluxus Norvegorum è claſſe ſuccurentium Scotos terruit, adeo ut effuſa fuga in proximis ſilvis latebras qværerent, Feria Secunda Rex Goafiordo ſolvens, obſide Scoto in terram expoſito, ſeqventi nocte Orcadibus claſſem admovit inq; ſinu qvodam, non procul ab Aſmundarvogo boream verſus ſtativa habuit, inde in Rognvaldzvogum itum, qvò potiſſima copiarum vis confluxit. Dum ſinum Picticum tranſmitterent, fluctuum ſævitia navis è Rogalandiâ cum ſingulis vectoribus abſorpta, Jon de Heſtbæ voragine ægrè evitata, curſum in Norvegiam cum Orcadibus prohiberetur direxit. Cùm in ſinum Rognvaldi claſſem Rex appuliſſet, magna pars copiarum, pars permiſſu Regis, pars eo invito Norvegiam repetiverunt, ipſe qvoq; primo adventu repetiturus, ni exortis tempeſtatibus, adverſisq; ventis impeditus, propoſitum mutare coactus fuiſſet, decretum inde in inſulis hibernare, viginti navium claſſe apud ſe retentâ, ſatrapisqve omnibus, qvi Regem domo ſecuti ſunt, præter Eylifum de Navſtadalo, qvi domum, ante reditum ejus in inſulas, regreſſus eſt. Præcipua nobilitas, regniq; flos, ad Regem remanſit. Feſto omnium ſanctorum Regia navis in portum Medallandiæ (Medallandzhofn habetur) deducta eſt, ipſo Rege eodem die in Rognvaldseya manente, qvi inde Kyrkiuvogum petebat, exinde gubernatorum ſingulorum naves qvædam in portu Medallandiæ aut iſthmo Scalpeidenſe ſubductæ. Feria ſeptima, veſperâ feſtum Martini in diem dominicam incidens præcedente, Rex ad portum Medallandenſem, eqvo vectus valdè ægrotans, in nave pernoctabat. Die proxima ſacris in terra celebratis, cùm interfuiſſet, Regiæ navi ſubducendæ, idoneum locum providit, ſeduloq; claſſem curari mandavit, in Skalpeidenſem iſthmum exinde provectus, Kirkiuvogum eqvo pervenit, hoſpitio Epiſcopi, cum omnibus iis, qvi ejus impenſis cibabantur, exceptus, ſatellites ſuos, in eadem qva Epiſcopus aula, ſuis uterq; propriis ſumptibus, ſuſtentabat, ipſe Rex in ſuperioribus ædibus accubuit, inſulasq; in uncias deſcribi curavit (Eyrisland habetur, continet, autem qvælibet marca terræ octo eyrer ſeu uncias) ſatrapis & nobilitati, eorumq; turmis, per ſingulos unciarios agros ſuſtentandis, Andreas Plittus menſæ Regiæ ſuſtentandæ ſumptus ſatellitibus, emiſſariis, & iis, qvi à candelis erant, ſuæ qvoq; centuriæ ſtipendia qvæſtor præbebat, navibus in terram deductis, ſinguli per hoſpitia ſibi aſſignata diſperſi. Kyrkiuvogi hi ſatrapæ remanſerunt Bryniolfus Jonis, Erlingus Alfi, Rognvaldus Orca, Erlendus de Biarkeya, Jon Drotning ſeu Regina, Erlendus Rufus, pluresq; alii navium cohortiumq; præfecti, in deputatis ſibi Eyrislandis conſidebant. Cùm à Medallandiæ portu, Kyrkiuvogum deveniſſet, curis & continuis vigiliis feſſus, aſſiduisq; laboribus in varia negotia jam longo tempore diſtentus, in morbum incidebat, qvi tribus eum hebdomadibus lecto detinuit, deinde remiſit, adeo ut exſurgens, triduum incederet, primo die intra ædes exſpatiatus, ſecundo ſacellum acceſſit, tertio templum Divi Mag ejusq; ſcrinium viſitavit, eodem die tondi ſe, balneoq; in capace vaſe ablui foveriq; curavit. Eadem nocte, morbus magnopere auxit, eumq; denuo in lectum reduxit, majorem deinde in modum aggravari viſus, interea prælegi ſibi libros latinos juſſit, cumq; iis aſſeqvendis, virum debilitate gravaretur, Norvegicos audire placuit, primo ſanctorum virorum acta, qvibus deficientibus, Regum Norvegorum hiſtorias ab Halfdano Nigro, ut verò morbum in majus creſcentem animadvertit, legata aulicis deſignavit, marcam ſignatam ſingulis purpuratis, mediam emiſſariis & dapiferiis, aliisq; miniſtris, argentum menſale univerſum, præter deauratum appendi juſſit, indeq; legata ſolvi, cum argentum ſignatum deficeret. Scriptæ tum ad Regem Magnum literæ, deqve graviſſimis rebus mandata. Nocte, qvæ feſtum Luciæ præceſſit, oleo unctus eſt, adhibiti miniſterio Thorgils Stafangrienſis, Gilbertus Hamarenſis, Heinricus Orcadenſis Epiſcopi, Thorleifus Abbas, multiq; alii docti viri, ante unctionem extremam oſculati, qvi præſentes, tum qvidem ſermonis potentem. Dum decumberet interrogatus à miniſtrorum intimis, an alium qvàm Magnum Regem filium haberet,

in ſucceſſionem Regni, ſi eum Deus hinc filiumq; ejus ſine hærede evocaret, ſeverè negabat, ne filiam qvidem præter omnibus notam. Regum, qvi Svererem anteceſſerunt, vitis relectis, ejus qvoq; legi juſſit, lectaq; eſt dies noctesq; qvoties vigilaret. Feſtum Virginis Luciæ feria qvinta occupavit, ſeptima, qvæ ſeqvebatur, morbus adeò intendit, ut vocem ei præcluderet, ſub mediam noctem vita Svereris ad finem relecta, poſt horam duodecimam ejusdem noctis animam egit, non ſine ingenti omnium, qvi præſto erant, luctu, multorum qvoqve ad famam obitus tanti Regis horrore. Morienti aſtiterunt ſatrapæ, Bryniolfus Jonis, Erlingus Alfi, Jon Drotning, Rognvaldus Orca, qvidam etiam miniſtrorum, intimæ dum decumberet admiſſionis, ſtatim ab obitu ejus miſſi, qvi Epiſcopos virosq; doctos accerſerent. Cùm inferias celebraſſent omnes deinde ædibus exceſſerunt, præter Epiſcopum Thorgilſem, Bryniolfum Jonis, duosq; alios, lotum tum corpus raſumq;, ſingula miniſteria tanto Rege digna, ſumma cum veneratione exhibita. Die Dominca corpus in ſuperiorem palatii contignationem delatum, pretioſa veſte tectum, capitiq; ſertum (Garlandam vocant) impoſitum feretrumqve apparatu elegantiſſimo inſtructum, cui exanime corpus impoſitum, qvò Epiſcopi omnes, ſacerdotesq; qvi in urbe erant, auliciq; ordinis ſuperioris accedebant iis, qvi à candelis lychnos ſuſtinentibus, qveis univerſa aula illuſtrata, vultus demortui aſpectu gratus, faciesqve viventis prope vigorem rubro perfuſa colore repræſentans, inſpectantium dolorem magnam partem levavit, in funere tanti Regis, chariq; domini ſpeciem, vultusq; parùm mutati, majeſtatem recolentium, omnibus enim aditus patebat, inferiæ deinde majore cum ſolennitate celebratæ, omnibus aulicis eadem nocte circa funus exeqvias agentibus, corpus die lunæ in templum Divi Magni delatum, noctemq; cuſtoditum, tertio die urnæ impoſitum, magna cum ſolennitate pompaq; tanto Regi, qvippe coronato condigna, in choro ante ſcrinium Divi Magni, compoſtum loculus pretioſo tegmine ornatus, conventu inde aulico concluſum, ut tota hieme vigiles corpus Regis cuſtodirent. Feſto Jolenſi Epiſcopus Andreasq; Plyttus legatis erogandis, mandata Regis exſecuti, ſtipendia inſuper omnibus ſolverunt. Corpus ſuum Bergas transferri, apudq; reliqvias patris, propinqvorumq; ſuorum condi ægrotans mandavit, feſto itaqve Andreæ ſacro, qvod illo anno in tertias Nonas Martii incidit, terrâ iterum exemptum, proſeqvente univerſo ſatellitio, trans iſthmum Scalpeidenſem in cimbam delatum eſt, indeq; in regiam navem transportatum, ducibus Epiſcopo Thorgilſe, Erlingo Alfi filio & Andrea Plytto, comitante ſatellitio aulico Norvegiâ profecto. Primo qvadrageſimæ Saturni die oram ſolverunt, immitiq; cœlo in portum Silavogum delati, Rege Magno per nuncios de morte patris certiore facto, cum primò per ventos licuit, Bergas petebant, pridieq; feſti Benedicti portũ Laxavogum aſſecuti ſunt, feſto, qvi ſeqvebatur, die, Rex Magnus & Epiſcopus Petrus obviam illis proceſſerunt, Regia navis in urbem ante Regiam deducta, reliqviæq; de mortui Regis in æſtivam aulam deportatæ. Die, qvi ſeqvebatur, ad ædem Redemptoris, ipſo Rege, Reginis, ambobusq; Epiſcopis, viris Eccleſiaſticis aulicis & Urbanis civibus magnâ pompâ proſeqventibus tranſlatæ, deinde inferiæ magno omnium luctu celebratæ ipſo Rege Magno verba faciente, ſitus eſt Hacon ad templũ Chriſti in choro eoq; delatus tribus noctibus ante feſtum Divæ Virginis, tribus ante completum ab incarnatione Redemptoris annum MCCLXIII. noctibus, ait *Codex Flateyenſis*. Hæc totidem ferè verbis ex codice Flateyenſi deſcribere viſum ad errores Scoticorum ſcriptorum, Chroniciq; Manniæ convincendos, tradunt enim communiter, nihil hac expeditione effectum, nec vera belli cauſa à Scotorum ſcriptoribus affertur, clades etiam in majus extollitur & cauſa qvidem illis memoratur, prætendiſſe Haconem majoribus ſuis inſulas aliqvot à Machetho promiſſas fuiſſe, qvæ nondum eſſent redditæ Boram præſertim & Araniam & utramq; Cymbram, qvæ nunqvam inter Hæbudas numeratæ fuerint, duplici inſuper infortunio perculſum Haconem, primùm, qvod cum Alexandro Tertio *Stuarto*, ejus qvi ex ea familia primus in Scotia Regnum geſſit, proavo, congreſſus & à multitudine prope circumventus, trepidè ad naves refugerit, deinde qvod navibus fœdiſſima tempeſtate vexatis, cum paucis

qvæ

ſuperfuerunt ægrè ad Orcades delatus ſit, verùm majorem fidem hæc diurna, tantâ fide deſcripta merentur, recenſenrur & hic eorum nomina, qvibus inſulas controverſas, Scotisq; ereptas, Rex diſcedens regendas commiſit, certiſſimo argumento, multo plus qvàm Scriptorum iſtorum NIHIL hac expeditione effectum. Error qvoqve manifeſtus Chronici Manniæ de anno obitus Regis certis iisq; multis rationibus monſtratur, annum ſeculi illius LX. aſſignat, feita autem ſingulis feriis aſſignata, eum qvem attulimus annum evidenter monſtrant.

Anno MCCLXIII. Gilbertus Archidiaconus Hialtlandiæ, factus eſt Epiſcopus diœceſis Hamarenſis in Norvegiâ.

Anno MCCLXIV. Rex Magnus, curato patris funere, de ſtatu publico ſollicitus, nihil antiqvius habuit, qvàm ut controverſiam cum Rege Scotiæ pace, cujus unicè ſtudioſus erat, finiret, pacis enim artibus excultus iis parta tutiùs conſervari, nemineq; turbante augeri, qvàm ancipiti Martis fortuna, in diſcrimen, nunqvam ſine magnis impenſis, majori qvoqve ſollicitudine mitti maluit, legationem itaq; ex ſenatorum conſilio, ad Regem Scotiæ, anno qvo pater exceſſerat proximo miſit, non qvòd, ut Buchananus ſcribit, cùm adveniſſet, (non enim Norvegia exceſſit) res magis qvàm ratus erat deſperatas, conſpicatus eſſet, nec (qvod pariter fictum) qvòd auxilia domo ante vernum tempus non ſperaſſet, (cùm domi ſemper maneret) ſed qvòd faciliùs, *Claudio Lyſchandro* memorante, in ſuâ *Gronlandiâ metrica*, credo, qvod rei militaris minus gnarus fuerit, nec de inſtabili poſſeſſione inſularum, tam remotarum, unde parum lucri, tantarum impenſarum periculo, cum ingenti civium ſuorum onere certare voluerit, Manniâ præſertim, ſi *Buchanano* fides, à Scotis in deditionem acceptâ, (ſcribit enim Alexandrum Scotiæ Regem navibus circummiſſis Manniam inſulam inter Scotiam & Hiberniam, medio ferè curſu ſitam recuperaſſe, ea lege, ut inſulæ regulus, qvoties opus eſſet, decem naves longas ad Regem mitteret, Rex verò eas ab hoſte externo defenderet) fortè etiam inſulanorum ſtudiis à ſe alienatis, cùm ab eo par præſidium rebus turbidis, atqve à patre ſperare neqvirent, Mannenſium enim animorum inclinationem, alias inſulas ſecuturas viſas, idem auctor tradit, id qvod à vero non abhorret. Morte enim Regis Haconis ſuſtuliſſe animum Scotis, ſuisq; rebus iſtam occaſionem accommodaſſe, dum claſſis maxima pars in Norvegiam remiſſa nondum redierat, facilè qvis perſpicit, imminutosqve inſulanis animos deinde alienatos, auxiliis non accurrentibus; inde pacem cum Scoto feſtinatam conditionibus tolerabilibus, dum metus aliqvis Scotis à Norvegis eſſet, qvas deſerti non impetraſſent. Non tamen ſtatim pax inter Reges coaluit, in annum tertium legationibus pluribus intervenientibus diſceptata. Notant annales *Codicis Flateyenſis*, ad hunc annum, fratres nudipedes è Scotiâ ad Regem Magnum veniſſe, procul dubio à Rege Scotiæ legatos.

Anno MCCLXVI. pax inter Magnum & Alexandrum, per legatos Norvegos, Epiſcopum Henricum (*teſte Wormio*) & Dominum Aſchatinum Regis Cancellarium, (is primò ſacerdos ſeu paſtor, deinde Cancellarius, noviſſimè anno MCCLXIX. Epiſcopus Bergenſis conſtitutus eſt,) coaluit, his conditionibus. Nimirum ut Hæbudas univerſas Manniamqve, cum omnibus inſulis, qvæ Scotiæ ab auſtro & occidente adjacerent, exceptis Orcadibus & Hialtlandiâ, Scotus teneret, proximis verò qvatuor annis qvatuor millia marcarum argenti ſignati, ſingula millia in ſingulos annos, præterea ab hoc anno, qvo pax convenit, Regi Norvegiæ ſingulis annis in perpetuum centum marcas argenti qvoqve ſignati Sterlingorum penderet, adjecta anathematis pœna violanti. Feſti Divi Laurentii pacificatio iſthæc, Regis Magni juſſu, in cœmiterio Ædis Redemptoris promulgata eſt, inſtrumentum ipſum *Arildus Hvitfeldius*, hiſtoriæ Danicæ parte tertia ad annum MCDLXVI. exſcripſit, qvod etiamnum in Archivis Sereniſſimi noſtri Regis reſervatur, cujus apographum mihi clementiſſimè communicatum ad calcem hujus libri extat. Addit præterea *Pontanus Hiſtoriæ Danicæ lib: VII. pag:* 361. conveniſſe ſimul, ut Margareta Alexandri filia, qvatuor annorum puella, cum per ætatem commodum eſſet Haconi Magni filio ex Ingibiorge Divi Eirici Danorum Regis filia nuberet:

Enim

Enim vero Pontanus Annalium Scoticorum fidem (ut perhibet) ſecutus, mirum qvàm ſe ipſum mox alios deceperit, cùm conſtet Haconem anno demum ſeptuageſimo ſeculi illius natum fuiſſe.

Eodem Anno obiit Magnus Olafi Manniæ Rex.

Anno MCCLXVIII. obiit Dugall Hæbudarum Rex. Contractus inter Magnum Regem & Comitem Orcadenſem Magnum Gilberti filium factus eſt, de qvo Hirdſcra ſeu jus Aulicum Cap: XIV. ita habet: Primò Comes Orcadum deſignatur eâ verborum formulâ, qvam pactio inter Regem Svererem & Comitem Haraldum Maddadium, nec non inter Regem Magnum Haconis filium, & Comitem Magnum Gilberti filium confecta conſcribit, ſuper reconciliatione Bergis facta, Anno à Chriſto nato MCCLXVII, imperii Regis Magni qvarto.

Anno MCCLXIX. obiit Henricus Epiſcopus Orcadenſis, cui anno proximo ſucceſſit Petrus. Pro ſubſidiis ad ædificationem templi Stafangrienſis Sancto Svituno conſecrati, qvod anno MCCLXXII. incendio urbis involutum conflagravit, conferendis, tales ejus literæ in Archivis ejusdem templi extant, qvarum exemplum hic ſubjicimus.

Univerſis Chriſti fidelibus, præſens ſcriptum viſuris vel audituris, Petrus Divinâ permiſſione Orcadenſis Epiſcopus ſalutem in Domino JESU Chriſto. Cùm loca Sanctorum omnium pia devotione à Chriſti fidelibus ſunt veneranda, & humana devotio prompto affectu debet honorare, ut qvod poſſibilitas noſtra non optinet, eorum nobis interceſſione donetur. Cùm igitur Eccleſia Sancti Svithuni cathedralis Stavangrenſis Dyoceſis noviter ſit combuſta, nos qvidem cupientes, ut ipſa Eccleſia ampliori veneratione & elemoſinarum largitione conſoletur, & congruis honoribus freqventetur, omnibus verè penitentibus & confeſſis, qvi dictam Eccleſiam in omnibus ſummis feſtivitatibus, & in utroqve feſto Sancti Svithuni, & cotidie infra Octavas, in die dedicationis, & cotidie infra octavas in quatuor feſtivitatibus beate Virginis, in feſto Sancti Michaelis, in feſto Sancti Andree Apoſtoli, in feſto Sancti Olavi, & Sancti Nichulai, in feſto Sancti Vincentii & Sancti Asgarii, in feſto Sancti Martii Evangeliſte, & tribus diebus rogationum, in die cinerum, in Dominica Palmarum & in die cœne annuatim venerabiliter viſitaverint, & devotè XL. dies de injuncta ſibi penitentia miſericorditèr relaxamus. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum preſentibus duximus apponendum, Datum Tunsbergis Anno Domini MCCLXXVIII. III. Non: Septembris, pontificatus noſtri Anno IX.

Inter Henricum & Petrum Illuſtriſſimus Arildus Hvitfeldius in ſuo Epiſcoporum Orcadenſium indice Thorolfum qvendam inſerit, qvem tamen temporis anguſtiæ vel prorſus excludunt, vel exiguam directionis periodum concedunt, id qvod ex obitu Henrici, & ſucceſſione Petri inſpicienti planum eſt.

Anno MCCLXXIV. obiit Magnus Gibbonis filius Orcadum Comes.

Anno MCCLXXV Marcus qvidam in Epiſcopum Hæbudarum ordinatus eſt.

Anno MCCLXXVI. Magnus Rex Norvegiæ, Magnum Magni Orcadum Comitis filium, Comitem Orcadenſem creavit feſto Sancti Olafi.

Anno MCCLXXXIV. Petrus Epiſcopus Orcadenſis, & Comes Magnus Orcadenſis obierunt.

Anno MCCLXXXVI. Dolgfinnus Epiſcopus Orcadenſis factus eſt.

Anno MCCC. filia Regis Eirici deſponſa Joni Magni filio, Comiti Orcadenſi.

Anno MCCCI. Lokuland qvidam Hæbudas infeſtabat, fratrem ſuum adoptivum Jonem, cum uxore & duobus filiis occidit, circiterqve MMMMM. virorum, MMM puerorum, puellarumqve interfecit.

Anno MCCCIII. obiit Marcus Mannenſium Epiſcopus.

Anno MCCCVIII. Rex Norvegiæ Hacon, eo nomine, ut ipſe voluit Qvintus, mihi Sextus Comitum Baronumqve titulos intra Regnum ſuum abrogavit, ſolis Regum filiis Comitibusqve Orcadenſibus eorum uſu permiſſo.

Anno MCCCX. Vilhelmus Epiſcopus Orcadenſis initiatus eſt.

Anno MCCCXII. Tractatio de Hæbudarum & Manniæ ceſſione Perthi inter Magnum Norvegiæ & Alexandrum Scotiæ Reges anno MCCLXVI. celebrata, reſumpta

reſumpta eſt hoc ipſo anno, ab Hacone, ejus nominis qvinto (qvarto habet Pontanus) Norvegiæ Rege, & confirmata Iverneſſæ in Scotia præſente Rego Roberto, ejusqve ſenatu, nec non Haconis Regis legatis, Biorno à Birchero & Ivare Olafi Bergenſium & Orcadenſium Canonicis. Qvi pactis conventis non ſtaret, is Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſuræ atqve excommunicationi obnoxius, haberetur, ac ſimul mulctam incurreret decem millium librarum Sterlingicarum. Subſcripſerant huic chirographo, una cum Rege Scotorum, ſuaqve ſigilla impreſſerant, Gamelus Divi Andreæ Johannes Glaſguenſis Epiſcopi, Alexander Curius à Ruchon Præpoſitus Dombarienſis, Gulielmus à Mehr, Adamus à Cork Comites, itemqve Robertus à Menis Baro.

Anno MCCCXLIII. feria ſecunda poſt feſtum Pentecoſtes, in arce Bahuſia, Argiſel Comes Orcadenſium, & qvidem Olafo Archiepiſcopo Nidaroſienſi, cæterisqve omnibus in ordine ſubſcriptorum nominum præpoſitus, qvippe omnium primus, literas Regis Magni Eirici filii Sveciæ Norvegiæ & Scaniæ Regis, ſponſæ ſuæ Blancæ, dotalitium Bahuſiam, Maſtrandiam & Elfarſyſlam addicentis obſignavit.

Anno MCCCLVII. Eringiſlus Comes Orcadiæ, Jene copiæ, cum Rege Magno Smeck conſtitutus eſt, vide Part: II. Chron: Rytm: Svec: pag: 43. Meſſenius in Theatro Nobilit: Svecanæ pag: 47. ad annum MCCCXCII. refert ubi ſtemma ejus ulterius inſpiciendum.

Eodem anno Scripſere Ordines Orcadenſes ad Regem Magnum & filium ejus ſeqventes literas, qvas Epiſcopus Aloenſis Johannes & collegium Canonicorum poſtea tranſcripſerunt. Exemplum ex Archivis Regiis depromptum integrum exhibeo hoc tenore.

Univerſis & ſingulis ad qvos preſentes litere pervenerint, Johannes Dei gratia Epiſcopus Asloenſis, & Capitulum Canonici ibidem Salutem in omnium Salvatore Noveritis nos feria ſexta, proxima ante feſtum S: Georgii Martyris Anno Domini MCDXX. Sexto in ſacriſtia Eccleſie Asloen conſtitutos, legiſſe & diligenter inſpexiſſe literam qvandam ſigillo Communitatum Orkadie ſano & integro ſigillatam, omni prorſus vicio carentem, cujus ſic tenor de verbo ad verbum ſeqvitur ſub hac forma. Excellentiſſimis Principibus & Dominis, Domino Magno Dei gratia Norvegie, Svecie, ac terrarum Scanie Regi illuſtriſſimo, ac Aqvino filio ſuo Norvegie Regi Communitas veſtre Orkaden: ſalutem debitam & honorem, & ſemet ipſos omnibus veſtris mandatis atqve preceptis promtos pariter & paratos, humiliter obedire. Preclaris dominationibus veſtris lucide manifeſtetur, qvod qvidam potens de Scotia nomine Duncanus filius Andree, qvandam literam, hanc ſeriem in ſe continentem nobis ſcripſerat, cujus tenor hic incipit, & eſt talis. Omnibus hominibus totius comitatus Orchadie, qvorum intereſt & ſpecialiter tenentibus locum Excellentiſſimi Regis Norvegie ibidem, Salutem in Domino. Notificamus vobis omnibus, qvod verum & legitimum heredem Dominum Malicium Condam Comitem Orcadie in noſtra detentione habemus & cuſtodia, qvi plenum jus ad dictum comitatum habere digneſcitur, inâubitanter, & nobis de novo datur intelligi, qvod Dominus Rex Norvegie fecerat fructus & firmas dicti comitatus in media manu ſeqveſtrari, unde vobis conſulimus & ſupplicamus & cuilibet veſtrum inſolidum, qvod nullos denariatus tam fructuum qvam firmarum, de dicto comitatu ſpectantium, de partibus permittatis abduci, donec legitimus hæres debito modo vobis præſentetur, qvod erit infra breve, Domino concedente, contrarium vero ſi feceritis, in fraudem heredis vobis plen tus certificamus, quod reſta rationem plenariam de dictis fructibus & firmis, à vobis in duplo, dicto heredi & nobis proponimus recuperare, qvod per Dei gratiam, omnibus aliis poſtpoſitis, cum dicto harede, ad dictas partes Orkadie, cum omni feſtinatione, qua poterimus, accedere volumus, perſonaliter facienda dicto Domino Regi Norvegie, qvod ei de jure ſpectare digneſcitur. Ita in his præſcriptis ſapienter agatur, ut in adventu dicti heredis & noſtri, nullam materiam nobis & veſtris aggravandi aliqvaliter habeamus. Dignentur igitur veſtre dominationes ſuper his taliter ordinare, ſic diſponere, qvod in his faciatis nos indemnes obſervare. Datum ſub Sigillo noſtro communi, viceſimo qvinto die menſis Novembris, Anno Domini Milleſimo tricenteſimo, qvinqvageſimo

ſeptimo, in cujus rei teſtimonium & evidentiam firmiorem, ſecreta noſtra huic transſcripto duximus apponenda Datum loco die & anno qvibus ſupra.

Anno MCCCLXIX. Orcadibus fiduciario jure præfuit Comes Henricus de S. Claro. Hic legatis ad Regem Haconem III. Idus Junii directis, petebat ſibi feudi adminiſtrationem proinde confirmari, id qvod certis conditionibus anno MCCCLXX. impetravit.

Anno MCCCLXX. Hacone Magni filio Norvegiæ ſceptra tenente, evulgari Scotorum Rex David diploma curavit, qvo omnibus & ſingulis Regni ſui incolis, ſerio ac ſevere idqve ſub capitis pœna mandavit, ne qvis Orcadum inſulas niſi negotionis cauſa frequentaret, qvod ſcilicet per eos dies adeo infeſtarentur eæ inſulæ. Scotorum piratica, ut pene peſſundatæ, ac veluti ſolitudo, prædonibus tantum atqve harpiis ejusmodi paterent.

Anno MCCCLXXV. Hacon Magni filius, Norvegiæ & Sveciæ Rex adminiſtrationem Orcadum commiſit Alexandro de Ard. Exemplum literarum hic ſubjicimus.

Omnibus præſens ſcriptum cernentibus Haqvinus Dei gratia Norvegiæ & Sveciæ Rex, Salutem in Domino ſempiternam. Ex qvo nobilis vir Alexander de Ard ſe ad partes Regni noſtri Norveg: transtulerat, ob noſtram gratiam & benevolentiam promerendam, Nos eidem Alexandro ob fidelitatem qvam de ipſo gerimus, terram noſtram Orchadiæ tenendam usqve feſtum Nativitatis S: Johannis Baptiſtæ proximo venturam, videlicet ad duodecim menſes committemus, per hæc ſcripta præficientes & conſtituentes ipſum Alexandrum ejusdem terræ noſtræ verum ac potentem procuratorem, Capitaneum & cuſtodem, ſub conditionibus infra ſcriptis. Primo videlicet qvod medietatem omnium & ſingulorum redituum ac proventuum, penſionum & obventionum qvorumcunqve, qvi & qvæ ad comitatum Orcadenſem pertinent, ſeu pertinuerant ab antiqvo, pro ſuis propriis uſibus diſpenſabit, reſiduam vero medietatem ad nos transmittere debeat verſus Bergum.

Inſuper omnia qvæ juri Regio de prædicta terra debentur, remanebunt nobis integre ſalva: Cæterum concedimus eidem Alexandro qvod omnes & ſingulas emendas pecuniarias, qvæ de exceſſibus delinqventium provenerint pro uſibus ſuis percipiet & levabit, exceptis ſolummodo emendis, qvæ pro homicidiis debentur, ac cauſis inemendabilibus, qvæ Orbotomal dicuntur in Lingva Noricana, qvas qvidem cauſas ac emendas pro homicidiis debitas juri Regio ſpecialiter reſervamus. Datum Osloie, Anno Domini MCCCLXX. qvinto, anno vero regni noſtri XX, Sabbato infra Octavas Apoſtolorum Petri & Pauli, noſtro ſub ſigillo.

Numerus Regni non convenit, cum Epocha imperii Haconis, qvæ duplex, primo enim à patre Rex Norvegiæ declaratus eſt Anno MCCCXLIII. XV. Auguſti idqve Varbergæ. Anno verò MCCCL. diviſione regnorum, conſenſu patris, Norvegiam ſortitus eſt; Si ergo calculus inde deducendus eſt, qvinqvennium reqviritur, id qvod librario facile oblitum credo.

Anno MCCCLXXIX. Rex Hacon Henricum de S: Claro Orcadibus præfecerat, eumqve Comitis dignitate donatus eſt acceptis viciſſim ab eo literis, qvibus ſuam fidem conſilia & opera prolixe Regi addixit, præſtito prius, pro more, juramento. Exemplum literarum longius eſt, facileqve contrahi poſſet, ſed qvia qvædam ſcitu digna ibi occurrunt, integrum apponere viſum eſt.

Univerſis præſentes literas inſpecturis vel audituris Henricus de Sancto Claro Comes Orchaden: Dominus de Roſſelyne in Domino ſalutem. Qvia Sereniſſimus in Chriſto princeps, Dominus meus clementiſſimus, Dominus Haqvinus Dei gratia Regnorum Norvegiæ & Sveciæ Rex, nos de ſui gratia, terris ſuis & inſulis Orchaden: præfecerat, & in ſtatum Comitis ſuper prædictas terras & inſulas ſublimarat, cum ea, qvæ ad hoc reqviritur dignitate, notum facimus univerſis, tam poſteris qvam modernis, qvod ipſi Domino noſtro Regi fidelitatis homagium feceramus, ad oſculum manus ſuæ & oris, ſibiqve præſiteramus de fidelitate qvoad conſilia & auxilia eidem Domino noſtro Regi, ſuisqve hæredibus & ſucceſſoribus, ac regno ſuo Norvegiæ obſervanda, verum & debi-

tum

tum juramentum. Ideoque pateat universis, nos & amicos nostros: quorum nomina inferius exprimuntur, eidem Domino nostro Regi suisque hominibus & consiliariis in fide & honore nostro firmiter promisisse, quod omnia pacta, conditiones, promissiones & articulos, quæ & qui in presenti litera continentur, predicto Domino nostro Regi suisque hæredibus & successoribus, ac regno suo Norvegiæ debeamus fideliter adimplere. In primis itaque nos firmiter obligamus ad serviendum ipsi Domino nostro Regi extra terras & insulas Orchadum cum centum bonis viris, vel pluribus, in armis integris expeditis ad commoda & utilitatem ejusdem Domini nostri Regis, quandocunque de hoc per nuncios suos vel literas suas, fuerimus sufficienter requisiti, & infra Orchadiam de hoc premoniti ad tres menses. Ita quod ad ipsius Domini nostri Regis presentiam cum ipsi devenerimus, extunc ipse nobis & nostris de cibariis providebit. Insuper si aliqui velint ipsas terras & insulas Orchadum aut & terram Hetlandiæ impugnare vel hostiliter invadere quoquo modo, extunc promittimus & obligamus nos ad defendendum terras hujusmodi cum hominibus, quos nos solum, de ipsis terris & insulis, imo etiam cum omni robore propinquorum amicorum & servitorum, quos ad hoc bono modo poterimus aggregare. Item si oportebit ipsum Dominum nostrum Regem aliquas terras vel regna aliqua, jure vel ulla aggredi ratione, vel necessitate, extunc sibi in auxilium & servicium erimus, cum toto posse nostro. Item promittimus bona fide, quod nulla debeamus castra, vel ullas munitiones edificare vel construere, infra terras vel insulas supra dictas, nisi obtinuerimus ejusdem Domini nostri Regis favorem beneplacitum & consensum. Et quod predictas terras & insulas Orcadum & omnes habitantes in eis Clericos & laicos divites & pauperes in ipsorum jure fovere debebimus & tenere. Item promittimus bona fide, quod predictum comitatum & dominium illud seu terras vel insulas, ad ipsum comitatum spectantes, seu jus nostrum, quod in ipso comitatu, terris & insulis nunc ex Dei & Domini nostri Regis gratia obtinemus, nullo unquam tempore alienare vel vendere debeamus, ab ipso Domino nostro Rege, seu ab ipsius hæredibus & successoribus, vel a regno, nec eas, vel aliquam earum, pro vadio, & pro pignore cuiquam tradere, vel aliqualiter exponere, contra ipsius & suorum voluntatem & beneplacitum successorum. Insuper si contingat memoratum Dominum nostrum Regem, hæredes suos aut successores, terras illas insulas pro ipsarum defensione, aut ex alia rationabili causa, velle adire, aut consiliarios suos & homines, illuc destinare, extunc eidem Domino nostro Regi, & ejus hæredibus, consiliariisque suis & hominibus tenebimur auxilio esse, cum omni posse nostro, eidemque Domino nostro Regi, & ejus hæredibus, hominibus & consiliariis suis ea, quibus indiguerint, pro expensis competentibus ministrare, & prout necessitas tunc requirit, de ipsis terris & insulis utique ordinare. Item promittimus quod nullam guerram, litem aut dissensionem suscitare vel incipere, debeamus, cum aliquibus extraneis vel indigenis, occasione cujus guerræ litis vel dissensionis, ipse Dominus noster Rex, hæredes sui vel successores, aut regnum suum Norvegiæ, vel predictæ terræ & insulæ, ulla recipere possent damna. Item si contingat, quod absit, nos contra aliquos, infra predictas terras vel insulas notabiliter delinquere, & injuste, seu cuiquam, aliqualem notabilem injuriam irrogare, quoad amissionem vitæ, aut membrorum mutilationem, vel bonorum depredationem, extunc actori causæ hujusmodi coram ipso Domino nostro Rege & ejus consiliariis respondere debebimus, & secundum leges regni satisfacere pro delictis. Item quandocunque ipse Dominus noster Rex propter aliquas causas, nos ad sui presentiam vocaverit, ubi vel quando suam generalem habere voluerit congregationem, extunc ad ipsum pro impendendis sibi consiliis & auxiliis divertere teneamur. Item promittimus, quod infringere non debebimus treugas & securitatem ejusdem Domini nostri Regis, nec pacem ipsius, quam cum extraneis, vel indigenis, vel cum aliis quibuscunque fecerit vel firmaverit quomodolibet violare, imo omnes illos pro viribus nostris defendere, & ipsos habere nobis fœderatos, quos ipse Dominus noster Rex Norvegiæ gerere velit pro suis fautoribus, & amicis. Item promittimus quod nullam facere debemus colligationem cum Episcopo Orchaden: nec ullam amicitiam cum ipso statuere vel inire, nisi de ipsius Domini nostri Regis beneplacito & consensu, sed ipsi auxilio esse debemus contra ipsum Episcopum donec sibi fecerit, quod juris est, vel quod merito facere tenebitur su-

per his, in quibus Dominus noſter Rex, velit vel poſſet ipſum Epiſcopum rationabiliter accuſare. Præterea cum Deus voluerit de medio nos vocare, extunc comitatus ille & dominium illud, cum terris vel inſulis ac cum omni jure, ad ſæpedictum Dominum noſtrum Regem, hæredes ſuos & ſucceſſores liberè redire debeat, & ſi liberos, unum vel plures, poſt nos habuerimus de noſtro proprio corpore procreatos, maſculum, extunc ille de ipſis, qui ſupradictum comitatum & dominium affectaverit, debet, ipſius Domini noſtri Regis, hæredum & ſucceſſorum ſuorum ſuper hoc requirere gratiam beneplacitum & conſenſum. Inſuper promittimus bona fide, quod ſupradicto Domino noſtro Regi, vel ipſius officiali apud Tunuberg perſolvere debebimus in proximo feſto Beati Martini Epiſcopi, & Confeſſoris, mille aureos, qui nobiles nuncupantur, moneta Angl: in quibus ſibi ex juſto debito recognoſcimus nos teneri. Item promittimus, quia ad comitatum, & ad dominium ſæpefatum, per ipſum Dominum noſtrum Regem ſumus jam promoti, quod conſanguineus noſter Maliſius Sperre ceſſare debet à jure ſuo, & ipſum jus ſuum omnino dimittere, ſi quod ad ipſas terras, & inſulas habere dignoſcitur, ita quod Dominus noſter Rex, hæredes ſui, vel ſucceſſores, nullam ab eo, aut ab ejus hæredibus, vexationem vel moleſtiam ſuſtinebunt. Item ſi cum conſanguineo noſtro Alexandro de Learde, pactum aliquod, ſeu placitationem aliquam fecerimus, vel fœdus aliquod cum ipſo inire voluerimus, extunc conſimiliter faciemus pro parte ſua, & pro parte Domini noſtri Regis quemadmodum de Maliſio Sperre eſt præcautum. Inſuper nos Henricus de Sancto Claro, Comes ſupra dictus, & amici noſtri, & conſanguinei, infra ſcripti videlicet Simon Rodde, Wilhelmus Danielis, milites, Maliſius Sperre, Wilhelmus Crykton, David Crykton, Wilhelmus de Byketon, Adam de Byketon, Thomas de Bennine, & Andreas Haldaniſton armigeri, in ſolidum bona fide promittimus ſæpefato Domino noſtro Regi Haquino ejusque primogenito Domino Regi Olavo & ejus conſiliariis, & hominibus infraſcriptis, Dominis videlicet Sigvardo Haffthorſſen Ogmundo Finderſen, Erico Ketelsſen Narroni Ingvaldiſſen, Johanni Oddaſſen, Ulphoni Jonſſen, Ginthero de Vedhonſen, & Johanni Danſſen, Haquino Evidaſſen, militibus ejusdem Domini Regis, Haquino Jonſſen, Alvero Hardiſſon, Hauthoni Ericſen Erlendo Phillippuſſen, & Otthoni Remer armigeris. Et ad hoc ſub conſervatione honoris noſtri nos & quemlibet noſtrum in ſolidum obligamus Dominis ſupradictis quod omnia pacta, & conditiones, & articuli, quæ & quibus ſuperius exprimuntur, debebunt eidem Domino noſtro Regi infra ſupradictum feſtum Beati Martini Epiſcopi & Confeſſoris prout unumquodque negocium ſuperius per ſe declaratum eſt, vere & firmiter adimpleri. Et ut hæc omnia jam promiſſa, eo majorem habeant firmitatem, & eo citius impleantur, Nos ſupradictus Henricus Comes Orchaden: conſanguineos noſtros, & amicos, Dominum Wilhelmum, Danielem Militem, Maliſium Sperre David Crykton & legittimum filium ejusdem Dominum Simonis nomine Alexandrum, ponimus & relinquimus poſt nos obſides, hic in regno, quidem obſides in ipſorum fide, ſe ad hoc obligant, & promittunt, quod ab ipſo Domino noſtro Rege Norvegiæ, vel ab illo loco, in quo ipſos infra regnum ſuum Norvegiæ habere voluerit, aliqualiter non recedant publice vel occulte antequam omnia ſupradicta, eidem Domino noſtro Regi cum integritate omnimoda totaliter adimpleta. Et præſertim ac ſpecialiter conditiones ac articuli, pro quarum & quorum obſervatione infraſcripti reverendi patres Epiſcopi & Prælati Eccleſiarum regni Scotiæ, ac alii ejusdem Regni nobiles infraſcripti, Dominus Wilhelmus Epiſcopus, Epiſcopus Sancti Andreæ, Dominus Walteyus Epiſcopus Glasguenſis, Dominus Wilhelmus Comes de Donglas, Dominus Georgius Comes Marchiæ Dominus Patricius de Hebburne, Dominus Alexander de Halibyrton, Dominus Georgius de Abirnechi, Dominus Wilhelmus de Ramiſſai milites promittere debent bona fide, & ſuper hoc eidem Domino noſtro Regi ipſorum apertas literas, eorum veris ſigillis, remittere in tempore prænotato, prout in aliis noſtris literis, ſuper hoc confectis plenius declaratur. Item promittimus bona fide, quod terras ipſius Domini noſtri Regis, ſeu aliqua jura ſua alia quas & quæ progenitores ſui, & ipſe Dominus noſter Rex ſibi reſervaſſe dinoſcuntur, nobis nullatenus aſſumere debeamus, necnon de ipſis terris, vel juribus intromittere quovis modo. Quas quidem terras & quæ jura infra comitatum Orchadenſem reſervaverunt, ut præfertur, ſed terræ & jura hujusmodi remanebunt, in omnibus ſibi

ſalva

ſalva, ſed ſi ſuper hoc ſuas habuerimus Literas ſpeciales, extunc eidem Domino noſtro Regi debemus exinde eſſe ſpecialiter obligati. Præterea ſi, qvod abſit, omnia iſta ſupradicta ad finem deducta non fuerint, & eidem Domino noſtro Regi totaliter adimpleta, prout ſuperius eſt expreſſum, aut ſi in contrarium alicujus præmiſſorum aliqvid attemptaverimus, extunc promotio & gratia, qvam nos ab ipſo Domino noſtro Rege, & ex ſua gratia aſſecuti ſumus, nullius debeant eſſe firmitatis, imo promotio & gratia hujusmodi nobis facta, omnino debeat eſſe caſſa & in ſuis viribus totaliter vacua & inanis, ita qvod nos & hæredes noſtri de cætero, ad comitatum prædictum, ſeu ad terras vel inſulas præfatas, nullum habebimus jus loqvendi, aut de ipſis terris & inſulis nos qvolibet ingerendi, ſed qvod manifeſtum ſit omnibus nos promotionem & gratiam hujusmodi fuiſſe nulla via juris vel juſtitiæ aſſecutos. Et ideo ſigillum noſtrum una cum ſigillis dictorum noſtrorum amicorum præſentibus literis noſtris apponimus, in teſtificationem & firmiorem evidentiam omnium præmiſſorum.

Facta ſunt hæc Marſtrandæ Anno Domini milleſimo CCC. ſeptuageſimo nono, ſecunda die menſis Auguſti.

Extat & alia Obligatio ejusdem Henrici de Sancto Claro, qvâ fidejuſſoribus cavet, ſe inſulas vel terras Orcadenſes ſine conſenſu Regis nec alienaturum nec oppignoraturum hac formâ.

Henricus de Sancto Claro Comes Orchadiæ, Dominus de Roſſlinne in Scotia, ſalutem in omnium Salvatore. Univerſitati veſtræ notum facio per præſentes, qvod promiſi bona fide, ac tenore præſentium cum omni fidelitate promitto Excellentiſſimo Principi ac Domino meo, Domino Haqvino Regi Norvegiæ & Sveciæ illuſtri, qvod terras aut inſulas comitatus Orchadiæ a Domino meo Rege prædicto, ejus hæredibus, Succeſſoribus, ſeu regno, aut ipſius regni manutenentia nullatenus alienabo, impignorabo, ſeu pro vadio tradam, ſine conſenſu Domini mei Regis ſupradicti, hæredum ſuorum ſeu ſucceſſorum, & qvod omnia præmiſſa fideliter obſervabo. Venerabiles in Chriſto patres ac Domini, Domini Wilhelmus & Valterus Dei gratia S. Andreæ, Glaguenſis Epiſcopi, Vilhelmus, Georgius de Donglas & Marchiæ Comites, Vilhelmus de Ramſſay, Valterus de Halibyrton, Georgius de Abbernnechi, Patritius de Hyburne, Johannes de Edmundſton, Aleyr de Haliburton, Johannes de Thumbce, Robertus de Dalyell Barones & milites, etiam promiſerunt. In qvorum omnium teſtimonium ſigillum meum eſt appenſum, ac ſigilla dictorum Epiſcoporum Comitum Baronum & militum apponi præſentibus procuravi. Datum apud S. Andream primo die menſis Septembris, Anno MCCCLXXIX.

Anno MCCCLXXX. ſub Barnabæ circiter feſtum qvod III eſt iduum Junii, venerunt ad Regem Norvegiæ Haconem Guljelmus Dalhiel, Malliſius Sparre & Alexander a Rode, miſſi ab Henrico de S. Claro, Orcadum Comite, cum reciproca ut vocant cautione ſuper inſulis Orcadum, qvâ ſe eas, permittente Hacone, in formam clientelaris præfecturæ tenere profitebantur. Sed eæ literæ cùm à Comitibus & Baronibus Scoticis, qvomodo Malſtrandæ condictum fuerat, obſignatæ non eſſent, accipere eas Hacon renuit, ſe idcirco iidem Henrici Comitis mandatarii Guljelmus, Malliſius & Alexander jam dicti, Tunsbergæ ſubſtituros, datâ ſyngraphâ, Regi Haconi addixere, donec allata eſſent, qvibus ſibi, ex præſcripto eorum, qvæ Malſtrandæ pacta conventaqve erant, ſatisfactum judicaret. Promiſerunt præterea iidem, numeraturos ſe ei centum octuaginta ſemiaureos (noblios vulgo dictos) qvi ratione contractus ex ſummâ mille ſemiaureorum ipſi etiamnum debebantur.

Anno MCCCLXXXIII. Memorabilem hunc annum nefandâ cæde Wilhelmi Orcadenſium Epiſcopi tradunt Annales, de cauſa autem auctore & circunſtantiis tacent.

Anno MCCCLXXXVIII. Henricus de S. Claro Comes Orcadenſis proximus ab Archiepiſcopo Nidaroſienſi Vinoldo, cæterisqve Epiſcopis & Senatoribus, in ordine prælatus, Eiricum Pomeranum, inter alios regni conſiliarios, prolixis literis, verum Norvegiæ hæredem & ſucceſſorem in regnum pronunciavit. Exem-

plum tabularum ſuper eo Latinè conſcriptarum ſignatarumqve *Pontanus* ad eundem annum, *hiſtoriarum Danicarum Lib. IX* in Reginæ Margaretæ actis exhibet.

Anno MCCCLXXXIX. Idem ſuffragium publicis comitiis, qvibus idem Comes interfuit, confirmatum eſt.

Anno MCCCXCI. Comes Orcadenſis occidit Malliſium Sparrium in Hialtlandia cum ſeptem aliis. Juvenis autem qvidam cum ſex aliis, navem ſex Scalmorum nactus, in Norvegiam fugâ evaſit.

Anno MCCCXCIV. Henricus Epiſcopus Orcadenſis, inter Epiſcopos Daniæ & Norvegiæ, qvi freqventes Helſingburgum acceſſerant comparuit, ut Scanienſes ad ædium ſacrarum extructiones, promulgatis, cujusmodi jam ante Sellandis impertierant, indulgentiis, præſentes qvaſi animarent.

Anno MCDVI. tradit *Buchananus Lib. X. pag. m. 343.* in Roberto Secundo, Jacobum filium Regis in Galliam deferendum, commiſſum fidei Henrici Sinclari Orcadum Comitis.

Anno MCDXVIII. Johannes Sinclarus ſe ipſum cum univerſâ Hialtlandiâ Regis Eirici Pomerani clientem profeſſus eſt.

Anno MCDXXII. Rex Eiricus Orcadum Præſuli Thomæ earundem comitatum, veluti præfecturam ac fevdum adminiſtrandum concredidit. Eſtqve profeſſus Thomas jam dictus, Literis ea de re VI. idus Julii prolixè datis, ſe à Rege Eirico Kyrchvogi arcem ac munitionem, una cum Orcadum univerſo comitatu, non ut pignus, aut debiti æris vice, ſed ex fide & more, qvo tradi a Domino, & accipi a cliente arces ac præfecturæ ſolent, accepiſſe ac tenere. promittereqve ſe eandem arcem ſartè tectèqve conſervaturum, & populum incolasqve omnes pacifice & ſecundum leges ac jura, pro virili moderaturum, nec ulla qvantum in ſe eſſet affici eos injuria, vel a ſe aut aliis permiſſurum. Polliceri inſuper ſe eandem arcem ac territorium Regi ac Domino ſuo Eirico, qvandocunqve id poſtulaverit, promptè redditurum. Si verò, qvod Deus avertat, mori Majeſtatem ejus, anteqvam a ſe repetere arcem & comitatum jam dictum poſſet, contingat, tum cum in manus ac poteſtatem Reginæ Philippæ nomine, ac vice nepotis ſui Bugiſlavi Pomeraniæ Ducis traditurum, qvàm primùm de eo compellatus fuerit. Si vero & illud accidat, qvod tamen prohibeat Deus, Regem & Reginam, anteqvam arx ditioqve jam dicta repetantur, ê vitâ migrare, tum eas ſe Regis Eirici ex patruo nepoti jam nominato Pomeraniæ Duci Bugiſlao, aut ſi & ipſum mori accidat, coronæ ac regni Norvagici nomine agnato ejus qvàm proximo, cujus inſignia gryphem præferunt, qviqve omnium procerum ſuffragiis, tribus hiſce regnis Daniæ Norvegiæ & Sveciæ præficiendus, ex iis cenſebitur, eas poſtulanti ſe permiſſurum, additis & aliis inſuper conditionibus, de filio aut filiis, ſi qvi interea ipſi Regi obvenirent, tum & iſta, ut omnia ære alieno libera, & qvomodo ea accepiſſet, integra & ſine morâ ac dolo malo reſtituerentur. His ſigilla ſua cum Epiſcopo adjecerant Niculaus Tolacus & Johannes Follertonius armigeri.

Interfuit & idem Epiſcopus fœderi, qvod inter Regem Eiricum & Vandalicas urbes ſancitum eſt, anno ſeqvente Hafniæ die Confeſſorum Viti & Modeſti, qvi fuit Junii decimus qvintus, interqve alios teſtis, ſuum qvoqve calculum & manum adjecit.

Anno MCDXXIII. initio ſtatim menſis proximi Rex Eiricus nobili cuidam Scoto Davidi Meynero præfecturam comitatus Orcadenſis commiſit, ſive remoto, ſive ut plauſibiliùs concedente Epiſcopo. Ejus Syngrapha talis.

Ego David Meyner Dominus de Wimo palam profiteor coram omnibus, qvi has literas vel legunt, vel lectas audiunt, qvòd à Potentiſſimo ac Sereniſſimo Domino ac Principe, Domino meo Clementiſſimo Eirico, Daniæ Sveciæ & Norvegiæ Rege, & Potentiſſima ac Sereniſſima Domina mea & Principe, prædictorum trium Daniæ, Sveciæ & Norvagiæ regnorum Regina, Domina Clementiſſima Philippa, ex ſingulari favore & gratia, fidei ac curæ meæ credita, accepiſſe & impetraſſe, atqve etiam his literis accipere & impetrare, eorum, coronæqve Norvegiæ beneficio, comitatum & terram Orcadenſem.

Qvæ

Qvæ in qvantum corona Norvegiæ tenetur, administranda, defendenda, protegenda ipsorum eorumqve successorum Daniæ Sveciæ & Norvegiæ Regum vicem suscipiam; qvod etiam, prout vir fidelis, legum reverens & bonus Domino suo obligatur, ex fide præstabo, donec eorum clementia permiserit, salvo tamen jure meo, & possessione qvam teneo cum patre juvenis Domini Villeby. Polliceor itaqve me prædictis Dominis meis Clementissimis, Domino Eirico, & Dominæ Philippæ, successurisqve in prædicta regna Daniæ Sveciæ & Norvegiæ, memoratum comitatum & præfecturam, liberum & nulla ex parte imminutum redditurum, qvandocunqve eorum Clementia repetiverit & postulaverit. Hanc fidem his articulis omnibus & singulis præscriptam me integrè præstiturum Clementissimo Domino, Dominaqve meæ, & subsequentibus Regibus Daniæ Sveciæ & Norvegiæ, sine fraude & dolo malo promitto. Promittimus & nos Tomas de Tholak Episcopus Orcadensis & Valtarus Fraser conjunctim, inqve majorem securitatem, nos prædicti tres, nostra sigilla scientes & volentes hic appendimus.

Hic jure administrationis in vim verso, variis injuriis contra datam fidem cives Orcadenses, sine status aut conditionis respectu pro libitu afflixit, accusatus deinde, scriptâ ad Regem epistolâ, officio motus est. Crimina, qvæ ei intentata sunt, seqventia nobis *Hvitfeldius* ex archivis verbotenus expressa *Chronologiæ suæ Parte III* ad hunc eundem annum recenset. I. Cùm adversi frugibus anni affligerent terram, publicoqve concilio, ipsius qvoqve Davidis consensu decretum esset, ne frumentum efferretur, sed indigenis tolerabili pretio venderetur, nihilominus ipsum Præsidem qvatuor navibus frumentum in Scotiam avexisse, & anteqvam hæc constitutio facta esset, qvinqve aut sex naves frugibus onustas aliò amandasse, maximo insularum damno. II. Peregrinos præterea invexisse, qvi plebi universæ, etiam iis, qvi judicia administrabant, admodum graves, hospitiis se magnis civium damnis & molestiis violenter ingessissent. III. Publicum terræ sigillum, invito supremo juris Præfecto abstulisse, contraqve leges & consvetudines obsignandis, qvæ libuit, adhibuisse, cumqve vir qvidam nobilis nomine Christianus Ellingeslet, expostularet præposterè signaculum gentis in abusum trahi, magnam eum pecuniæ jacturam fecisse. Cum autem Comes accederet, postularetqve idem ad obsignandum testimonium, qvo jus suum in Orcades, a majoribus per ordinem successionis ad se delatum monstraret, & asserreret, simulqve ut qvidam indigenarum nobiliores secum ad Serenissimum Regem, ejusqve senatum, transfretare permitterentur, ad statum publicum declarandum, verumqve de jure suo testimonium ferendum, neqve signaculum, neqve comites ullos, præter Thomam Sinclerum & Archidiaconum Hialtlandiæ, duosqve famulos indigenas impetrasse. IV. Anno proximo ex qvo Comes in Dania apud Serenissimum Regem moratus esset, cùm prædictus David eò profecturus esset, universos eum insularum incolas convocatos, de testimonio vitæ apud eos transactæ sollicitasse, idqve scriptis ad Clementissimum Regem, eiqve traditis literis obtinuisse, ea conditione, ut viri primæ nobilitatis, viginti qvatuor eum ad Regem seqverentur, qvos cives neqvaqvam dubitarent, si eò perveniissent, tum de commodis Regis, tum etiam administratione Davidis Regem informaturos, verùm itinere à Davide prohibitos, domi remansisse, solum profectum, sigillum gentis secum avexisse, nemine nobilium comitante. V. Regiæ monetæ valorem adeo minuisse, ut uni Scotico duos regios nummos æqvari juberet, idqve tantisper, donec tantùm non omnem regionem monetâ exhausisset. Cùm autem Thomas Sinclerus noviſſimè, è Daniâ rediisset in eundem valorem eam restituisse, qvem in Norvegia obtinuit, idqve publicè promulgasse, qvod & hodie teneat. VI. Nec parum incolis nocuisse multarum Regi Comitiqve debitarum, præterlegum privilegiorumqve aut reformationum regulas rigidas exactiones. VII. Supremi insularum judicis (qvem nomophylacem appellant) uxorem, ejusqve propinqvos accusasse, qvòd is bis comprehensus, in turrim (carcerem) conjectus fuerit, talibus ex causis. Qvarum prima, qvod Jon de Baddi nomophylacis minister & propinqvus, repetivisset eqvum suum a Michaele Magio Davidis propinqvo, qvi

eo invito, eum aliò profecturus abſtuliſſet, ea de cauſa nomophylacem in platea Kyrkiuvogenſi incedentem apprehenſum turri incluſiſſe, ſed poſtqvam dimiſiſſet peregrinos Cataneſenſes, in domum ejus immiſſos, templum effringi feciſſe, & qvæcunqve ibi continebantur, evehi, ſingula qvæ in domo erant, magna parvaqve corrumpi, nullo omnino excepto. Captum denuo nomophylacem in turrim conjeciſſe, tantùm qvòd ei ſigillum terræ ad obſignanda qvæcunqve volebat tradere recuſaſſet, ibiqve tam diu detinuiſſe, donec ſe ei addixiſſet, uxorqve ejus ſigillum, & codicem legum altari Divi Magni impoſuiſſet. Exinde prædictum Davidem ſigillum & codicem in ſuam cuſtodiam aſſumpſiſſe, aliumqve nomophylacem conſtituiſſe, qvi id officium ægrè aſſumpſiſſet. VIII. Qvo tempore ſupremum judicem turri incluſerat, alium qvoqve nobilem indigenam, ſimul in carcerem, contra Leges & ſine cauſâ intruſiſſe. IX. Jonem Loggium accuſaſſe ſe qvoqve eidem carceri mancipatum, qvod reqviſitum ſigillum negaret ſibi niſi ad cuſtodiendum commiſſum eſſe. X. Thomam Sinclerum mandatarium Comitis expoſtulaſſe cum Davide, qvod de canonibus annuis Comitis, à morte patris ejus & anno, qvi præceſſit, ad octo Libras Anglicas acceperit, præter alia. id qvod Comes ad Clementiſſimum Regem accuſare decreverit. XI. Ipſum qvoqve Thomam Sinclerum ſuo proprio nomine qveſtum, qvod poſtqvam literis Regiis munitus eſſet, qvibus eum Rex, ejus miniſtros, bona, navem & qvæcunqve ejus eſſent, in ſuam regiam protectionem receperat, nihilominus famulum ſuum Davidem Smid comprehenſum, ad ſangvinem usqve intra ſuam domum verberatum, inqve infima turris detruſum, ibiqve compedibus injectis, in reditum ſuum è Scotia detentum fuiſſe. Se vero, cùm primum in Orcades reverterit, interponentibus ſe bonis viris, ſtatim domum ſuam cum ſuis rediiſſe, ibiqve ad finem diei permanſiſſe, qvo tunc Johannes de Kiorovogo (Kroge habet Exemplar) filiusqve ſororis ejus, cum pluribus aliis ſe acceſſiſſe, ſvaſiſſeqve, ut in templum aut aliò profugeret, ni cum ſuis incendio perire mallet, qvò cùm ſe recepiſſet, ad jura templi, literasqve tutelæ regiæ, qvas ſimul exhibuerit, neqvicqvam provocaſſe, tandem clam elapſum, Clementiſſimi Regis, ſuisqve amicis collectis, poſtulaſſe, ut in gratiam Regis, ſe ab oppreſſione vindicarent, legum pro ſe ſuisqve præſidia ſæpius inclamaſſe. His comitatum, ubi ad templum rediiſſet, ſuosqve miniſtros inde exemiſſet, cæſum eſſe ſororis ſuæ filium. Inde interponente ſe nomophylace cum aliis primariis viris, litem iſtam ita compoſitam, ut datis ab utraqve parte prædibus, cauſam omnem Regis aut Comitis judicio decidendam committerent, caviſſe prædibus Thomam duodecim. Davidem nullo, cumqve ille in Scotiam rediiſſet, Comitem deceſſiſſe, qvo cognito Davidem prædibus iſtis duodecim, triginta ſex libras Anglicas expreſſiſſe, omnemqve dilationem, qvoad ſimul judicio Regis, ſenatusqve ſiſterentur abnuiſſe. His ita ordinatis, eos qvi Thomæ Sinclero ad ædem ſacram protectoriis literis Regis conſervandis adhæſerant, octuaginta Libris Anglicis, & qvinqvaginta ſolidis multaſſe, fuiſſe autem qvi Davidis Thomæqve verba exceperant, cùm Thomas ad Legis & judicis ſententiam provocaret, nimirum Nicolaum Myrium, Dominum Laurentium, Dominum Johannem Canonicum, Willerum de Hedal (Arildus Hvitfeldius Herdal) Alexandrum de Sudurlandia, Johannem de Krage, Wilhelmum Ytving, Wilhelmum Elet, Adamum de Neſtegaard, Chriſtianum de Ellingeklat (Arildus Hvitfeldius Ellingeflet) multosqve alios terræ iſtius Bonos viros, & presbyteros & laicos. XII. Wilhelmum qvoqve Breſſium, ſine ullo juridico proceſſu, nedum criminis alicujus convictum, compedibus conſtrinxiſſe, tantùm qvòd ad colloqvium cum Comite in Scotiam profectus eſſet. XIII. Cùm plebs de Rognvaldzö (Rognvaldzeya) præſidi provinciæ ſuæ qvereretur, de Scotorum, qvos feros appellant, nimiâ, ſibiqve commiſſationibus aliisqve moleſtiis, gravi freqventatione, profeſſa ſe mori malle, qvàm tantis identidem injuriis vexari, reſpondiſſe Davidem, non omnes eos uno eodemqve die morituros, ſingulis tamen diebus, qvoad is iis præeſſet aliqvos.

XIV. Davidem Meynerum Henricho Ganoch duas ſelibras Anglicas abſtuliſſe,

liſſe, qvod prædicto Thomæ in Regii diplomatis auctoritate vindicanda adhæreret. XV. Joni Simonis filio ſex (Hvitfeldius habet undecim) ſolidos Anglicos, eodem die abſtuliſſe. XVI. Malcun Jonis etiam qveſtum, nave ſe bonisqve aliis, pretio ducentorum nobliorum, ſine actione juris ſpoliaſſe. XVII. Prædictum Davidem Jonem Jonis filium, comprehendi curaſſe, adqve livorem & ſangvinem contuſum, in turrim conjeciſſe, eiqve unam naviculam ſex ſcalmorum, pretio duarum Librarum Anglicarum emunxiſſe, cum pluribus aliis bonis ſine cauſâ. XVIII. Nauclerum Thomam Brun qveſtum, conjectum ſe a Davide in turrim, qvòd ad primum nuncium eum non acceſſiſſet. XIX. Et cum David noviſſime ex Dania rediiſſet, onuſtam mercibus prædicti Thomæ navem arripuiſſe, inqve Scotiam eo invito miſiſſe, ibiqve ſimilagine pretio viginti qvatuor nobliorum eum ſpoliaſſe, detinuiſſeqve maximam partem hiemis, cujus exitu cum domum navigaſſet, navis, mercium nautarumqve aliqvot jacturam fecerit. XX. Jonem Loggium qviritatum, exutum ſe a Davide ex prædictæ navis vectura decem cadis (tonnas vocant) hordeo, octo ſimilagine refertis, octo cupis pice uno ferro diſtentis, undecim menſuris ceræ qvas lapides appellant (eſſeve Steen med Vox) viginti ſex lebetibus magnis parvisqve, duabus ſtateris, duobus molegis (moleger) malluviis, centum & octo libris cannabis, ſex cantharis ſtanneis, undecim albarum & rubrarum patinarum decadibus, qvæ ſimul in ſummam viginti ſex librarum Anglicarum aſcenderint. XXI. Prædictum Davidem Andreæ Jonis ex eadem nave ſex Lebetes pretio ſex nobliorum eripuiſſe. XXII. Præfatum Davidem, Nicolaum Jonis ſpoliari feciſſe qvadraginta ſolidis Anglicanis, in auro & argento, eo qvod ſe Thomæ Sinclero conjunxiſſet, Clementiſſimiqve Regis diplomati ſatisfeciſſet, ad leges ſe, ſed fruſtra provocaſſe. XXIII. Patricio Thyrgelſonio duas vaccas, bovemqve caſtratum, eadem de cauſa ademptum. XXIV. Jonem Fif in turrim conjectum, compedibus ferreis duritèr conſtrinxiſſe, vigintiqve nobiis mulctaſſe, ſine juris proceſſu, tantùm qvòd dixiſſet Comitem eſſe ad comitatum Orcadenſem illo jure potiorem, eſſetqve Comiti ſangvine junctus. XXV. Joni Blatto qvinqvaginta marcas Anglicas de nocte eripuiſſe, qvod in mandatis regiis vindicandis, cum Thoma Sinclero unum feciſſet, eum qvoqve leges judiciumqve imploraſſe. ſed nullo ſucceſſu. XXVI. Wilhelmum Graa conqveſtum ſe ab eo coactum, ad transmittendam navem ſuam ad inſulam in mari longè diſſitam, Solsker dictam, ſub minis exilii, cumqve navi duos fratres ſuos minorennes, & octo alios indigenas impoſuiſſet, omnes cum ea periiſſe. Navem cum armentis mercibusqve qvindecim marcis Anglicis æſtimatam. XXVII. Samſonem Vilhelmi filium deploraſſe, ſe templo violenter ereptum, damnatorum in morem vinctum, protinus capitis ſupplicio à Davide deſtinatum, ni Canonici cum uxore ejus interceſſiſſent. Expreſſos tamen ſibi unum & qvinqvaginta ſolidos Anglicos, ſine juris proceſſu, ſine judicio, tantum qvod imputaret ſibi, qvod miniſtrum ſuum vulneraſſet, ſe legibus crimen diluere volentem, non admiſſum. XXVIII. Paridem Lutzit (Liutfitt) profeſſum eſſe, ſe qvoqve incluſum turri, coercitum ferreis compedibus, tribus integris diebus ac noctibus, liberationem deinde impendio decem marcarum ſignatarum conſtitiſſe, inobſervato ſe nullius criminis convictum, tantum qvod a Thoma Sinclero dependens Regis mandatis velificari ſtuduerit. XXIX. Prædictum mandatum Paridi inter recitandum, a Davide ereptum, referente ſe tales Literas in alium ſermonem tranſlatas, octodecim denariis Anglicis in Dania emere poſſe, retinuiſſe deinde & in eum diem, qvo hæc querela inſtituta eſt, retinere.

XXX. Thomæ Bimſoni unam & viginti marcas Anglicas, inauditâ cauſâ eripuiſſe. XXXI. Inaudita qvoqve cauſâ, ſine judicio, contra Leges Magno de Jennelandia duodecim cados hordeo plenos, viginti qvatuor ſolidorum Anglicorum pretio eripuiſſe. XXXII. Wilhelmum Geredſonium, ejusqve eqvos in turrim conjeciſſe, ſine legitimo proceſſu, tantum qvod Thomam, Regiiqve mandati partes ſuſceperit, tredecim marcis Anglicis liberationem emercari coactum.

XXXIII. Eadem de cauſa Sanderum Brunum de nocte viginti ſeptem marcis Anglicis ſpoliaſſe. XXXIV. Et prædicti Sanderi miniſtrum undecim marcis Anglicis, ejusdem intentati criminis prætextu. XXXV. Dominum Nicolaum Myrium, & Dominum Laurentium Canonicos, qveſtos eſſe, qvod ſigillum Capituli arcæ, qvæ in penetrali templi ſtetit eximiſſet, præterqve ſemeſtre detinuiſſet, qvid ſcribi, illoqve obſignari fecerit non ſibi conſtitiſſe. Multo plura eſſe qvæ ad Clementiſſimum Dominum ſuum Regem de geſtis Davidis Meyneri, illatisqve ab eo populo Orcadenſi damnis, ſcribi poſſent, neceſſariaqve eſſent, ſed molem ejus criminum, longamqve ſeriem, in præſens ſe exponere neqviſſe, tantum in horum capitum firmius teſtimonium, majoremqve ſecuritatem, terræ ſuæ, populiqve Sigillo, has literas obſignatas, etiam ſigillis Reverendi probiqve viri Wilhelmi Thurgilſonii regionis nomophylacis, Kolbeini Flæt, Jonis Magni filii & Wilhelmi Utving, confirmatas.

Anno MCDXXVI. die XXIX. Julii cum Rege Scotorum Jacobo, ejus nominis Primo, fœdera omnia antiqva inter Scotos & Norvegos renovata, qvorum antiqviſſimum habebatur, qvod inter Alexandrum Tertium & Magnum olim pactum fuerat, ſuper Hæbudis inſulis, ut & penſione certa, qvam, retentis Mannia & Sudureya Norvegiæ Regi ſoluturum ſe per annos aliqvot Alexander receperat, exceptis centum argenti marcis, qvas in annos ſingulos numerare, ad Orcades idem, ejusqve ſucceſſores tenebantur, cujus cenſus diu per bella, aliaqve incommoda intermiſſi, gratiam Rex Scoto fecit.

Totus hic tractatus cum inſtrumentis fœderum inter Magnum Qvartum Norvegiæ, & Alexandrum Tertium Scotiæ, Haqvinum Qvintum Norvegiæ, & Robertum Primum Scotiæ Reges in Archivis Regiis reſervatur, tabulæqve tranſactionis inter Magnum Qvartum & Alexandrum Tertium traditæ ſunt Legatis Friderici Secundi Daniæ & Norvegiæ Regis. Mandrupo Pasbergio, Henrico Belovio Regni conſiliariis, & Nicolao Theophilo Doctori, in Scotiam à Friderico Secundo miſſis, Fridrichsburgi Anni MDLXXXV. die IV. Maji Scotis ſi reqvirerentur exhibendæ.

Anno MCDXXVII Remoto Davide Meynero recepit comitatus præfecturam Epiſcopus Thomas de Tholac, cujus Obligatio literis fidei Regi ab eo datis hac forma in Archivis Regiis extat.

Nos Thomas de Tholack Dei gratia Epiſcopus Orcadiæ, præſentibus notum facimus, & teſtamur, qvod ab illuſtriſſimo Principe & Clementiſſimo Domino noſtro, Domino Erico Norvegiæ Daniæ & Sveciæ Rege totam Orcadiam jure feudi impetravimus ad gratiam & arbitrium ſuum & ſucceſſorum ſuorum, cum omnibus juribus Regiis poſſidendam. Qvam terram prædictam ipſi & legitimis ſucceſſoribus ſuis in regno Norvagiæ, qvandocunqve id illis placuerit, ipſamqve a nobis repetiverint, absqve omni dolo & impedimento liberè reſtituemus, Promittimus etiam nos ſubditis terrarum iſtarum jus ſecundum Leges Norvagicas, & antiqvas conſvetudines ad nos devolutas pronunciaturos. Prædicta omnia pollicemur nos præfato Regi & ſucceſſoribus ſuis, bona fide præſtituros. In cujus rei evidentius teſtimonium literas haſce noſtro ſigillo confirmari juſſimus. Simulqve obtinuimus a Reverendo in Chriſto patre, & fratre noſtro chariſſimo Andbiorno Epiſcopo Hamarenſi, ut in majorem fidem easdem ſuo ſigillo nobiſcum communiret, Dat. Weſtenhoſten in Lalandia, Anno Regni Domini noſtri Regis Erici XXXI. in feriis Divæ Botoldæ.

Anno MCDXXXI. advenêre honorificè ſalutatum Eiricum Henrici Sexti Anglorum Regis Legati, Guljelmus Sprenius juris conſultus & Johannes Germersbyus eqves. His in mandatis Henricus dederat, ut cum Eirico Daniæ, Sveciæ & Norvegiæ abſoluta poteſtate ſuo regnorumqve ſuorum ac ſubditorum nomine agerent, omniaqve ad pacem, concordiam, mutuaqve commercia, qvæ antiqvitus, ſemperqve inter utrosqve fuiſſent pertinentia conſtituerent, ſe ea cuncta exſecuturum. Habebant & ſpecialia qvædam mandata, de damnis, qvæ ut referebant, Norvegi, qvibusdam ex Anglicis mercatoribus intuliſſent, his ut qvàm primum ſatisfieret, petebant. Rex iſtis acceptis amicè reſcripſit, culpamqve in Anglos retor-

retorsit, qvi Senatores Norvegicos Hafniam evocatos medio itinere interceperint, captivosqve detinerent alios qvoqve ejusdem gentis, qvi vetitas Norvegiæ insulas Islandiam, Grönlandiam, Færeyas, Hialtlandiam & Orcades navibus adirent, commerciisqve freqventarent, nec illud modò, sed portus sæpenumero Norvegiæ hostiliter ingressi ferro flammaqve municipia vastassent, naves diripuissent ipsosqve naucleros profundo mersissent. Essеqve speciatim annotatum, qvid in Halogalandia & Finmarchia, qvid iis navibus, qvæ Bergis Islandiam, qvotannis petunt, & iis qvoqve, qvæ Hialtlandiam, Orcades, aliasqve in vicino insulas adeunt, per annos illos viginti damni dederint, & nomina etiam non eorum modo, qvi detrimentum essent passi, sed eorum qveqve, qvi intulissent, scripto pro parte signata haberi. Orcadensium damnum in ingentem summam ascendit, & solius Episcopi Wilhelmi unicâ tantùm nave acceptum, in tredecim noblios. De singulis proximo Octobri Kalingburgi per Legatos ttansactum. Capita Compositionis *Pontanus lib. IX. Rerum Danicarum pag. 194.* dilucidè explicat.

Anno MCDXXXIV. die Divo Laurentio sacro Rex Eiricus nobilem qvendam Scotum Gvilielmum de S. Claro, ritu investituræ solenni & usitato Comitem Orcadensem creavit. Qvi vicissim Regi, ejusqve Successoribus homagium præstitit, fidemqve suam consilio & opera, his conditionibus obligavit, ut sequitur. Se nimirum qvandocunqve postularetur, centenis armatis peregrè militaturum in commodum & usum Regis, modo mensibus tribus apud Orcades antea præmoneatur. Ubi autem advenissent illi de alimonia aliisqve necessariis prospici ipsis Rex curaret. Se etiam si qvi forte invadere hostiliter Orcades Hialtlandiamqve tentaverint, omnibus viribus ac manu ex insulanis collectâ, inhibiturum eos, ac sua defensurum territoria. Bona qvoqve fide pollicebatur, nullas se arces aut munitiones excitaturum, nisi conscia ac consentiente Regia Majestate. Ditiones qvoqve easdem atqve incolas, clerum, Laicos, dites & pauperes, intra juris ac Legum fræna retenturum. Turrim vero illam, qvæ sine consensu Regis Kyrkiuvogi extructa erat tempore avi ejus & prædecessoris Comitis Henrici de S. Claro, sine ulla contradictione dicto Domino Regi, cum tota Orcadia & insulis Orcadensibus, ejus heredibus, & successoribus, regnoqve Norvegiæ se cessurum promittit. Neqve se etiam eundem comitatum ditionesqve prædictas, & qvam in eas Dei & Regis beneficio jurisdictionem tenet, aversurum ullo modo aut oppignoraturum, sine consensu ac voluntate Domini ac Regis sui jam dicti. Hæc ferè præcipua sunt, qvibus se fevdi ac clientelæ jure Regi ac regno Norvegiæ obligatum Comes agnoscit. Qvibus & alia nonnulla accedunt de dissidiis intra comitatum dictum non excitandis, deqve Rege ut judice agnoscendo, idqve secundum Leges & jura Norvegiæ, ac deniqve de ecclesiasticis Episcopoqve tutando, qvæ aliaqve, ut specialiora, prætervimus. Inter testes verò & compromissores Comitis nominantur Henricus Aberdonus, Columba Apranensis, Robertus Cathanensis, divina gratia Episcopi, Itemqve Archibaldus, Duglassus, Guljelmus Angustius, Georgius de Marche Comites, Gulielmus Corck (aliud Exemplar Gortuucke) Alexander Ramseus eqvites, Johannes de S. Claro, Andreas de Keith armigeri. Obsidum etiam loco, cujusmodi olim avus hujus Comitis Henricus Orcadum Comes Regi Norvegorum Haqvino exhibuit, eorum inqvam loco se codicillis capitibusqve suprascriptis subditurum spondet sigilla Thomæ Sincleri, Davidis Mundtovii, Alani Beton, Alexandri Brounii, Robertii Beny, & Johannis Haraldi armigerorum, Promittit præterea easdem literas, eo modo, ut dictum, obsignatas transmissurum venerandis in Domino patribus, Aslacho divina gratia Archiepiscopo Nidarosiensi. Thomæ Orcadensium, Johanni Osloensi, Auduno Stavangriensi. Patro Hammarensi, Olafo Bergensi Episcopis, ut & Erlendo Erlendi, cæterisqve ex ordine eqvestri ac senatorio Regni Norvegici. Cumqve sæpiusculè etiam Eirico Regi avunculo suo nomine Orcadum & Comitis dicti, literas misisset Serenissimus Scotorum Rex Jacobus, adstipulatus similiter est Comes idem, operam se daturum ut tabulæ, qvibus capita superius expressa continebantur, Regis ejusdem Illustrissimi sigillo instructæ ad Regiam

Majest-

Majeſtatem pervenirent. Acta hæc Hafniæ, die & Anno ſuperius poſitis. Integrum inſtrumentum in Archivis Regiis reſervatur Cujus mihi clementiſſime facta eſt copia.

Anno MCDXLII. Cum Chriſtophorus Bavarus trium ſeptentrionalium regnorum Rex in Norvegia Oſleiæ dictione Ordinum Rex Norvegiæ conſtitueretur, ſolenniqve inaugurationis ritu diademate cingeretur, inter cæteros præſules proceresqve regni Norvegici Thomas Epiſcopus Orcadenſis recenſetur.

Anno MCDLVI. & LVII. inter Chriſtianum Primum Norvegiæ, Daniæ & Sveciæ, & Jacobum Secundum Scotiæ Reges, exorta diſcordia, ad apertum Bellum ſpectabat, qvod annuam penſionem juxta pacta antiqva, a tempore Regis Eirici Pomerani, Scotus Regi Norvegiæ non ſolviſſet, qvam Rex Galliæ Carolus, utriqve Regi Norvegiæ Scotiæqve confœderatus, tanqvam mederator, componere aggreſſus eſt, vi contractus inter eum & Regem Chriſtianum, qvo inter alia capita continebatur, qvod ſi Rex Scotiæ, Regem Chriſtianum ut Norvegiæ Regem, debita pro Hæbudis & Mannia penſione fraudari contra pacta perſeveraret, Rex Galliæ ſe ita adverſus Regem Chriſtianum gereret, qvalem eum erga ſe exoptaret. Is itaqve ab utraqve parte decidendæ liti arbiter ſumptus, amicum conventum anno MCDLVII. ad feſtum Pentecoſtes Pariſiis iis indixit.

Extant & qvædam epiſtolæ, ait Hvitfeldius, ex qvibus apparet iſtis duobus annis inter Norvegos & Scotos diſſidia viguiſſe. Sed & intermedio tempore, poſtqvam ab utroqve Rege in conventum conſenſum eſt, Biornus Thorleifi filius, qvem Rex Chriſtianus Iſlandiæ præfectum conſtituerat, gravi tempeſtate compulſus, magno cum vitæ periculo, in portum Orcadum unum compulſus a Scotis invaditur. Cumqve uxore & nautis in vincula conjectus, cum nave & mercibus in Scotiam defertur, ſine reſpectu juris Regis Chriſtiani, in cujus ditione, mare portusqve erant, ubi ei vis illata eſt. Cumqve Rex Scotiæ ab illo per Literas de reſtitutione præfecti, rerumqve ablatarum, & animadverſione in prædones debita interpellatus, ejus qverelis nihil moveretur, Rex Chriſtianus haud abſurdè concluſit, hoſtilia eum magis, qvam amicam per conventum compoſitionem moliri. Itaqve ad Regem Galliæ ſcripſit, ſe hoc ſtatu Legatos ad conventum, uti convenerat, mittere non poſſe, niſi Rex Scotiæ prius ſignificaret, an etiam ſuos legatos cum plena poteſtate ad componenda omnia diſſidia, eò miſſurus eſſet, cumqve eo ut amico, an hoſte ſibi congrediendum eſſet, dimitteretqve prius captivum Præfectum, cum nautis nave & univerſa vectura; Cumqve ſibi in Sveciam proficiſcendum eſſet, atqve ita tam properè, ut conſtitutum erat, legatos mittere neqviret, poſtulabat, ut conventus in feſtum Martini differretur, ſibiqve interim uti poſtulavit ſatisfieret. Relatæ deinde ſunt Regi Chriſtiano Regis Galliæ literæ XVIII. Maji Anno MCDLVI. ſcriptæ, qvibus declarat Regem Scotiæ reſpondiſſe, ſe legatos miſſurum, diemqve conventus in primum proxime Seqventis Octobris prorogatum eſſe.

Anno MCDLVIII. Scripſit Rex Chriſtianus ad Jacobum Scotiæ Regem, prædeceſſores ejus Reges Scotiæ amicitiam cum ſuis prædeceſſoribus Regibus Norvegiæ ſemper coluiſſe, atqve ideo Scotiæ Regibus Hæbudas & Manniam conceſſas, ea conditione ut qvotannis, ducentos noblios in templo Orcadenſi Sancto Magno dedicato, Regi Norvegiæ ſolverent, Archiepiſcopo Trandiæ ſuo jure in eccleſias inſularum reſervato, adjectamqve pactorum transgreſſori pœnam, inſtrumento ceſſionis comprehenſam, ſalvo nihilominus contractu, & nulla ex parte labefactato. Reges autem Eirici Pomerani tempore, cum annua iſta penſio intermitteretur, conventum denuo inſtitutum, deqve reſiduis transactum, contractumqve de annua penſione renovatum. Exinde circiter qvadraginta annos penſionem intermiſſam liqvido monſtrare, penes qvem culpa eſſet, cùm igitur talis tergiverſatio ſuis ſucceſſoribus Norvegiæ Regibus damnoſa eſſet, nec ſe amicis ſuis literis qvicqvam profeciſſe, ſe qvantumvis invitum ad præſidia Pontificis ſe provocaturum pignorationibusqve ſeu repreſaliis ſuas res vindicaturum.

Anno MCDLX. miſit Rex Chriſtianus Legatos ſuos ad Regem Galliæ Carolum Septimum, Canutum Epiſcopum Viburgenſem, & Magiſtrum Danielem

Kiepke

Kiepkende Nyland, Canonicum Nidaroſienſem, ſuum Cancellarium, qvi Regi Daniæ, juxta memoratum fœderis initi articulum obligatus, Burgis Galliæ conventum inſtituit, qvò profecti Daniæ Regis legati, fœderis inter Norvegiæ Regem Magnum & Alexandrum Scotiæ Regem, Anno MCCCLXVI. Perthi Scotiæ, die Pauli Apoſtoli facti (ut ſuperius memoratum) apographum produxerunt, cùm tamen avtographum, teſte ipſo Regni Cancellario *Arildo Hvitfeldio* ad hunc annum, ejus tempore, hodieqve ut credo in Archivis Regis inveniatur) & unà contractum inter Regem Eiricum Pomeranum & Jacobum anno MCDXXVI renovatum, à qvo tempore ad annum præſentem, qvo penſionis ſolutio intermiſſa eſt, univerſam ſummam, unà cum decem millium marcarum, in ſingulos annos multa, qvæ in qvadringenta tria millia marcas, ſpatio viginti ſex annorum excreverat, reddi poſtularunt, idqve judicio Regis Galliæ fieri inſtabant. Ex parte verò Regis Scotiæ Legati comparuerunt, Johannes de Monizon Dominus de Congreſſault, & Fuljardus, præſidiariæ Regis ſtationis Capitaneus (nam Epiſcopus Sancti Andreæ, qvi legationis princeps erat, Brugis Flandriæ morbo detinebatur) hi expoſtularunt, ut avtographum Dani producerent, cùm ex apographo ad ſolvendum non obligarenrur, qvòd ſi omnino cum iis, apographo tantùm inſtructis, ſermo conferendus eſſet, poſſe reſponderi, cùm contractus Eirici Pomerani tempore renovatus ſit, ibiqve ſumma in ſingulos annos ſolvenda, definita, nec tanto poſtea tempore reddita fuerit, tot annorum præſcriptione ejus liberationem, Scotis qvæſitam, pœnam verò, qvam a Rege ſuo poſcerent, adjectam, qvi contractum rumperet, rumpi autem contractum, ſi qvæ negligentia interveniat, haud qvaqvam videri. Præterea Epiſcopum de S. Andrea Brugis decumbere, qvi ipſum avtographum in ſua cuſtodia reſervet, qvo forſitan contractus, qvem urgent, antiqvatus convincatur. His auditis Rex Galliæ facilè animadvertens, ſine avtographo vel ex Dania, vel Scotia, qvorum poſterius penes Epiſcopum de S. Andrea eſſet, nihil decidi poſſe, medium ad reconciliandos Reges, qvod prius per literas utriqve ſignificaverat, de nuptiis inter utriusqve liberos conciliandis, Regis ſcilicet Scotiæ filium Jacobum, & Regis Chriſtiani filiam Margaretam, utriusqve Regis Legatis monſtravit. Ad qvod illi reſponderunt, ſe qvidem nomine Regum ſuorum, qvæ proponeret, audituros, decernendi poteſtate ipſis reſervata, mox cum ſingulis ſeorſim actum, & Scotis qvidem maximè placuit, illo potiſſimum modo, litem inter regna componi, ideoqve pollicebantur, ſe omnem induſtriam adhibituros, ad iſtam pacificationem promovendam, ſed qvo certioribus fundamentis inniteren ur, ſeqventes conditiones propoſuerunt. Nimirum ut Rex Daniæ Regi Scotiæ in perpetuum remitteret, annuam illam pro Hæbudis & Mannia, centum marcarum penſionem, & qvod reliqvum eſſet, una cum adjecta multa, concederetur Regi Scotiæ omne jus in Hialtlandiam & Orcades, præterea centum millia coronatorum ad mundum veſtemqve muliebrem filiæ ſuæ, tantæ nobilitatis virgini condignam. Regem Scotiæ ei viciſſim tantum dotalitium adjecturum, ut Patri Regi ſatisfieret, cæterum ſingula arbitrio Scotiæ Regis, tam de pactis conjugalibus, qvàm adjectis conditionibus probandis, aut limitandis, aut abnuendis, remitti. His Legati Danorum reſponderunt, nullâ ſe a Domino ſuo poteſtate de pactis conjugalibus inſtructos, ſe tamen propoſitas a Scotis conditiones fideliter Regi ſuo relaturos, ſed penes ipſum futuram poteſtatem, utrum filiam ſuam iſta vel alia dote elocari velit. Interim petiverunt definitivam ſententiam, de reſidua penſione & pœna, ut & reſponſum ad proximum Feſtum S. Johannis, ſi Rex Scotiæ conjugium iſtud non probaret, ſolutionemqve debiti, cum cautione uberiore, de annuâ penſione. Verùm cùm Dani, ſive mandatum Regium, de pactis nuptialibus, non acceperint, ſive producere noluerint, Scoti verò, qvamvis plena poteſtate mandatoqve inſtructi, iisdem diebus, ſublatum è vivis Regem ſuum Jacobum Secundum, relicto filio, regni herede, tantùm ſeptenni cognoſcerent, cenſuit Rex Galliæ, ejusqve conſiliarii, ut & exteri Legati, qvi tunc præſentes erant, Richardus titulo Euſebii Cardinalis & E-

piſcopus Conſtantiæ, Andreas de Laval Dominus de Lopar Mareſchallus Franciæ, Petrus de Breze Comes de Malurier, Magnus Seneſchallus Normandiæ, Johannes de Hengeſt Eqves, Dominus de Genly Cancellarius, Wilhelmus Causmet Eqves, Dominus de Mollerotta Ballivus Rotomagi, ut Rex Daniæ in dotem filiæ ſuæ imputaret univerſam penſionem pro Hæbudis & Mannia, & qvicqvid proximis viginti ſex annis inde reſtaret. Si ſine liberis filia ejus decederet ſingula reſtituerentur. Qvicqvid præterea filiæ ſuæ in mundum & impenſas donare Rex Daniæ vellet, in ejus eſſet poteſtate, fœderaqve & amicitiæ perpetuæ inter memorata regna, eorumqve incolas, in perpetuum durarent, controverſiæqve utrinqve in eodem ſtatu eſſent, donec utriusqve liberi ad aptam conjugio ætatem adoleverint, ſvaſitqve Rex Galliæ utriqve Regi ad pacem & concordiam ſtabiliendam, ut hoc ſuum fraternum conſilium approbarent, qvod ſi nullo modo fieri poſſit, ſaltem ut in proximum biennium, ex qvo hæc acta eſſent, inducias inter utrumqve regnum conſtituerent, ut interea ſinguli deliberarent, qvæ fieri vellent, ſibiqve per Legatos ſignificarent: Datum Burgis VIII Octobris Anno MCDLX.

Anno MCDLXII Wilhelmns Orcadum Epiſcopus Regi Chriſtiano Primo & Sereniſſimæ Reginæ Dorotheæ verbis, qvæ ſeqvuntur, fidelitatis juramentum præſtitit.

Univerſis & ſingulis præſentes literas viſuris, ſive legi audituris notum facimus nos Wilhelmus *Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Orcadenſis, qvod in vim multorum beneficiorum nobis hactenus per Sereniſſimum Principem ac Dominum noſtrum gratioſiſſimum Dominum Chriſtiernum Dei gratia, Daniæ, Svecia & Norvegiæ Regem gratioſè impenſorum, ſuæ Regiæ Majeſtati, Sereniſſimaeqve Dominæ Dorotheæ Reginæ, Dominæ noſtræ gratioſæ, ac eorum liberis, in perpetuum, fidelitatis præſtitimus juramentum, pro ut de præſenti in hac verborum forma, qvæ ſeqvitur, nos inviolabiliter obſervaturos pollicemur. Nos Wilhelmus Dei gratia Epiſcopuus Orcadenſis vovimus & loco juramenti firmiter promittimus, qvod ab hac hora, ut antea, fideles erimus Sereniſſimo Domino noſtro Regi Chriſtierno, & Sereniſſimæ Dominæ noſtræ Dorotheæ Reginæ conthorali ſuæ, ſuisqve liberis antedictis. Conſilium verò qvod nobis per ſe, vel alium manifeſtaverit, conjunctim vel diviſim ſine eorum conſenſu nemini pandemus. Non erimus in conſilio vel facto, qvod aliqva conſpiratio contra ipſos, ſeu eorum alterum tractetur. Et ſi qvid perceperimus, qvod contra perſonam vel ſtatum ipſius Sereniſſimi Domini noſtri Regis, Dominæ Reginæ & liberorum præfatorum, conjunctim, vel diviſim, qvomodolibet cedere poſſit, cujuscunqve generis extiterit, id ſtatim juxta omnem noſtram poſſibilitatem, omni ſublata tergiverſatione, eidem Domino noſtro Regi Sereniſſimo Chriſtierno, Dominaqve Dorothea Regina conthorali ſua, & eorum liberis conjunctim vel diviſim prout qvalitas negotii exegerit verbo, vel in ſcriptis, ad plenum ſignificare promittimus, toties, qvoties, vita noſtra durante juxta præmiſſum neceſſarium fuerit, qvod libet & oportunum. Cæterum ſi contingat Regiam ſuam Majeſtatem, vel ſucceſſores, nos ad aliqvod perſonale ſervitium, vel noſtros ſervitores in expeditionibus ſuis reqvirere, Illud juxta poſſe noſtrum adimplebimus, absqve renitentia qvalicunqve, & ad hoc obligari volumus, qvemadmodum cæteri Regni Norvegiæ Epiſcopi, obligantur. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum Datum in civitate Hafnen, ipſa die Mercurii, proxima poſt feſtum Beatæ Margarethæ virginis & martyris, Anno Domini milleſimo, qvadringenteſimo ſexageſimo ſecundo.*

Anno MCDLXIII, Robertum Orcadum Comitem Buchananus memorat lib. XII. pag. m. 425

Anno MCDLXVI. ſcripſit Chriſtianus Primus Daniæ Rex literas ad ſupremum Orcadum judicem hac forma. Veſtrum bonum erga nos affectum, qvo annitimini, ut annuus noſter cenſus, ut par eſt, nobis reddatur, ritè perſpeximus, neqve voluntatis veſtræ defectus, cum alii vobis obnitantur, in cauſa eſt, itaqve petimus, ut lectis hiſce vos ſtatim ad nos conferatis, cum vobis enim nobis conferendum eſt, id qvod ſermone, qvam calamo rectius expeditur. Prius tamen

Epiſco-

Epiſcopum Orcadenſem de cenſu, reditibusqve noſtris alloqvemur, ſcripſimus enim ei, ut vobiſcum ea de re ſedulò conferat. Epiſcopus Orcadenſis Wilhelmus ad Literas Regias reſpondit, ſe humillimè ad Regem prout mandaverat profecturum. Verùm aliis literis die XVI. Julii exaratis, domi manere permittebatur, ad impenſas præveniendas, ſolus judex adeſſe juſſus, qvo de Regiis commodis in illis inſulis prius informari poſſet, modoqve qvo tributa facillime poſſit conſeqvi.

Anno MCDLXVII. Prædictus Orcadenſis Epiſcopus Wilhelmus, a Comitis Orcadenſis filio vi captus, & carceri mancipatus eſt. Scripſit itaqve Chriſtianus ad Regem Scotiæ, amiceqve petivit, ut ipſum defendere & protegere vellet, nec permittere, ut Comes ſuos ſubditos injuria afficeret, idqve ad præcavendum incommoda, qvæ inter regna ex tali cauſa erumpere poſſint.

Menſe verò Aprilis, anni MCDLXVIII. literas ad Regem Scotorum Jacobum, ejus nominis Tertium miſit Rex Chriſtianus efflagitans identidem, ut ex annuis reditibus inſularum Manniæ & Hæbudarum, qvod juxta contractum, qvi ea de re inter Reges olim Norvegiæ ac Scotiæ Magnum & Alexandrum fuerat initus, debebatur, ſibi more conſveto redderetur; ſimulqve declarans nihil antiqvius eſſe ſibi, qvàm amicitiam & pacem, cum vicinis, ac Rege præſertim Scotorum colere, teneri interea Sacramenti, qvod præſtiterat, vi, jus ad dignitatem, veteraqve privilegia ac fœdera regni ſui Norvagici conſervare ac tueri. Iterum iterumqve eundem Scotiæ Regem commonens, ut qvod ipſi regnove ejus ſolvendum reſtaret, id dependeret, qvod ita pax tranqvillitasqve ſarta utrinqve ac tecta haberetur, nec ſe, modo ad id qvod absqve detrimento juris, ac prærogativarum regni jam dicti poſſit fieri, ullo pacto defuturum officio. Qvibus reſponderi Rex Scotorum curavit, ſe poſtqvam ab obitu patris ſui, laudatiſſimæ memoriæ, regni gubernationi eſſet admotus, omninò ac ſeriò propoſitum habuiſſe ſibi, amicitiam & pacem cum vicinis Dynaſtis ac Regibus colere, & maxime cum Rege Danorum Chriſtiano, præſertim cum utriusqve regna ac ditiones adeò invicem conterminæ eſſent, ut ſubditi ſingularum qvotidianis inter ſe gaudeant commerciis. Qvod verò penſionem eam attineret, cujus in literis mentio fieret, ejus ſe nullam, utpote ætate adhuc minorem, nec rerum qvæ ad regnum pertinerent, ſatis gnarum, habere notitiam declarabat, & maxime, cum ea, nec parentis ſui, nec avi temporibus depenſa fuiſſet. Se itaqve prima occaſione ſtatuiſſe, in Daniam Legatos ſuos mittere, & per eos cum ipſo, tam eâ de re, qvàm de aliis qvoqve, ad pacem & concordiam utrinqve ſpectantibus, propiùs agere. Amice idcirco petere, vellet id ratum gratumqve habere, ac ſignificare tempusqve ſtatuere, qvando potiſſimum ipſi integrum foret, ejusmodi cum Legatis ſuis negotium auſpicari. Rex Chriſtianus, redditò reſponſo ſignificabat, ſibi peracceptum fuiſſe intelligere ipſum, non minori qvam ſe cum omnibus Chriſtianis, & præſertim vicinis Principibus, colendæ pacis teneri deſiderio, & ideo præfiniviſſe, ut ad feſtum Divi Jacobi Hafniæ Legati ejus præſto adeſſent.

His acceptis Rex Jacobus ex Ordine tam ſacro qvam eqveſtri ac prophano Legatos in Daniam d 28 Julii 1468 regni ſui octavo deſtinat, qvorum nomina hæc ſunt: Andreas Stuartus Dominus de Wandala Regis Cancellarius, Legationis univerſæ princeps, Andreas Glaſcuenſis & Wilhelmus Orcadenſis, Epiſcopi, Thomas Comes Araniæ, *Buchanano* Bodius, Mri. Martinus Vanes, Magnus Elemoſinarius Regisqve confeſſionarius, Gilbertus de Rerich Archidiaconus Glaſcuenſis, David Crechton de Cranſton, & Johannes Schew de Haly Armiger. Ac mox dicto tempore poſtqvam Hafniam acceſſiſſent, ſubſiſtere nonnihil, abſente apud Svecos Rege, atqve exſpectare adventum ejus tenebantur, itaqve Regina Dorothea cum Legatis per Literas ad Regem Scotiæ moræ cauſam referebat, Regemqve ſimùl & Legatos excuſabat.

Interea ex regni utriusqve, tam Daniæ qvam Norvegiæ ſenatu nominati, qvibus in anteceſſum cum eis conferre, atqve animum eorum tentare in mandatis fuit. Scoti id præcipuum in medium adducebant, nihil ex commodo utriusqve.

Regis ac regni magis fore, qvam ſi pax utrinqve perpetua, & qvæ ejus qvaſi vinculum foret, ſi nuptiæ ſimul inter Sereniſſimum ſuum Regem Jacobum, & filiam unicam Chriſtiani Regis Margaretam inſtituerentur, atqve ut eo pacto, qvæ petebatur, annua ac tot annorum reſidua penſio, qvæ hucusqve cladium haud exiguarum occaſionem præbuiſſet, pro parte dotis, qvæ ſponſæ erat aſſignanda, remitteretur. Rex igitur Chriſtianus ubi in regnum mox rediiſſet, haud multo poſt re cum ſenatu, qvi aderat, Norvagici regni propius perpenſa, agi permiſit, de pactis utrinqve dotalibus in modum fere ut ſeqvitur, Hafniæ VIII. Septembris Anno MCDLXVIII. Indictione prima Pontificatus Pauli Anno IV.

Qvo in poſterum vetus controverſia de Hæbudis & Mannia, magnis utriusqve populi cladibus agitata tollatur, & amicitia inter regna & ſubditos utrinqve ſit firmior, cedit ac transfert Rex Chriſtianus, in Regem Scotiæ Jacobum, ac filiam ſuam Margaretam, eorumqve heredes ac liberosduntaxat, annuas eas penſiones, qvæ inſularum earum nomine debentur, loco dotalis portiunculæ, eruntqve pacta omnia, qvæ ea de re facta aliàs eſſent, nullius exinde momenti ac ponderis. Et ſuper hæc in dotem ei, Rex cedit ſexaginta aureorum Rhenenſium millia, ejus ſummæ priusqvam è Daniæ regno ſponſa digrediatur numeraturus aureorum decem millia, qvod verò reliqvum eſſet, ſupplerent inſulæ regni Norvegici, jam memoratæ, Orcades, una cum jurisdictione ac cæteris eodem pertinentibus, hac tamen lege, ut inſulas eas, eousqve teneat Scotiæ Rex ſub firma hypotheca, donec vel ipſe, vel ejus heredes, Daniæ ac Norvegiæ Reges, æqva viciſſim portione easdem redimant. Ad vitam cedat ſponſæ palatium de Lindle cum arcibus Dovnia & Montetho cum ſubjectis territoriis, cum tertia parte redituum, ex omnibus coronæ allodiis, qvod ſi illa Regi ſuperſtes fuerit, ſive in Scotia remanere, ſive in Daniam redire mavult, id in arbitrio ejus erit, ſi tamen Scotia excedere cupit, arces & provinciæ, cum allodiorum reditibus, ad ſuſtentationem ejus deſignatis, centum viginti millibus florenorum Rhenanorum redimendæ ſunt, acceptis in compenſationem qvinqvaginta millibus pro qvibus Orcades oppignoratæ ſunt, qvæ etiam absqve mora, dolo aut contradictione, ſtatim regno Norvegiæ reſtituerentur, nec tamen permittebatur Reginæ matrimonium cum Rege Angliæ aut ullo, qvi in Anglia aut ejus jurisdictionis ſubjectis provinciis habitat, contrahere. Uterqve Rex & eorum ſucceſſores ad auxilia mutua contra ſingulorum hoſtes ferenda obligabantur, cùm neceſſitas id exigeret, & id ab alterutra parte expeteretur. Si autem mori vel Regem vel Margaretam contingat ante celebrationem nuptiarum, omnia jam pacta irrita habentor. Exemplum pacti hujus integrum ex Archivis Regiis vide ad calcem libri huius, pag. 191.

Hinc cum Scotiæ Legati, de qvibus modo dictum, ad Regem ſuum retuliſſent, omnia ex ſententia eſſe tranſacta, proxima fuit deliberatio, de honeſto nobilium globo ad novam nuptam è Dania ad Scotos deducendam mittendo. Eſtqve proximo ſtatim anno, qvi fuit ſupra milleſimum, qvadringenteſimum ſexageſimus nonus, inſtructâ cum claſſe miſſus Thomas Bodius Roberti filius Comes Araniæ, idqve aſſenſu omnium & maximè aulicorum, haud ex infimis, qvi eum inteſtino odio abſentem, potius qvam præſentem volebant, qvi & ſalvus in Daniam cum illuſtri comitatu mox advenit. Prius qvam verò rebus jam peractis ſolverent deinde è Dania legati iidem cum ſponſa petituri, egit cum eis Rex ob impenſas, qvæ & in dies in Sveticum Bellum eſſent faciendæ, ut loco decem aureorum millium, qvi erant juxta pactum dotale, qvam primum in Scotiam ſponſa eſſet deducenda, Scoto adnumerandi, duo tantùm millia acciperent, nomine vero reliqvotum octo millium, cederet Scotiæ Regi regni ſui Norvagici inſulam Hialtlandiam, ea lege, ut eam, cum proventibus omnibus, Scotus, non aliter atqve Orcades eousqve ſibi retineret, donec eam, redditis octo illis aureorum millibus Rex Chriſtianus vel ejus hæredes redimerent. Acta hæc ſunt Hafniæ die XX. Maji ejusdem anni. Inde in Scotiam adulto vere, Danica claſſis Reginam deduxit. *Vide Chronic. Dan. Hvitfeldii part. 5 pag. m. 921. & 922.*

Literæ qvoqve Hafniæ ejusdem menſis, die XXVIII. ad ſubditos Orcadenſes

ſes & Hialtlandos ſcriptæ, Regiqve transmiſſæ, qvibus iis obſeqvium Regis Scotiæ, tributaqve, ei qvotannis pendenda imperata, donec ipſe vel ſui ſucceſſores Reges Norvegiæ Orcades & Hialtlandiam perſoluto debito redemerint. Rex Chriſtianus Epiſcopum Orcadenſem Wilhelmum juratum ſuum, de regno Norvegiæ (verba ſunt Hvitfeldii) ad Regem Scotiæ, à ſingulari morum ſvavitate commendans expetebat ut qvantum fieri poſſit, cum filia ſua converſari permitteretur, donec lingvam gentis ediſceret. Eundem qvoqve Pontifici Romano inſinuabat, ad qvem Comitem Orcadenſem, qvi eum vinculis onerabat, accuſaturus erat, qvod ſe ob fidem Regi ſuo præſtitam indignè tractaſſet, cæterum poſtqvam è cuſtodia dimmiſſus eſt, legationi Regis Scotiæ adhibitus eſt.

Eodem anno Johannes Ros Eqves de Hancheda extra aulam Scotiæ eliminatus, literis Regis Chriſtiani & interceſſione reſtitutus eſt.

De hac eadem re extant qvoqve *Johannis Ferrerii Pedemontani* qvidem, ſed cui ſuppellex hiſtorica ab Henrico Sainclair Epiſcopo Roſſenſi ex archivis Scotiæ ſubminiſtrata eſt, iſta verba in App. h iſtor. Scot. Hect. Boët. *In mari præterea Deucaledonio ad circium & boream, ſunt Orcadum inſulæ, proxime ad littus Scoticum ſitæ numero XXVIII, hodie tantum habitatæ, atqve ſupra Orcades ad centum milliaria & amplius Norvegiam verſus reperiuntur Schetlandiæ, numero XVIII, qvæ hodie ab hominibus incoluntur, & Scotiæ Regi parent, de qvibus magna fuit prioribus ſeculis, inter Scotos & Danos contentio, poſſeſſore tamen Dano, has omnes Chriſtiernus Daniæ Rex, novi matrimonii gratia, Jacobo Scotorum Regi cum Margareta filia poſſidendas pacifice tradiderat, qvousqve vel ipſe, vel poſteri ejus dotis nomine, qvinqvaginta millia florenorum Rhenenſium, nondum diſſolutorum, Regi Scoto, vel ſucceſſoribus ejus perſolvant, ſic enim nos ipſi vidimus & legimus in matrimonii Dominæ Margaretæ Danorum Regis filiæ tabulis nuptialibus cum Jacobo, ejus nominis Tertio Scotorum Rege confectis, & utriusqve Regni ſigillis decenter conſignatis Anno Domini MCDLXVIII. Poſtea vero cum Dominæ Margareta Regina peperiſſet filium ſuum primogenitum Jacobum, Scotiæ Principem, Rex Danus facunditati filiæ ſuæ congratulaturus, in perpetuum renunciavit juri ſuo de inſulis maris Deucalidonici, nempe Orcadibus, Hetlandiis & aliis, qvæ ſub hypotheca in matrimonio filiæ Regi Scotiæ cum eâ tradiderat. Hujus renunciationis tabulas, in Archivis Scotorum Principum aſſervari audio.*

Rectè ſcripſit, audiviſſe tantùm, non item vidiſſe qvemadmodum de tabulis nuptialibus ſcribit: Tales enim ſi extitiſſent tabulæ renuntiationis, jam dudum à Scotis contra Danos jus ſuum toties repetentes ex archivis protractæ fuiſſent, & Scotorum hiſtoriographi eas in commodum Regni archiva patria ſcrutando haud neglexiſſent, ſed expreſſiùs laudaſſent, præſertim in re tunc controverſâ, nec Scoti ullo in confeſſu earum unqvam meminerunt. Hſc & Buchananus nihil certi aſſerere auſus, de his Lib. XII ita ſcribit.

Interea Legati in Daniam decreti, ut Margaretam Daniæ Regis filiam Jacobo peterent uxorem, utqve proſpicerent qvoad fieri poſſet, ut vetus controverſia de Orcadibus & Scetlandicis inſulis, magnis utriusqve gentis cladibus exercita tolleretur (de qvibus tamen, ne litem unqvam motam, in tuis ſcriptis prodidiſti, nec ego obſervavi, qvanto igitur minus magnis cladibus agitatam, nimirum res Hæbudarum cum Orcadenſibus confundis) *princeps ejus legationis fuit Andreas Stuartus, Walter filius, idemqve Scotiæ Cancellarius. De nuptiis facile cum Dano tranſactum, omni jure qvod in omnes circa Scotiam inſulas, majores ejus ſibi arrogarant, dotis nomine remiſſo, tantum ut privatis agrorum poſſeſſoribus caveretur, ut agros, qvos ibi haberent, uti ante poſſederant, ita tenerent.*

Sunt qvi pignori expoſitas, donec dos ſolveretur, ſcribant, ſed poſtea Jacobo nepoti, ex filia recens nato, Danum omne jus ſuum in perpetuum ceſſiſſe.

Hucusqve *Buchananus*: Hoc ſi maxime factum eſſet, ipſo tamen jure irritum eſt, cùm Chriſtiano Regi absqve ſenatus Norvegici conſenſu vix ulla poteſtas fuerit, ad provincias regni alienandas (Vide infra Frider. II mandata ad oratores ſuos

Mandrupum Pasbergium & cæteros data Fridrichsburgi 4 Maij, Anno 1585) id qvod ex obligationibus ſucceſſorum planum eſt, qvi qvoties inaugurarentur, ſenatui jurabant ſe provincias illas ſoluto pignore redempturos. Qvi nec poſtea ceſſabant, jus ſuum variis legationibus impenſisqve repetere, qvæ ſi in ſortem imputentur parum aut nihil ſupererit, qvod ſolvi oportet. Qvod ex ſeqventibus manifeſtum dabimus.

Anno MCDLXXXIII. Rex *Johannes* Chriſtiani Primi filius, cum inauguraretur ſolenni ſacramento ſe obſtrinxit ad revocandum ſub Regni Norvegici obſeqvium terras omnes, præſertim qvæ tempore patris ſui a Regno diſtractæ erant.

Anno MDXXIV. Die Sanctæ Catharinæ ſub veſpera inter alia privilegia Norvegis data, qvinqvaginta duobus capitibus comprehenſa, articulum viceſimum qvintum inſeruit *Fridericus Primus*, ubi promittit ſe Orcades & Hetlandiam a patre ſuo Scotis oppignoratas Regno Norvegiæ reſtituturum, idqvejure jurando. Regum inaugurationis Sacramenta & promiſſa vide. *part. 6 pag. m. 907. & part. 8. pag. 1274. chroric. Dan. Arild Hvitfeldii.*

Horum verò uterq; ſororius dicti Regis Scotiæ, partim neceſſitudinis vinculo naturaliq; caritate permotus, partim utrisq; regnis Daniæ Scotiæq; periculoſis bellis implicatis impeditus de jure pignoris reluendi ipſaq; redemptione cum Scotis agere deſtitit: Multò minus Danis tempore Regis Chriſtierni II. in tanta regnorum ſeptemtrionalium convulſione pignoris repetendi occaſio affulſit; Inde tamen haud qvicqvam juris Succeſſoribus, Regibus Daniæ & Norvegiæ potentiſſimis, ullo modo demtum eſſe ſperamus, qvod ex libro, qvi ſeqvitur, diſpaleſcet.

Exem-

Exemplum Contractus matrimonialis inter Sereniſſimum Scotiæ Regem Jacobum Tertium & Sereniſſimam Principem Margaretham, Potentiſſimi Principis Chriſtiani Primi Daniæ Norvegiæ & Sveciæ Regis filiam. *p. 188.* laudatum.

Chriſtiernus Dei gratia Daciæ, Sveciæ, Norvegiæ Slavorum Gotthorumqve Rex, Dux Slesvicenſis, & Comes Holſatiæ, Stormariæ, Oldenburg & Delmenhorſt, Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem ac votivæ proſperitatis augmentum. Notum fieri volumus per præſentes, qvòd Reverendi in Chriſto Patres & Domini, Domini Andreas & Wilhelmus Glasguen: & Orcaden. Eccleſiarum Epiſcopi, Nobiles ac Magnifici Domini, Andreas Dominus a Vandale Regni Scotiæ Cancellarius, Thomas Comes de Arane, Magiſtri Martinus Wan, Magnus Elemoſinarius & Regis Scotiæ Confeſſor, Gilbertus de Rerich Archidiaconus Glasguen: David Crechton de Cranſton, & Johannes Schau de Haly. Inclyti Oratores, Nuncii & Ambaxiatores Excellentiſſimi Principis Jacobi Dei gratia Scotorum Regis Illuſtriſſimi, Fratris confœderati & Conſangvinei noſtri Chariſſimi, ſe cum literis credentiarum Regalibus, nobis apud oppidum noſtrum Hafnen, Roſchilden. Dioce. nuper prælentarunt, in vim Credentiæ earundem oretenus exponentes. Qvod Sereniſſimus Scotorum Rex præfatus, graviſſima prælıorum diſcrimina, hominum ſtrages, & exitia, rabie guerrarum ſeviſſima, inter Norvegiæ & Scotiæ Reges ac regna olim commiſſa penitus extingvere, ac Regum præfatorum hæredum, Succeſſorum, & utriusqve regni Procerum animos in perpetuæ pacis, confœderationis & amicitiæ unione æternaliter copulare peroptavit, prout & nos etiam ferventi animo affectamus. Id tamen aptius fieri non proſpexit, qvam ut nova ſoboles, ex utriusqve Principis ſangvine matrimonialiter ſuſcitata contrahatur. Videntesqve Præfati oratores apud nos Inclytiſſimam virginem Margaretham, filiam noſtram unigenitam & legitimam, ætate nubilem, præclaræqve ſpecioſitatis forma decoratam, Præfato Excellentiſſimo Principi Jacobo Scotorum Regi Sereniſſimo aptam, habilem, & ut aſſeruerunt congruentem, eamqve in futuram conjugem & inclytiſſimam eorum Principis conſortem petierunt ac nos operoſæ ſollicitudinis ſtudio deſuper ſollicitarunt. Nos vero ac dilecti Conſules noſtri ex una cum præfatis Oratoribus ſuper hac re partibus, ex altera tractatus varios, communicationes ac prælocutiones plurimas habentes, tandem gratis animis modo formaqve ſeqventibus, concordatum extitit & concluſum. Et primo dicti Oratores Nuncii & Ambaxiatores Excellentiſſimi Principis Jacobi Scotorum Regis memorati viſionem, ac inſpectionem Inclytiſſimæ virginis Margarethæ filiæ noſtræ unigenitæ habentes, eamqve nomine, vice & ex parte præfati Principis in futuram conjugem & Reginam effectuoſe ut præfertur adoptantes. Qvorum nos votis deſideriisqve gratanter annuentes dictam Margaretham filiam noſtram ac unigenitam Præfato Principi Jacobo Scotorum Regi Sereniſſimo in futuram Conjugem conceſſimus, donavi-

navimus ac tradidimus. Qvam præfati Oratores zelanti animo virtute commisſionis ab eorum Principe Jacobo Scotorum Rege, ipſis in hac parte ſpecialiter commiſſæ acceptarunt benignè, cujus commisſionis tenor ſeqvitur in hæc verba.

Jacobus Dei gratia Rex Scotorum, Univerſis & ſingulis, ad qvorum notitias præſentes literæ pervenerint, Salutem. Cùm Deus æternus, qvi machinam mundi creavit, omniaqvè ac cuncta ipſius ambitu contenta, potenter regit & gubernat, In mundi naſcentis exordio ſuæ oſtendens Divinæ Majeſtatis clementiam, matrimonii Sacramentum inter noſtros primos Progenitores ad humani generis propagationem & perpetuam ipſius durabilitatem, ut nova ſobole mortuam renovaret, inſtituit, per qvod etiam almum matrimonii Sacramentum Divina peragente gratia regnant Reges felici ſucceſſione, & inclyta Principes virtute dominantur. Ex qvo etiam matrimonio & ejus fœdere ſacro, hoſtilitates & inimicitiæ, ac alia enormia qvam plurima unitatis & animorum conjunctione pelluntur, Amor, Dilectio & amicitia, pax, tranqvillitas & caritas radicantur, multæqve & innumerabiles aliæ felicitates & bona ſeqvuntur. Nos igitur præhabita deliberatione matura noſtri Conſilii magni, hominum more, conjugali vinculo vivere volentes, confiſi de prudentia, circumſpectione, fide, & legalitate Reverendorum in Chriſto Patrum Andreæ & Wilhelmi Glasguen: & Orchaden: Epiſcoporum, Nobilium Dominorum, Andreæ, Domini a Vandale, Cancellarii noſtri, Thomæ, Comitis de Aran, Conſangvineorum & Conſulum noſtrorum; nec non diſcretorum Clericorum, Magiſtrorum, Martini Wan, Magni Elemoſinarii & Confeſſoris noſtri, Gilberti de Rerich, Archidiaconi Glasguen: David Crechton de Cranſton, & Joannis Schau de Haly noſtrorum Armigerorum, ipſos noſtros Ambaxiatores Commiſſarios, & Oratores ſpeciales facimus, conſtituimus, & ordinamus, per præſentes, dantes & concedentes eisdem & eorum, ſeptem, ſex, qvinqve, qvatuor & tribus eorundem, dummodo dictus Reverendus Pater Epiſcopus Glasguen: Andreas Dominus a Vandale Cancellarius noſter, & Thomas Comes de Aran, aut eorum duo de tribus exiſtant, noſtram plenam poteſtatem & mandatum ſpeciale, imperium, regna, Franciæ, Angliæ, Hiſpaniæ, Daciæ, Ducatus & Dominia Burgundiæ, Britanniæ, Sabaudiæ & adjacentes alias provincias, ubi opportunum eis viſum fuerit, viſitandi, perluſtrandi & peragrandi atqve imperio, Regnis & Ducatibus ſupradictis & adjacentibus provinciis laborandi & inqvirendi, ubi nobis poſſet de futura conjuge, Perſona Nobili, de dictis domibus nobis apta & congrua, provideri & aviſari cum eadem & ſuis Inclytiſſimis parentibus, modis qvibus validius fieri poterit ſuper matrimonio inter nos & eandem contrahendo, communicandi, appunctuandi, tractandi, concludendi, ſuper dote & donatione propter nuptias conveniendi, tractatus deſuper & qvascunqve conventiones & pactiones agendi, geren-

gerendi, paciſcendi, dotem pro ipſa Conjuge noſtra conſtituendi, poſtulandi, & noſtro nomine conſtitutionem recipiendi & acceptandi, ac dotalitium, ſeu propter nuptias donationem, ut noſtræ Sereniſſimæ Conſorti ſive Conjugi convenit, conſtituendi, aſſignandi & promittendi, ipſosqve contractus & conventiones, qvibuscunqve licitis ſecuritatibus, ne contraventionis detur occaſio, vallandi, firmandi, & roborandi, ac etiam ſuper perpetuis amicitiarum & auxiliorum vinculis, fœderibus & confœderationibus inter nos, hæredes & ſucceſſores noſtros, ex una, & illuſtriſſimam domum illam, ex qva noſtram Sereniſſimam Conſortem ſive Conjugem eligi contigerit, hæredes & ſucceſſores domus ejusdem partibus ex altera paciſcendi, tractandi, appunctuandi, concordandi & concludendi, pacta, tractatus, appunctuamenta, concordantias & concluſiones firmandi & roborandi. Et generaliter omnia alia & ſingula faciendi, gerendi, communicandi, tractandi, concludendi, & ſtabiliendi, qvæ in præmiſſis neceſſaria ſeu etiam opportuna fuerint, etiam ſi mandatum exigatur magis ſpeciale, qvàm præſentibus literis eſt expreſſum. Promittentes præterea pro nobis, hæredibus & ſucceſſoribus noſtris in verbo Regio, nos ratum, gratum, firmum, validum & ſtabile pro perpetuo habituros, totum & qvicqvid per dictos noſtros Ambaxiatores Oratores & Commiſſarios ſeptem, ſex, qvinqve, qvatuor aut tres eorundem, dummodo dictus Reverendus Pater Epiſcopus Glasguen: Andreas Dominus a Wandale, Cancellarius noſter, & Thomas Comes de Aran, aut eorum duo de tribus exiſtant, actum, factum, communicatum, tractatum, conventum, pactum concluſumve fuerit, ſeu qvomodolibet geſtum aut ſtabilitum in præmiſſis, aut aliqvo præmiſſorum. Datum ſub noſtro magno ſigillo apud caſtrum noſtrum de Edingburg, viceſimo octavo die menſis Julii, Anno domini Milleſimo, Qvadringenteſimo, ſexageſimo octavo, & Regni noſtri octavo.

SUCCESSIVE verò Illuſtres, Nobilesqve Domini Andreas Dominus à Wandale, Regni Scociæ Cancellarius, & Thomas Comes de Aran, Procuratores memorati Sereniſſimi Principis Jacobi Scotorum Regis Illuſtriſſimi ad hæc ſpecialiter per eundem conſtituti, ſponſalia, primo per verba de futuro vice, nomine & ex parte Præfati Principis Jacobi Scotorum Regis Illuſtriſſimi, cum Margareta filia noſtra inclytiſſima, juxta ritum & Eccleſiæ conſvetudinem contraxerunt. Deinde verò ſpecialis Procuratorii virtute, dictam Margaretam, per verba de præſenti, juxta Patrum ſanctiones, matrimonialiter copularunt, in animamqve Præfati Principis conſtituentes, ſolempniterqve jurantes, qvòd Præfatus Sereniſſimus Princeps Jacobus Scotorum Rex impedimentum ſeu impedimenta nunqvam præſtitit, qvo minus ſponſalia & matrimonium, cum præfata noſtra unigenita contracta, debitum non ſortiatur effectum, cujus prætactæ ſpecialis commiſſionis tenor ſeqvitur in hunc modum:

Jacobus Dei gratia Rex Scotorum, univerſis & ſingulis, ad qvorum notitias præſentes literæ pervenerint. Salutem. Sciatis nos ex noſtra mera & ſpontanea voluntate feciſſe, conſtituiſſe & ordinaſſe, ac per præſentes facere conſtituere & ordinare, illuſtres & nobiles noſtri magni conſilii, Dominos, Andream, Dominum à Wandale Cancellarium noſtrum & Thomam Comitem de Aran, Conſangvineos noſtros dilectos, & eorum qvemlibet, in ſolidum, noſtros veros legitimos & indubitatos ac irrevocabiles Procuratores, actores, factores, & negociorum noſtrorum geſtores & nuncios ad hoc generales & ſpeciales, ita: qvod generalitas ſpecialitati non deroget, nec ê contra, & qvod non ſit melior conditio occupantis nec deterior ſubſeqventis, qvo ad infra ſcripta ſpecialiter & eorum merita. Dantes & concedentes dictis noſtris Procuratoribus ad hoc ſpecialiter conſtitutis, & eorum cuilibet in ſolidum noſtram plenariam poteſtatem, & mandatum ſpeciale ad viſitandum Excellentiſſimum & Potentiſſimum Principem Chriſtiernum Dei gratia Daciæ, Sveciæ, Norvegiæ, Slavorum, Gothorumqve Regem &c. Conſangvineum noſtrum chariſſimum, & ad contrahendum nomine noſtro ſponſalia per verba de futuro, & matrimonium per verba de præſenti, cum Illuſtri & Potenti Domina, Domina Margaretha filia unica dicti Illuſtriſſimi Principis in ætate habili & viro matura, ad matrimonium contrahendum conſtituta. Cui matrimonio per eosdem aut eorum alterum noſtro nomine, ut præmittitur, contracto firmiter ſtabimus, & non contra veniemus, durante vita noſtra, & dictæ futuræ Conjugis noſtræ, ac etiam in animam noſtram jurandi & firmiter promittendi, qvod priori tempore nihil egimus, fecimus aut diximus, qvod futurum matrimonium inter nos qvovis pacto, de jure aut de facto poterit impedire aut contractum de jure diſſolvere, nec in futurum faciemus, donec nobis de eorum factis circa præmiſſum matrimonium contrahendum conſtiterit luculenter, aut ipſos noſtros Procuratores in ſolidum irrevocabiliter conſtitutos revocabimus, aut eisdem ſeu eorum alteri, alium ſeu alios adjungemus ſeu annectemus, nec non omnia alia & ſingula faciendi, gerendi & exercendi, qvæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria fuerint, ſeu qvomodolibet opportuna, etiam ſi talia ſint, qvæ mandatum exigunt magis ſpeciale, & qvæ nos faceremus, ſi in præmiſſis perſonaliter intereſſemus. Promittentes inſuper in verbo Regis nos ratum, gratum, firmum & ſtabile habituros totum & qvicqvid per dictos noſtros Procuratores in ſolidum actum, factum, geſtumve fuerit, circa præmiſſum matrimonium ſeu qvomodolibet procuratum, & nunqvam contravenire in futurum. Datum ſub magno ſigillo noſtro apud Edinburg viceſimo octavo die menſis Julii, Anno Domini milleſimo, qvadringenteſimo ſexageſimo octavo, & Regni noſtri octavo.

Præmiſſis igitur per dictos Oratores Nuncios & Procuratores, ut præfertur, expeditis.

Nos

Nos Chriſtiernus Daciæ, Sveciæ, Norvegiæ, &c. Rex, pro ſacro matrimonii fœdere, ac præfatæ Margarethæ filiæ noſtræ unigenitæ, dote, & ut Amor, Dilectio, Pax & amicitia, animis Regum firmius adhæreant, uberiusqve & efficacius inter Reges & Regna radicentur, conſenſu pariter & aſſenſu Prælatorum, Procerum ac Regni noſtri Norvegiæ Nobilium prius habitis, commodo inſuper ac utriusqve Regni utilitate diligenter inſpectis, in partem dotis cum Margaretha filia noſtra unigenita, memorato Principi Jacobo Scotorum Regi Excellentisſimo, ac Margarethæ filiæ noſtræ ipſius Regis Sponſæ, eorumqve *hæredibus ac liberis duntaxat* annuam penſionem centum marcarum Stirlingorum nobis & hæredibus noſtris Norvegiæ Regibus, pro tempore exiſtentibus, ratione inſularum Sodorenſium & Maniæ, annis ſingulis debitam concedimus, tradimus & tenore præſentium donamus. Omnes inſuper & ſingulas pertinentiarum ſummas, damna, deprædationes, & injurias ratione penſionis præfatæ & occaſione contractuum inter Prædeceſſores noſtros, olim Norvegiæ & Scociæ Reges initorum debitas, penitus remittentes, ac univerſis & ſingulis contractibus, evidentiis, literis & munimentis deſuper factis, ſolempniter renunciamus, ac ſi de verbo in verbum de ipſis contractibus Obligationibus, evidentiis, literis & munimentis ſpecialis & expreſſa præſentibus mentio facta fuiſſet.

Promittimus etiam ac pollicemur pro nobis hæredibus ac ſucceſſoribus noſtris Norvegiæ Regibus, contra donationem, concesſionem, traditionem aut renunciationem, prædictas, non venire, nec veniri facere, ſeu fieri permittere directè vel indirectè, qvovis qvæſito ingenio vel colore, renunciando præterea omni, qvo ad hoc actioni, exceptioni, relevamini, ſeu remedio Juris Canonici aut Civilis. In complementum inſuper totius dotis promittimus, pollicemur, & obligamus nos, hæredes & ſucceſſores noſtros, Præfato Excellentisſimo Principi Jacobo Scotorum Regi Serenisſimo, ſuisve Procuratoribus in ſummam ſexaginta millium florenorum Rhenenſium fideliter perſolvendam, de qva qvidem ſummâ Præfatis Procuratoribus decem millia florenorum prædictorum, ante eorum ad regnum Scotiæ de regno noſtro Daciæ receſſum integraliter fideliterqve perſolvemus, & de eadem pecunia numerata ſatisfaciemus expedite cum effectu. Pro ſummâ verò qvinqvaginta millium florenorum reſtante, de ſumma integrali prædicta, Nos Chriſtiernus Norvegiæ Rex de conſenſu & aſſenſu Prælatorum, Procerum ac Majorum regni noſtri Norvegiæ prædictæ Nobilium, damus, concedimus, impignoramus, ac *ſub firma hypotheca & pignore* imponimus atqve hypothecamus omnes & ſingulas terras noſtras Inſularum Orcadenſium cum omnibus & ſingulis juribus ſerviciis, ac juſtis ſuis pertinentiis, nobis Regali jure, & Prædeceſſoribus noſtris Norvegiæ Regibus, ſpectantibus, ſeu qvovismodo ſpectare valentibus, tenendas & habendas totas & integras terras noſtras Inſularum Orcadenſium prædictarum, unà cum omnibus & ſingulis Cuſtumis, pro-

hcuis,

ficuis, Libertatibus, Commoditatibus ac aliis juſtis ſuis pertinentiis qvibuscunqve, tam nominatis qvam innominatis, ad prædictas terras Orchadiæ ſpectantibus, ſeu juſtè ſpectare valentibus, qvomodolibet in futurum ſæpedicto Excellentisſimo Principi Jacobo Scotorum Regi, filio & confœderato noſtro charisſimo in partem dotis cum filia noſtra Margaretha prædicta donec & qvousqve, per nos, hæredes noſtros vel ſucceſſores Norvegiæ Reges, præfato Jacobo Scotorum Regi, hæredibus ſeu ſucceſſoribus ſuis de ſumma qvinqvaginta millium florenorum Rhenenſium reſtantium de parte dotis, dicto Jacobo Scotorum Regi cum Margaretha filia noſtra antedicta, donatæ, conceſſæ & aſſignatæ, fuerit integraliter & plenarie ſatisfactum ac perſolutum cum effectu. Et Nos, hæredes noſtri, ac ſucceſſores regni Norvegiæ Reges, præfatas terras Orcaden: ſic, ut præmittitur, hypothecatas, & memorato Jacobo Scotorum Regi ſuisqve ſucceſſoribus Scotiæ Regibus impignoratas, contra omnes mortales Warantizabimus, & in perpetuum defendemus. Præterea Oratores, Nuncii & Ambaxiatores præfati, nomine, vice & ex parte eorundem Principis ac comisſionis prædictæ vigore ipſis ab eodem Rege commiſſæ, pro doralicio ſeu donatione propter nuptias præfatæ Margarethæ filiæ noſtræ unigenitæ Jacobi Scotorum Regis Sponſæ & Reginæ, aſſignaverunt, dederunt & conceſſerunt Palatium de Linlithus, & caſtrum de Dova in Mentech, cum omnibus ſuis pertinenciis & adjacentibus, ac cum illis tertiam partem proprietatis Regni Scotiæ & omnium proventuum, reddituum ac obventuum ejusdem proprietatis, præfato Serenisſimo Principi Jacobo Scotorum Regi, ceu ad proprietatem regni ſui pertinentium. Et ſi contingat inſuper, Præfatum Dominum Jacobum Scotorum Regem ante mortem dictæ Margarethæ ſuæ Conjugis, diem, (qvod abſit) claudere extremum, præfata Domina Margaretha, infra tres annos obitum ipſius immediatè ſeqventes, liberam facultatem regnum Scociæ exeundi, ſeu infra idem commorandi, habebit prout præfatæ Margarethæ melius aut complacentius expedire videbitur. Et ſi regnum Scociæ exire præeligerit, Nos Oratores præfati, promittimus, pollicemur ac obligamus Excellentiſſimum Principem noſtrum Jacobum Scotorum Regem, ſuosque hæredes & ſucceſſores in ſummam centum & viginti millium florenorum Rhenenſium, dictæ Dominæ Margarethæ fideliter ſolvendorum, pro tertia parte proprietatis Regni Scociæ ſibi in dotalitio, ſeu donatione, ut præmittitur, aſſignata, de qva vero ſumma, centum & viginti millium florenorum, defalcabitur ſummæ Dotis Jacobo Scotorum Regi aſſignatæ & nondum ſolutæ, ſcilicet, ſumma qvinqvaginta millium florenorum, & *terræ inſularum Orchaden:* Regi noſtro Jacobo inpignoratæ, *ad Norvegiæ Reges revertentur*, contradictione, fraude, dolo & machinatione, malis excluſis penitus & ſemotis. Dum tamen præfata Domina Margaretha, cum Rege Angliæ,

ſeu

ſeu qvacunqve altera Perſona, gentis ſive regni ejusdem matrimoniali-ter non copuletur aut qvovis modo conjugatur.

CAETERUM ad uberiorem animorum Norvegiæ & Scociæ Regum unionem, amorum, dilectionis & amicitiæ conjunctionem, pacis, tranqvillitatis ac charitatis continuationem. Nos Chriſtiernus Norvegiæ Rex, & nos Oratores ac Procuratores Excellentiſſimi Principis Jacobi Scotorum Regis ad hoc poteſtatem habentes, in efficacioris confœderationis vinculo approximare cupientes, pro nobis, hæredibus ac ſucceſſoribus noſtris ac regnorum noſtrorum Proceribus mutuam amicitiam ac nova fœdera inviolabiliter obſervanda & alternatis vicibus ad alterius Principis reqviſitionem, opem, ſubventionem & auxilium, contra qvemcunqve, ſeu qvoscunqve Principem ſeu Principes, gentemve, populum, confœderatis noſtris, ante datam præſentium duntaxat exceptis fideliter præſtare, ac præſentium tenore firmiter obſervare, Nos ad hoc hæredes noſtros & ſucceſſores aſtringentes in verbo Regio inviolabiliter obligamus. Si verò Partium aliqvam præfatarum Excellentiſſimum Jacobum Scotorum Principem Serenisſimum aut Margaretham filiam noſtram inclytisſimam ante nuptias, inter eos celebratas, ſeu carnalem copulam ſubſeqvutam mori contigerit, univerſa & ſingula præmiſſa, tractata, appunctuata, concluſa pro dotibus & donationibus propter nuptias ex utraqve parte penitus & omnino ſint extincta. Qvæ Præmiſſa omnia & ſingula Nos Chriſtiernus Daciæ & Norvegiæ Rex; qvatenus nos concernunt, bona fide, verboqve Regio, pro nobis hæredibus & ſucceſſoribus noſtris adimplere promittimus. Et ad hoc nos hæredesqve noſtros & ſucceſſores Daciæ ac Norvegiæ Reges obligamus & hypothecamus, ac per præſentes obligamus & hypothecamus.

Et nos Oratores præfati, vice ac Procuratorio nomine Principis noſtri Jacobi Scotorum Regis illuſtriſſimi præmiſſa omnia & ſingula prout nos concernunt, nomine procuratorio & vigore commiſſionum ſuperius inſertarum bona fide adimplere promittimus, & adimpleri procurare, nec contra ea qvavis occaſione in futurum devenire Excellentiſſimum Principem noſtrum Jacobum Scotorum Regem, hæredes & ſucceſſores ſuos ad hoc firmiter obligantes & expreſſè hypothecantes.

In qvorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum Nos Chriſtiernus Daciæ ac Norvegiæ Rex præfatus ſigillum noſtrum, & nos Oratores antedicti ſigilla noſtra, duplici ſub forma præſentibus apponi fecimus, apud oppidum Hafnen, infra regnum Daciæ, octavo die Menſis Septembris, anno Domini Milleſimo Qvadringenteſimo Sexageſimo Octavo, Indictione prima, Pontificatusqve Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Pauli Divinâ Providentiâ Papæ Secundi Anno qvarto.

Exempla Tranſactionis de Hæbudis & Mannia inter Sereniſſimos Reges Magnum Qvartum, Haconem Qvintum & Eiricum Pomeranum Norvegiæ, & Alexandrum Tertium & Jacobum Primum Scociæ. *pag. 171. cit.*

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen.

Ad perpetuam rei memoriam, univerſis & ſingulis innoteſcat, qvod anno Domini MCDXXVI viceſimo nono die Menſis Julii, videlicet ipſo die Sancti Olavi Regis & Martyris in civitate Bergen Regni Norvegiæ, convenientibus Sereniſſimo Princìpe Domino Erico Dei gratia Norvegiæ Daciæ, & Sveciæ Regnorum, Slavorum, Gothorum Rege & Duce Pomeraniæ Illuſtri, per ſolennes nuncios, videlicet Venerabiles Patres & Dominos, Aſlacum Bergen: Johannem Aſloenſ. Domini Regis ac Regni Norvegiæ Cancellarium, Anbernum Hamarens: Thomam Orchadens: Dei gratia Eccleſiarum Epiſcopos, & Nobiles Dominum Endridum Erlendi militem, Swalonem Johannis Harnikinum Hinrici, Olavum Haqvini, Guthormum Benedicti, & Nervam Jacobi, Armigeros dictorum Regis ac regni Norvegiæ Conſiliarios, ad omnia facienda ac diſcernenda, qvoad infra ſcripta, qvæ dictus Dominus Rex facere poſſet, ſi perſonaliter præſens intereſſet, plenam & ſufficientem poteſtatem habentes, ex parte una, Et Sereniſſimo Principe Domino Jacobo eadem gratia Rege Scotorum Illuſtri, per Solennes nuncios Wilhelmum de Crichton, Baronem de eodem, Militem Camerarium ſuum, Magiſtrum Wilhelmum de Feules Præpoſitum Eccleſiæ collegiatæ de Bothuile Elemoſinarium ſuum, Thomam de Cranſthon, Scutiferum ſuum, etiam conſimilem & ſufficientem poteſtatem habentes, qvoad ſingula infra ſcripta, parte ex altera.

Exhibita fuerunt, recitata & recognita concorditer per utramqve partem, qvædam munimenta ſuper compoſitione & finali concordia, primò inter Magnificos & illuſtres Principes, bonæ memoriæ Dominos Magnum Qvartum & Alexandrum Tertium, Norvegiæ & Scotiæ Reges, & eorum hæredes, retroactis confecta temporibus. Secundò conſeqventer alia munimenta & indentura Illuſtriſſimorum Principum celebris memoriæ, Dominorum Haqvini Qvinti per ſolennes ſuos nuncios, videlicet Nobilem virum Dominum Bernerum de Barckeroe Baronem, & diſcretum virum Dominum Iwarum filium Olavi Eccleſiarum Bergen: & Orchadenſ: Canonicum & Roberti Primi Norvegiæ & Scotiæ Regum ſub anno Domini MCCCXII. in Dominica proxima poſt feſtum Apoſtolorum Simonis & Judæ in villa de Ifvernes confecta ſuper confirmatione & renunciatione præfatæ compoſitionis & finalis concordiæ, prioribus penitus conſona, ita qvod ſecundus tenor renovationis primæ compoſitionis formam in ſe clauſam & inſertam continebat, Cujus qvidem prætactæ compoſitionis & finalis concordiæ tenor ſeqvitur in hæc verba:

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen.

Ut

Ut certitudo præſentium det veram ac evidentem memoriam præteritorum æternaliter eſt ſciendum, qvòd anno gratiæ MCCLXVI Die Veneris proxima poſt feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli in Eccleſia Fratrum Prædicatorum apud Perchen, inita fuit hæc compoſitio, & finalis concordia, ſuper contentionibus, qverimoniis, damnis & injuriis ac diſcordiis inſularum Manniæ & Sodorenſium, ac jurium earundem ſopiendis, Divina cooperante providentia inter Magnificos & Illuſtres Principes, Dominum Magnum Qvartum Dei gratia Regem Norvegiæ illuſtrem per ſolennes nuncios ſuos Dominos, Askatinum Cancellarium ſuum, & Andream filium Nicolai Baronem ſuum ſuper hijs, illuc ſpecialiter deſtinatos ac legitime conſtitutos, comparentes ibidem ex parte una, Et Dominum Alexandrum Tertium eadem gratia Regem Scotiæ, ibidem cum clero & proceribus, Regni ſui majoribus, perſonaliter comparentem ex altera, ſub hac forma, videlicet qvod dictus Dominus Magnus Rex Novegiæ tanqvam amicus pacis & cultor juſtitiæ, ad Dei reverentiam & mutuæ dilectionis ac pacis obſervantiam diligentiùs confovendam, & animarum periculum propulſandum, ac ſtrages hominum citius evitandum ad inſtantiam & honorem Domini Alexandri Regis Scotiæ memorati, Manniam cum cæteris inſulis Sodorenſibus, & omnibus aliis inſulis, ex parte occidentali & auſtrali Magni Haſſne, cum omni jure qvod in eis ipſe & progenitores ſui habuerunt, ab antiqvo tempore, vel ipſe & hæredes ſui habere potuerunt, in futurum per prædictos viros diſcretos Dominos Aſchetinum Cancellarium ipſius Domini Magni Regis Norvegiæ, & Andream filium Nicolai Baronem ſuum, habentes ab ipſo Rege plenam authoritatem componendi & concordandi ſuper ipſis amicabiliter & ſocialiter conceſſit, reſignavit & qvietas clamavit, tam in petitorio, qvam in poſſeſſorio, pro ſe & hæredibus ſuis in perpetuum tenendum, habendum, & poſſidendum, Dicto Domino Alexandro Tertio Regi Scotorum & ſuis hæredibus, cum dominiis, homagiis, redditibus, ſervitiis & omnibus juribus & pertinentiis dictarum inſularum, ſine aliqvo retinemento, una cum jure patronatus Epiſcopatus Manniæ, *ſalvis, jure, juris dictione, ac libertate Eccleſiæ Nidroſienſis in omnibus & per omnia, qvod vel qvas habet in Epiſcopum & Eccleſiam Manniæ. Et exceptis inſulis Orcadiæ & Hethlandiæ, qvas idem Rex Norvegiæ cum dominiis, homagiis, readditibus, ſervitiis, & omnibus juribus & pertinentiis ſuis, infra easdem contiguis, Dominio ſuo ſpecialiter reſervavit*, ita qvod omnes homines dictarum inſularum, qvæ præfato Domino Scotiæ Regi ſunt conceſſæ, reſignatæ, & qviete clamatæ, tam majores qvam minores, ſubjaceant legibus & conſvetudinibus Regni Scotiæ, & ſecundum eas ex nunc in poſterum tractentur & judicentur. Pro hiis autem forefactis, vel injuriis & damnis, qvæ fecerunt usqve in hodiernum diem, dum memorato Domino Regi Norvegiæ adhærebant, nullatenus puniantur, nec qverentur ſuper hæreditatibus ſuis in illis inſulis, ſed pacifice

ficè ſtent in eisdem, ſub dominio Domini Regis Scotiæ, ſicut alii liberi & ligei dicti Domini Regis Scotiæ, qvi liberiori juſtitia gaudere dinoſcuntur, niſi aliqvid de cætero faciant, propter qvod juſtè puniri debeant, juxta leges ac conſvetudines Regni Scotiæ approbatas. Et ſi in dictis inſulis, ſub dominio dicti Domini Regis Scotiæ morari voluerint, morentur in Domino liberè & in pace, & ſi recedere voluerint, recedant cum bonis ſuis licitè, liberè, & in plena pace, itaqve nec morari, nec recedere contra leges & conſvetudines Regni Scotiæ, & ſuum libitum compellantur. Dominus itaqve Alexander Rex Scotiæ memoratus, veritatis zelator, & pacis & concordiæ amator, & hæredes ſui in perpetuum pro iſtis, conceſſione, reſignatione & qvieta clamatione, & præcipuè pro bono pacis, & ut fatigationes & labores redimantur, dabunt & reddent in perpetuum ſæpe dicto Domino Regi Norvagiæ & hæredibus ſuis & eorundem aſſignatis in perpetuum infra octavas Nativitatis Sancti Johannis Baptiſtæ in Orcadia, terra ſcilicet Domini Regis Norvegiæ, in Eccleſia Sancti Magni, in manibus Epiſcopi Orchadiæ, ſeu Ballivi ipſius Domini Regis Norvagiæ ad hoc per ipſum ſpecialiter deputati, vel in eadem Eccleſia deponent, ad opus ipſius Domini Regis Norvagiæ ſub cuſtodia Canonicorum ejusdem Eccleſiæ, ſi Epiſcopus vel Ballivus non inveniantur ibidem, qvi dabunt eis literas adqvietationis & factæ ſolutionis, centum marcas bonorum & legalium Sterlingorum, ſecundùm modum & uſum curiæ Romanæ, ac Regnorum Franciæ, Angliæ & Scotiæ numerandas annuatim, & nihilominus qvatuor millia, marcarum Sterlingorum dicto modo numerandorum infra proximum qvadriennium, loco & termino prænotatis, videlicet mille marcas infra octavas nativitatis Sancti Johannis Baptiſtæ, anno gratiæ MCCLXVII. & centum marchas de prædicta penſione. Et anno gratiæ MCCLXVIII. ad eosdem locum & terminum mille marcas, & centum marcas de penſione præfatâ. Et anno gratiæ MCCLXIX. dictis loco & termino mille marcas, & centum marcas de memoratâ penſione. Et ultimo anno gratiæ MCCLXX. eisdem loco & termino mille marcas, & centum marcas de eadem penſione. In poſterum autem dictis loco & termino duntaxat centum marcas de penſione prædicta, prædicto modo numerandas in perpetuum pro omnibus annuatim.

Et ad hæc omnia & ſingula, ut prænotata ſunt, fideliter & firmiter obſervanda Dicti, Asketinus Cancellarius et Andreas Baro, pro Domino ſuo Magno illuſtri Rege Norvegiæ et hæredibus ſuis et aſſignatis, in animam ipſius Regis de cujus voluntate eis ſuper hiis conſtabat ad plenum, et animas proprias, jurarunt publice in Eccleſia fratrum prædictorum apud Perchen, tactis Evangeliis ſacroſanctis. Et dictus Dominus Alexander Rex Scotiæ per Nobiles viros, Adam Comitem de Carnkis et Robertum de Meyners, eodem modo in animam ſuam, et animas

mas eorum pro ſe & hæredibus ſuis, fecit jurare ſolenniter, in præſentia nunciorum eorundem.

Et ad majorem hujus rei ſecuritatem, utraqve pars ſe obligavit, ad pœnam decem millium marcarum Sterlingorum ſolvendam de plano & absqve ſtrepitu judiciali a parte reſilire volente, parti compoſitionem iſtam, & finalem concordiam obſervanti, compoſitione ipſa & finali concordia nihilominus in perpetuum in pleno robore duraturis. Dominus inſuper Rex magnus Norvegiæ per nuncios ſuos ſupradictos ſe ipſum ac hæredes ac ſucceſſores ſuos. Et Dominus Alexander Rex Scotiæ, ſe & hæredes ſuos ſubjecerunt in hoc jurisdictioni ſedis Apoſtolicæ, ut unica monitione præmiſſa, per ſententias excommunicationis in perſonas, nullius perſona excepta, & interdicti in regna absqve ſtrepitu judiciali, & aliqva cauſæ cognitione, compellat partem reſilientem a compoſitione & finali concordia prædictis, ad ſolvendam parti, ipſas compoſitionem & finalem concordiam obſervanti, dictam pœnam decem millium marcarum, integri & plenarii, & nihilominus ad ipſas, compoſitionem & finalem concordiam, in omnibus & ſingulis articulis obſervandis, non relaxandas, qvousqve dicta pœna, ut dictum eſt, plenarie fuerit perſoluta, ipſis compoſitione & finali concordia in ſuo robore, in omnibus & per omnia duraturis, & in perpetuum valituris.

Renunciavit itaqve utraqve pars in hoc facto, omni exceptioni fraudis & doli, actioni in factum & privilegio fori & ſpecialiter reſtitutioni in integrum, & omnibus literis, inter eosdem Reges & anteceſſores ſuos hucusqve habitis & obtentis, cujuscunqve tenoris exiſtant, & omnibus literis & indulgentiis Apoſtolicis, impetratis & impetrandis, & omni remedio juris Canonici & civilis, per qvæ prædictæ conceſſio, reſignatio, qvieta clamatio, compoſitio & finalis concordia impediri, differri, & deſtrui valeant, ſeu modo aliqvo enervari. Adjectum eſt etiam huic concordiæ, & ſtatutum communi conſenſu, inter Reges & Regna Norvegiæ & Scotiæ, ut omnes transgreſſiones & delicta, inter eos, & anteceſſores ſuos, & eorum homines, usqve in hodiernum diem perpetrata, ex utraqve parte penitus ſint remiſſa, qvoad Eccleſias, ſicut ad regna, nullo ex hijs mali, iræ vel vindictæ tramite remanente, & ut obſides dictorum inſulanorum hinc inde capti & detenti, plene libertati reſtituantur. Et ſi inimicus alterius Regem ipſorum, Scotiæ ſcilicet, & Norvegiæ, ad alterum ipſorum confugiat, ipſum in regno ſuo vel dominio, ad gravamen ejus, à qvo effugerit, non receptet, niſi forte ad tempus, ut gratiam ſibi impetret, ſi gratiam meruerit, & ſi gratiam Domini ſui offenſi habere non poterit, ipſum ſtatim poſt annum non differat a ſe & ſuo dominio removere. Exceptis illis, qvi crimen læſæ Majeſtatis commiſerint, qvos nullo modo hinc inde receptent. Inſuper ſi contingat homines Regni Norvegiæ, qvod abſit, in regno vel dominio Regis Scotiæ pati naufragium, vel è converſo, liceat eis libere & qvietè naves ſuas fractas vel colliſas, una cum rebus ſuis omnimodis, per ſe,

vel per alios, recolligere & habere, vendere, & alienare, absqve omni calumnia, qvamdiu eas non habuerint pro derelicto. Et si qvis contra hoc commune statutum concordiæ, de rebus vel navibus hujusmodi periclitatis, qvidqvam fraudulenter vel violenter surripuerit, & super hoc convictus fuerit, tanqvam raptor & pacis violator, prout demeruerit, puniatur, consvetudine, si qvæ sit contraria, non obstante. Si qvis autem repertus fuit, & convictus perturbatur pacis istius & finalis concordiæ, inter prædictos Reges & Regna & eorum regnicolas, habitæ & confirmatæ, per Regem, in cujus dominio repertus fuit, qvi talia præsumpserit, sic acriter puniatur, ut pœna illius metus fiat aliorum.

Et in hujus rei testimonium parti hujus Scripti in modum chyrographi confecti, remanenti penes dictum Dominum Regem Norvegiæ Illustrem, sigillum dicti Domini Regis Scotiæ, una cum sigillis venerabilium Patrum Gamelini Sancti Andreæ, & Johannis Glasguen: Dei gratia Episcoporum, & nobilium virorum Alexandri Cymynde Buchan; Patritii de Dumberre, Wilhelmi de Marre, Adæ de Karnke Comitum, & Roberti de Meyners Baronis est appositum. Et alteri parti ejusdem scripti in modum chyrographi confecti, penes dictum Dominum Regem Scotiæ remanenti; sigillum Excellentis dicti Domini Regis Norvagiæ, una cum sigillis venerabilium Patrum Petri Bergens: Thorgilsi Stavangrens: Dei gratia Episcoporum, & nobilium virorum, Gouti de Mele, Buccolini filii Johannis, Finnii filii Gauti, Andreæ filii Nicolai, & Asketini Cancellarii dicti Domini Regis Norvegiæ est appensum.

Qvas qvidem compositionem & finalem concordiam, concessionem, resignationem & qvietam clamationem, sic pro bono pacis, inter præfatos Illustrissimos Principes, Dominos Magnum Qvartum & Alexandrum Tertium Norvegiæ & Scotiæ Reges amicabiliter & socialiter factas, nec non dictas renovationem & confirmationem, per prælibatos Serenissimos Principes, Dominos Robertum Primum & Haqvinum Qvintum, Scotiæ & Norvegiæ Reges postea initas & confectas, una cum cæteris omnibus & singulis, qvæ in ipsis superius continentur, Serenissimus Princeps Dominus Ericus Rex Norvegiæ antedictus pro se & hæredibus suis Regibus Norvegiæ & regno suo Norvegiæ per nuncios suos supradictos approbavit, ratificavit, & in persona dicti Illustrissimi Principis Domini Jacobi Regis Scotiæ & hæredum suorum renovavit, & præsenti scripto æternaliter confirmavit.

Dictus vero Illustrissimus Princeps Dominus Jacobus Rex Scotiæ Illustris, easdem compositionem & finalem concordiam, concessionem, & qvietam clamationem, sic pro bono pacis inter præfatos Serenissimos Principes Dominos Magnum Qvartum & Alexandrum Tertium Norvegiæ & Scotiæ Reges amicabiliter & socialiter factas, ac similiter renovationem ac confirmationem per prælibatos Serenissimos Principes Dominos Robertum Primum & Haqvinum Qvintum Scotiæ & Nor-

Norvegiæ Reges, poſtea initas & confectas, una cum ſolutione centum marcarum annuarum Sterlingorum, ad uſum Romanæ curiæ, & Regnorum Franciæ, Angliæ & Scotiæ facienda Domino Regi Norvegiæ, hæredibus ſuis, & Regno Norvegiæ in perpetuum annuatim, in Eccleſia Beati Magni Martyris in Orchadia, terra, videlicet Domini Regis Norvegiæ infra Octavas Nativitatis Beati Johannis Baptiſtæ, juxta Obligationis & conditionis formam, ſicut in Originali ſuper hoc confecto plenius continetur, una cum cæteris omnibus ſupradictis, excepta ſolutione illarum qvatuor millium marcarum Sterlingorum ſolvendarum, ut prænotatur in dicta compoſitione, pro ſe, hæredibus ſuis, ſucceſſoribus & regno ſuo approbavit ratificavit, & in perſona dicti Sereniſſimi Principis, Domini Erici Regis, Norvegiæ Illuſtris, & hæredum ſuorum Norvagiæ Regum renovavit, & præſenti ſcripto æternaliter confirmavit.

Præterea ut inter præfatum Dominum Ericum Regem Norvegiæ, ſucceſſores & ſubditos ſuos, regna & dominia ſua Norvegiæ, Daciæ & Sveciæ ex una parte, & prælibatum Dominum Jacobum Regem illuſtrem, ſucceſſores & ſubditos, & regnum ſuum Scotiæ ac dominia ſua parte ex altera, omnimodo firmior & ferventior amicitia ſuccreſcat, & continuetur, & ut ligei & ſubditi, utrorumqve Regum infra regna & dominia alterutrius communicare, & in locis, ad hoc conſtitutis, & ab antiqvo conſvetis, licite & libere mercandizare, ſub indubitata pacis tranqvillitate valeant in futurum, Juribus & conſvetudinibus approbatis, utrorumqve regnorum ſemper ſalvis: Finaliter concordatum eſt inter prælibatos Dominos Reges, qvòd omnia & ſingula damna, transgreſſiones, defectus & univerſa delicta attentata aut perpetrata, ac ſimiliter pœnæ reſtitutiones, ſeu debita ſi qva occaſione hujusmodi tranſgreſſionum forent reſarcienda, ſeu qvocunqve modo exigenda, annuali penſione, Regi Norvegiæ & ſuis ſucceſſoribus in perpetuum annuatim ſolvenda, ut præmittitur, ſemper ſalva, inter prædictos Reges Prædeceſſores ſuos, ligeos aut ſubditos ſuos, aut dictorum regnorum Scotiæ & Norvegiæ, qvibuscunqve retroactis, usqve in hodiernum diem temporibus, ex utraqve parte, pro ſe, regnis, ſubditis & ſucceſſoribus omnimodo & penitus remittentur, qvitantur, & omnibus fraude & dolo poſtpoſitis, tanqvam ſoluta & reportata, absqve aliqvali futura impetitione, in perpetuum relinqventur. Et ad præſcriptas antiqvas compoſitionem & finalem concordiam, cum omnibus & ſingulis in eisdem contentis fideliter obſervandis, & nunc per Dominos Ericum & Jacobum Norvegiæ & Scotiæ Reges præfatos approbatis, ratificatis, renunciatis & confirmatis, ut ſupradictum eſt, Venerabilis Pater Dominus Thomas Orchadenſ. Epiſcopus, & Swalo Johannis armiger, ad hoc ſpeciale mandatum habentes, pro Sereniſſimo Domino ſuo Erico Rege Norvegiæ ſæpedicto, hæredibus ſuis & aſſignatis, in animam ipſius Regis, & in animas ſuas proprias juraverunt publicè tactis ſacroſanctis Evangeliis. Et ſtrenuus vir Dominus Wilhelmus de Chricton

miles

Miles, & Magiſter Wilhelmus de Foules ſupradicti, ad hoc ſimiliter ſpeciale mandatum habentes, in animam Domini ſui, Domini Jacobi Illuſtris Regis Scotiæ, et in animas eorum pro dicto Domino ſuo Rege, et hæredibus ſuis et aſſignatis, modo conſimili juraverunt.

In cujus rei teſtimonium parti hujus Scripti in modum chyrographi et indenturæ confecti, remanenti penes dictum Regem Norvegiæ Illuſtrem, litera commiſſionis dicti Domini Jacobi Regis Scotiæ cum ſigillo ſuo ſigillata, una cum ſigillis dictorum nunciorum ſuorum Dominorum, Wilhelmi videlicet Militis, Magiſtri Wilhelmi Præpoſiti, et Thomæ de Cranſthon eſt annexa.

Alteri vero parti ejusdem Scripti, penes dictum Dominum Regem Scotiæ remanenti. Litera Commiſſionis ipſius Domini Erici Regis Norvegiæ illuſtris ſigillo ſuo ſigillata, una cum venerabilium Patrum Dominorum Aſlaci Johannis, Anberni et Thomæ Epiſcoporum, ac aliorum Nobilium Endridi ſcilicet militis, Svalonis Harnick: Olavi Guttormi et Narvæ prædictorum nunciorum ejusdem ſigillorum appenſione remanet coaffixa.

Seqvitur Commiſſio.

Jacobus Dei gratia Rex Scotorum univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, ad qvorum notitiam præſentes litera pervenerint, Salutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, qvod nos ob honorem & reverentiam Dei omnipotentis, & ad evitandum ſtrages & effuſionem ſangvinis populi Chriſtiani, ac mala damna ac pericula maxima, qvæ occaſione gverrarum veriſimiliter poterunt evenire, cupientesqve, qvantum in nobis eſt, auxiliante Domino, cum omnibus fidei Chriſtianæ cultoribus pacem habere, noſtrosqve ſubditos in pace ponere, & qvietè confidentes ad plenum de fidelitate, diſcretione & prudentia dilectorum & fidelium noſtrorum Wilhelmi de Chrichton Baronis de eodem, Militis, Cambellani noſtri, Magiſtri Wilhelmi de Foule Præpoſiti Eccleſiæ collegiatæ de Bothuile Elemoſinarii noſtri & Thomæ de Cranſton Scutiferi noſtri, ipſos fecimus, ordinavimus, conſtituimus, ſtabilivimus & deputavimus pariter, ex certa ſententia, & deliberato conſilio, facimusqve, conſtituimus, ordinamus, ſtabilimus & deputamus, noſtros veros Ambaſiatores & nuncios ſolennes, dantes eisdem, & eorum duobus, plenam poteſtatem, liberam & generalem, ac ſpeciale mandatum ſe repreſentandi coram Illuſtriſſimo Principe Erico Dei gratia Daciæ, Svecia, Norvegiæ Rege & Duce Pomeriæ, Conſangvineo noſtro charisſimo, aut cum qvibuscunqve Ambaſiatoribus & nunciis ſuis ſolennibus, ſufficientem poteſtatem ad hoc habentibus ab eodem Bergis in Norvegia conveniendi, vel alibi, ubi dictis Ambaſiatoribus noſtris, viſum fuerit expedire & tractandi, cum dicto illuſtriſſimo Principe, vel ſuis Ambaſiatoribus qvibuscunqve ſuper reparatione, reformatione & renovatione bonæ, veræ & perpetuæ pacis ac finalis concordiæ, inter nos regnumqve noſtrum, terras, dominia & ſubditos noſtros ex parte una. Et dictum Illuſtriſſimum Principem, regna ſua, terras, dominia & ſuos ſubditos univerſos, ex altera, ac concordandi, tranſigendi, paciſcendi ac componendi, pro nobis & nomine noſtro ac ſubditis noſtris, ſuper omnibus & ſingulis qveſtionibus, debitis, diſſenſionibus, diſcordiis, bonorum rapinis, damnis & homicidiis qvibuslibet hinc inde illatis, cum omnibus & ſingulis punctis ſuis & articulis, circumſtantiis, incidentiis, emergentiis, dependentiis & connexis, nec non faciendi & firmandi pro perpetuo bonam, veram, firmam, & finalem pacem, inter nos, regnum noſtrum, terras, dominia, ligeos & ſubditos noſtros, ex parte una, & dictum Illuſtriſſimum Principem, regna ſua, terras, dominia, ligeos, & ſubditos ſuos ex altera, ac qvitandi dictum Illuſtriſſimum Principem hæredes & ſucceſſo-

res

res ſuos, regna ſua, terras, dominia, ligeos & ſubditos ſuos univerſos pro perpetuo, de omnibus & ſingulis homicidiis, bonorum rapinis, pecuniarum ſummis, debitis & damnis univerſis, per ipſum Illuſtriſſimum Principem, anteceſſores ſuos, ſeu ligeos aut ſubditos ſuos qualescunque, nobis, progenitoribus noſtris, ligeis aut ſubditis noſtris, usque in diem confectionis præſentium contractis, irrogatis, & quovis modo perpetratis Et ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis literas quitantiæ à dicto Illuſtriſſimo Principe, pro ſe, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis, ligeisque & ſubditis univerſis petendi & recipiendi, ac pro nobis, hæredibus, ac ſucceſſoribus noſtris, ligeisque & ſubditis noſtris quibuscunque, literas conſimiles ſuper præmiſſis offerendi, concedendi, atque dandi, tot & tales, quales neceſſe fuerint, & dictis Ambaſiatoribus noſtris viſum fuerit expedire. Et generaliter omnia alia & ſingula faciendi, tractandi, concordandi & concludendi, quæ circa præmiſſa; ſeu eorum expeditionem neceſſaria fuerint, aut quomodo-libet oportuna, etiam ſi talia ſint, quæ mandatum exigunt, magis ſpeciale. Ratum & gratum habentes, & pro perpetuo habituri, quicquid dicti Ambaſiatores noſtri, vel eorum duo faciendum duxerint in præmiſſis, & quolibet præmiſſorum. Datæ ſub teſtimonio magni ſigilli noſtri apud Edingburg Menſe Maji die Octavo, Anno gratiæ MCDXXVI & regni noſtri XXI.

Rerum Orcadenſium Hiſtoriæ

LIBER III.

De Indefeſſis potentiſſimorum Regum Daniæ Norvegiæq; ſtudiis jus ſuum in Orcades adjacentemq; Hetlandiam pacificè repetendi.

HActenus hiſtoriam geſtaqve Orcadenſium libro primo proſecuti. Secundo, qvæ per annales, aut alias rerum vetuſtarum memorias ſparſa, ad noſtram notitiam pervenerunt complexi, evidenter tandem oſtendimus fiduciariam poſſeſſionem tantùm & proventus, non item jus proprietatis aut dominii territorii Orcadenſis Scotis eâ lege oppignoratum, ut redimendi facultas Sereniſſimis Daniæ Norvegiæqve Regibus æternùm illibata, nullis exceptionibus obnoxia pateat. Reſtat ut demonſtremus Auguſtiſſimos noſtros Reges non fuiſſe otioſos, in jure ſuo pacificè repetendo, nec parcos in impenſis, in legationes erogandis, nixosqve juris evidentia, tum etiam cauſſæ æqvitate, ab aſperioribus conſiliis ſemper abſtinuiſſe, qvamvis vires ad illud armis vindicandum nunqvam defuerint, ſæpe etiam occaſiones affulſerint, variis tamen ſubterfugiis à Scotis exceptos fruſtratosqve.

Primus occurrit glorioſæ memoriæ CHRISTIANUS TERTIUS, qvi de redimendis inſulis expoſtulavit. Qvo verò anno id primùm fecerit, non definitur. Conſtat tamen ex epiſtola ejus, cujus ſcopum exhibemus, ante annum MDXLIX literas de ea re ſcripſiſſe.

Scripſit enim ad Gubernatorem Scotiæ Jacobum Hamiltonium Araniæ Comitem, de reſtitutione Orcadum literas Hafniæ, ultimo Septembris anno MDXLIX. Ubi præmiſſa humaniſſima ſalutatione, votisqve proſperis, ſe antea ad Gubernatoris Celſitudinem ſcripſiſſe perhibet de inſulis Orcadibus, qvarum fiduciaria poſſeſſio penes Scotos ſit, ex eo, qvòd olim avus ſuus Chriſtiernus Primus Daniæ Norvegiæ &c. Rex Jacobo Scotorum Regi illas in filiæ dotem ipſi matrimonio collocatæ conceſſerit, recepta conſignataqve publicis inſtrumentis fide de reſtituendis iis, vel ſibi, vel ex Regni Daniæ Norvegiæqve ſucceſſoribus, qvinqvaginta millia aureorum Rhenenſium numeratorum offerenti. Nam cum inſulæ illæ ab omni antiqvitatis memoriâ in parte Regni Norvegiæ cenſerentur, prudenter avum ſuum caviſſe, ne ejusmodi Regni viſcera perpetua ſeparatione à ſe diſtracta viderentur. Se qvoqve ad gubernacula ſucceſſionemqve

qve vocatum, & avitæ & propriæ fidei Ordinibus Regni ſui, cùm inauguraretur, datæ memoria neceſſario commoneri, ad dicandas huic neceſſario curas operasqve ſuas. Sperare itaqve, imò plane confidere Gubernatoris Celſitudinem, omnesqve Regni Ordines eâ æqvitate præditos eſſe, eumqve & communis juris ac juſtitiæ & Dei juſtitiæ vindicis reſpectum habere, ut adverſùs ea ſcientes niti non decreverint, ſe qvoqve conjunctionem inter illos mutuam, ac neceſſitudinem ita ſtudioſè omnibus officiis culturum & tuiturum, ut nihilminus a Celſitudine Gubernatoris, & univerſo Regno Scotiæ, qvàm iniqva voluntas ſit expectandâ. Itaqve qvod prius ſibi eandem cauſſam agenti, nondum ab ipſis reſponſum fuerit, credere qvidlibet potius cauſſæ eſſe in illa confuſa temporum perturbatione, qvam propoſitum, meditationemqve injuriæ. Nec ambigere, qvin exploratâ diligenter cauſſæ veritate & juſtitiâ, æqvum bonumqve benigne à ſe impetrari patiantur. Et qvanqvam nec dubitare poſſit, extare etiam in Regnis illorum, illius totalis conventionis documenta monumentaqve publica, tamen ne qvid à ſe deſiderari poſſit, mittere ſe (Anno ſc. 1549) exempla literarum, qvæ appoſito ſui Regni ſigillo fidem illius contractus in perpetuum ſanxerunt. Qvæ cùm qvinqvaginta millium aureorum Rhenenſium numeratione exſolvere paratus ſit, die & loco, qvo ſibi à Celſitudine illius, aliisqve, qvorum arbitrium ſit, fuerit denunciatum, viciſſim à Celſitudine illius, & univerſo Conſilio publico Regni Scotiæ amantèr petere & rogare, ut ad inſeqventis anni Majum in ipſis Orcadibus, locus ſibi deſignetur, ubi miſſi à ſe cum authoritate, ſuo nomine in poſſeſſionem inſularum reſtituantur. Et qvoniam hoc rerum ſtatu intellexerit neceſſarium eſſe, ad ſummam negotii Chriſtianiſſimi Galliæ Regis, amici & confœderati ſui cariſſimi auctoritatem, dediſſe operam, tum antea, cùm etiam hoc tempore, ut in eandem planè ſententiam, ad Serenitatem ejus ſcriberet, qvam libenter ſperet, non modo calculum ſuum & auctoritatem cauſſæ juſtiſſimæ, ſed etiam favorem & maturitatem, & bonam exſecutionem accommodaturam eſſe. Nam & in eo moderationem ſuam probaturum, illosqve probaturos ſperare, qvod non horum temporum mores in recuperanda poſſeſſione imitatus fuerit, qvàm vindicare ſtatim, oblata pecuniæ ſolutione poſſit. Cæterùm cùm in eo aliisqve omnibus ſuæ perpetuæ erga Celſitudinem Gubernatoris, Illuſtriſſimamqve Principem, conſangvineam ſuam, univerſumqve Regnum, nomenqve Scoticum, benevolentiæ & gratificandi ſtudia exercere conſtantèr decreverit, non immeritò ſe mutuæ voluntatis æqvitatisqve partem, ab illis vicisſim expetere, idqve inprimis ne ſtatus inſularum interea, dum in poteſtatem ſuam redit, damno aut detrimento aliqvo lædatur, ac deterior fiat. Hæc omnia, cùm ſint jus, æqvitasqve ipſa, pro ſe ſtare, ſe etiam atqve etiam obteſtari atqve rogare Celſitudinem Gubernatoris, cùm univerſi publici Conſilii collegio, ut ita in omni hoc negotio moderando finiendoqve, tum in reſponſione ſibi qvam

pri-

primùm maturanda, perpendant, ac ſeqvantur, ut appareat etiam vetuſtæ amicitiæ & benevolentiæ, multiplicisqve neceſsitudinis ſuæ eſſe habitam rationem, qvam qvidem ſe, illorum æqvitate commotum, non modo omnibus officiis tueri, ſed etiam augere atqve illuſtrare conaturum.

Extant & literæ Calendis Octobris ejusdem anni ab illo ad Regem Galliæ Henricum Secundum ſcriptæ in eandem ſententiam.

Primò memorat ſe prius ad Regem Galliæ de hac materia ſcripſiſſe, deinde jus ſuum, ejusqve originem, eodem tenore, qvo ad Gubernatorem retexit, ſubjungitqve poſtulati hujus neceſsitatem, datam nimirum Ordinibus Regni, fidem in auſpiciis mandatæ ſibi Regiæ dignitatis & auctoritatis. Cumqve Regnum Scotiæ in poteſtatem Regis Galliæ pervenerit, jure, mutuæ inter illos cognationis, neceſsitudinis, fœderis, fraternitatis, ac ſanctioris amicitiæ illum obteſtatur, ut cauſſæ æqvitatem ſibi curæ eſſe velit, committitqve illius arbitrio, diem, locumqve, ubi præſentem pecuniam exſolvi velit, ſive in Scotia, ſive Orcadibus, cùm per anni tempus pecunia in præſens commodè transmitti neqveat. Itaqve ut maturo reſponſo de voluntate ſua ſe certiorem faciat, expetit. Etiam ut diligenter caveat, ne regiones illæ qvicqvam damni aut detrimenti capiant, donec ſibi reſtituantur. Cumqve extent publica dotalis iſtius conventionis inſtrumenta, profitetur, ſe una cum his, alterum Regi exemplum probatæ, &, ut ejus verbis utar, fidatæqve fidei remittere. Certiſſimo argumento unum antea miſiſſe.

Inſeqventis anni principio a Gallis Legatus in Daniam venit Carolus Danzæus, *vir*, ut tradit *Stephanius Johan. Stephanius in hiſt. Dan. Reg. Chriſtiani III.* qvem hic exſcribo, ſummæ prudentiæ & rebus magni momenti gerendis idoneus. Auditus in conſeſſu Patrum, ita ferè diſſeruit. *Potentiſſimum Galliarum Regem, Principem imperto deſignatum, ac univerſos Regni Proceres, evidentibus confirmatos documentis, compertum habere, Orcadas Hetlandiamqve inſulas, pro dote Margaretæ, qvæ Jacobo Tertio Scotorum Regi nupſerat, à Rege Daniæ Chriſtiano Primo, pignori qvondam depoſitas, nulli mortalium potiori jure adjudicari poſſe, qvam heredibus ipſius, ſi qvando prædictas inſulas liberare nexu pignoris conſtituerint. Qvocirca ſumma æqvitate ſubnixam videri poſtulationem Chriſtiani, jam rerum in Dania potiuntis, qvi ſubornata priore anno legatione, poſſeſſionis avitæ reſtitutionem, oblato redemtionis pretio tentaverit, id vero negotii parum Gallici nominis intereſſe. Qvippe decreto Procerum accitam è Scotia Mariam Jacobi Regis filiam, non ut tutelam pupillæ ſuſciperent, ſed illius educationi, qvam Principis ſui conjugio ſummis deſideriis deſtinaſſent, nonnullam impenderent operam. At hujusmodi cogitationes, incerta ſpe fundatas, qvod uterqve Principum annos pubertatis nondum attigiſſet. Interea cœleſte Numen, cujus in manu ſita ſunt conſilia mortalium, poſſe vota hæcce irrita reddere, ſi ita placitum admirandæ ipſius providentiæ foret. Proinde petitionem Regis tametſi juſtiſſimam, dilatione aliqva moderandam, tempusqve patienter expectandum, qvo Principes vitæ ſociæ per ætatem maturi, arctiore connubii vinculo jungerentur. Tum longè proſperiore ſucceſſu arduum hoc negotium tranſactum iri, qvum poſſit eorum arbitrio permitti, qvi ſummam de eo decernendi legitimamqve poteſtatem haberent. Chriſtianus Rex moram conatibus ſuis interjici gravatè ferens, legatum ſine reſponſo dimittendum ſtatuerat, ſed pervicêre Magnates, ut à rebus è Gallia repetendis deinceps abſtineretur.*

Extat etiam in Archivis Regiis inſtrumentum Danzæo à Rege datum, cum

plena

plena poteſtate, qva legati inſtrui ſolent, Gallica lingva conſcriptum. Datum Blois anno MDXLIX: XIV Decembris.

Reſcripſit & Gubernator Scotiæ ex oppugnatione Brocticia Nonis Januarii recens redditas ſibi literas Regias, qvibus de re Orcadenſi illiscum agat, nec ſibi aliud optatius, qvam ut poſſit exactè ad illas reſpondere, ſi id per aſſiduas belli occupationes liceret, jam verò redditas à legato literas, cùm ad duo munita maritima loca oppugnanda properatumeſſet, qvo & ille ipſos triduo comitatus ſit, rerum omnium teſtis oculatus. Non itaqve commodè carthophilacia & Archiva perqviri, nec Conſilium Principum ea de re convocari potuiſſe. Sex enim munitiones hoſtes adhuc tenere, qvas pari felicitate ſe recuperaturos credat, qvam tres illas, qvas intra proximum annum receperint. Confidere idcirco ſuæ Majeſtati, pro ſua conſtante in Scotos benevolentia & ſtudio, atqve infantulam Reginam ſangvinis neceſſitudine, non diſplicere, qvod hujus modi bellica negotia cæteris omnibus rebus prævertant. Verùm tamen daturum operam, ut legatus, qvem proximo menſe Martio mittere deſtinaverit, illius Majeſtatem adeat, deqve poſtulatis plene edoceat.

Datæ & Literæ Aſſertoriæ, qvas Credentiales appellant, a Matre Reginæ & Gubernatore pro Comite de Rothes & Carolo Danzæo Sterlingi anno MDXLIX idiomate Gallico, qvarum Exemplum ex Archivis Regiis penes me.

Qvin & ipſius Reginæ nomine aliæ Literæ Aſſertoriæ latino ſermone ad Regem ſcriptæ pro Comite Georgio de Rothes, Leſlii Domino, Vice-Comite Fife præfecturæ, & Reginæ Conſiliario, cum certis mandatis, qvæ Regi Conſilioqve exponere tenebatur, Datæ Sterlingi Calendis Martij ejusdem anni. Legato autem peculiares literæ Edinburgi XXII Februarii traditæ erant, cum præſcriptis mandatis. Qvarum exemplar productum eſt Itzehoæ XV Apriiis anno MDL. Erant autem ejusmodi:

Præmiſſa officiociſſima Salutatione, jubetur oſtendere acceptas eſſe literas Regias, cognitumqve poſtulatum de loco in Orcadibus proximo Majo conſtituendo, ad recipiendam certam pecuniam pro inſularum reſtitutione. Alieniſſimum tempus, qvo hæc poſtulantur, cum immani bello Scotia ab Anglis, magnis Imperatoris auxiliis, terra mariqve affluentibus ſuffultis plus ſeptennium vexata ſit, Reginâ cunis vix egreſſâ. Reginam viduam, illas inſulas, a marito ſuo titulo donationis, propter nuptias datas, poſſidere, iſtoqve jure ſibi eas aſſerere.

Deſponſam eſſe Reginam Delphino Franciæ, & ſuperiori anno in Gallias travectam, itaqve ſine Regis Galliæ auctoritate, nihil de ea re poſſe decidi. Eum tamen prima qvaqve occaſione ſe conſulturos, cujus conſenſu impetrato, ſtatim omnium Ordinum Regni Conſilium convocaturos, qvo reſponſum, de tam gravi negotio ritè & maturè reddi poſſit. Verùm plus temporis ad hæc expedienda, illo præſertim tempore, qvo belli tempeſtas itinera terra mariqve intercludat, qvam integrum Majum reqviri. Non eſſe ſui officii intra Reginæ pupillares annos, qvicqvam de tantis rebus ſtatuere, multo minus de ejus dominio aliqvid alienare, qvod nec ſine ſuo evidenti periculo fieri poſſit. Rogare itaqve Regem qvàm officioſiſſime, ut cum Regina, jam ſeptem annos,

annos, & paucos menſes nata ſit, tantiſper hoc poſtulatum differre dignetur, donec tutela finiatur, tum omnia ei apud illam, Regiumqve maritum proniora futura, ſe interim annixurum, ne ejus jus deterius fiat. Hæc pro ſangvinis, qva Reginæ conjunctus ſit, neceſſitudine, proqve vetuſto Majorum fœdere inter utramqve gentem officioſe peti.

Ad extremum petebatur, ut ineundæ cum Imperatore Carolo paci Rex operam commodaret ſuam.

His in ſenatu expoſitis, cum variis occupationibus diſtracto Patrum Collegio, Legatus, qvod reliqvum erat Aprilis, totumqve Majum ſine reſponſo detineretur, redditæ ſunt ei literæ ê patria ſua, qvibus omnis mora ſocordiæ ejus imputabatur. Calendis igitur Junij tanta neceſſitate adactus Hafniâ ad Regem ſcribit, datis ad Heroldum ſeu fecialem Scoticum literis Regi perferendis, gravitèr qveſtus, qvod id ſibi vitio vertatur, qvod optimo animo pro Majeſtatis Regiæ arbitrio fecerit, ſe enim literis nuper è Scotia miſſis negligentia accuſari, qvaſi nec demandata mandata, eâ, qvâ decuit, ſedulitate urſerit, nec ad tempus præſcriptum in patriam cum qvalicunqve reſponſo redierit, qvaſi moras ſuapte voluntate nexuerit, donec ex inſperata & integra negotiorum dilatione, damna nec mediocria, nec contemuenda Scotorum Regno & Reipublicæ evenerint, qvæ omnia ſibi uni, non ſine periculoſis ſuſpicionibus, nominisqve jactura imputari, petit itaqve obnixè, ut Serenitas Regia, ſibi ſignificare dignetur, qvid faciendum ſit.

Ejusdem anni (1550) XIII. Junii propoſiti ſunt à Conſiliariis Regiis, nomine Regis & Senatus, legato Scotico, qvidam articuli ad poſtulata ejus, legationisqve ſcopum pertinentes, ad qvos poſtridie reſpondit, & qvidem ad Orcadenſe negotium in hanc ſententiam.

Qvamvis multa & varia, tam de jure, qvam de conſvetudine, & Legitimâ Regnorum praxi, argumenta firma & valida, ratione & æqvitati conſentanea proponi poſſint, qvibus perſpicuè demonſtrari poſſit, Orcadas durante minorenni Reginæ ætate, non debere repoſci, illa tamen, & omni juris rigore ſepoſitis, id duntaxat hac vice modeſtè & amicè poſtulari, ut propinqvitatis, ſangvinis & veteris amicitiæ reſpectu & cauſſa, atqve ad vitanda incommoda, non ex jure, ſed ex benigno favore & gratia dignetur Regia Majeſtas, neceſſariam aliqvanto temporis prorogationem clementer concedere: Nec id in incertum, neqve in infinitum peti, tantùm ut annuum ſpatium, qvod ultro conceſſerit, ad pupillarium Reginæ annorum legibus præſcriptorum exitum proroget, duodecimo autem ætatis anno finiri, ad qvam Reginæ tantùm triennium & menſes qvatuor deſint, *qvibus expletis, cùm Regina ad pubertatem dominiumqve ſuum pervenerit, omnia, qvæcunqve jus & æqvitas, & amicitia poſtulant, tam in Orcadum reſtitutione, qvam aliis qvibusvis rebus & officiis fieri debent, Sereniſſimum Regem pro arbitrio & voluntate, abſqve omni obſtaculo & contradictione, libenter & amicè, procul omni dolo, fraude & dilatione, cum omni conſangvineæ Principis & ſubditorum amore propenſione & benivolentia aſſecuturum. Se autem ut ſine omni Regii juris præjudicio ac detrimento & ſine violata juriſjurandi religione, & denique ſine omni horum Regnorum damno facilè concedi, ſperare, ſic in ſuæ Majeſtatis honorem & gloriam, mutuiqve amoris augmentum, ſibi hac vice concedendum, dubitare non poſſe.*

1550. Die XXI menſis Junii, legato, præmiſſa Salutatione ad Reginam & Gubernatorem Scotiæ, deferenda, reſponſum eſt. Intellectum ex eorundem literis, qvo minus reſponſum ad poſtulata de Orcadum redemptione dignum rei gravitate non expediatur, in cauſſa eſſe Reginæ infantiam, qvæ primùm deſponſata Delphino Franciæ, apud Regem Chriſtianiſſimum in Galliis educetur, ut interſit illius, auctoritatem cauſſa graviori intervenire. Cui accedere poſtea etiam ſolenne Scotici Conſilii decretum oporteat, qvibus diſqviſitionibus majorem moram fieri neceſſe ſi

ſe ſit. Deinde qvod Illuſtriſſimo Gubernatori Sereniſſimæ Reginæ Infantis tutori, rerum pupillarium alienatio minime competat, qvam præterea impediat item Sereniſſimæ jus, donatione propter nuptias à defuncto Rege conſtitutum. Deniqve qvod ratio habenda ſit ſangvinis vetuſtorumqve fœderum, ne Regnum multiplici calamitate diùturni belli exhauſtum, & oppugnata Reginæ infantia, inſuper hac poſtulatione urgeatur.

Ad hæc reſponſum eſt, Regem, neqve malevolentia, nec cupiditate inductum, ſed graviſſimâ jurisjurandi religione, in ipſa inauguratione obſtrictum ad liberandas nexu pignoris Orcades, jus ſuum repetere. Qvare neqve Regni Scotici calamitatem, qvæ nunc felici pace mutata ſit, neqve Reginæ conſangvineæ infantiam, qvæ etiam firmiore Regis Chriſtianiſſimi præſidio munita ſit, aut ſibi poſtulandi, aut cuiqvam recuſandi, cauſſam jure præbituram.

Nam qvod de alienatione rerum pupillarium jure interdicta tutori dicitur, id ita locum habere, ſi res ſine controverſia pupillæ, & non aliena eſſet. Nunc cum de jure ſuo per Regia diplomata liqveat, ſecundùm pupillam, etiam ipſius tutoris interſit, pignoratæ poſſeſſionis ritè ac rectè repetitæ, retentionem vitari, ne ejus qvod intereſt rectè reſtitutam fuiſſe, petitio præter ſortem morâ cumuletur. Admonendum itaqve ſedulò, atqve amantèr rogandum Dominum Gubernatorem, ne ſtatuat officii ſui ratione, ſibi reſtitutionem inhibendam, ac ne periculum ex ea cauſſa vereatur, qvæ facile ipſi Regi Chriſtianiſſimo, omnibusqve in univerſum bonis probari poſſit. Sperandum etiam Sereniſſimam Reginam viduam eâ præditam eſſe æqvitate, ut facile animadvertat, neqve Regi Daniæ, rei alienæ donationem præjudicare, nec ipſum juramenti religione, de petenda reſtitutione exſolvi, neqve deinde reſtituendi obligationem cujuscunqve poſſidentis, ſi modo pecunia in pignoratione definita offeratur, poſſe exſtingvi. Qvare cum petitio ſua ea æqvitate dirigatur, ſangvinis & antiqvorum fœderum neceſſitudinem non tam opponi ſibi, qvàm patrocinari, ne æqva poſtulanti denegentur, nec ipſe Daniæ Rex eò redigatur, ut qvicqvam antiqvius ſanctiſſima fide Regnis ſuis obligata, habuiſſe videatur. Reliqvam excuſationem, qvæ ad Regis Chriſtianiſſimi auctoritatem interponendam, publiciqve Regni Scotiæ Conſilii pertineat, ſane ita ſibi ſatisfacere, ut in primis gratum ſit, qvod promittatur ſumma maturitas, qvam qvidem etiam, pace Dei beneficio parta, nunc multo faciliorem futuram. Itaqve cum ſæpe repetitæ jam neceſſitudini, id qvod poſſit, omnino non illibentèr largiri decreverit, ne ſcilicet nimis rigidè poſtulatum ſuum urgeat, paſſurum vicisſim Dominum Gubernatorem a ſe impetrari, cujus ſpem faciat in miſſæ Legationis exhibitis articulis, nimirum ut intra inſeqventis anni Calendas Majas, de ſententia publici Conſilii Scotici, ſolenniter & ritè congregati, adhibita etiam Regis Chriſtianiſſimi auctoritate certum ſolidum ac liqvidum ad ſe reſponſum mittat, qvod

vim

vim juſtæ firmæqve obligationis & cautionis habeat, qvo tempore, loco, ratione & modo, ſine fruſtratione ulla, reſtitutio Orcadum à ſe certò exſpectari & ſuſcipi debeat. Nam alioqvi iniqvum eſſe, ſe in diem incertum, ſine ulla graviori cautione protelari & rejici, qva in re ſperandum Sereniſſimam Reginam, Dominum Gubernatorem, aliosqve, qvi auctoritate valeant pariter ſummæ æqvitatis & ſuæ dignitatis, Regnorumqve ſuorum urgentis neceſſitatis diligenter habituros eſſe rationem.

1550 Data & eodem die Junii Hafniæ eidem Generoſo Comiti à Rothes Legato Scotiæ alia brevis qvorundam articulorum declaratio, hoc ſenſu:

Qvamvis ſatis evidenter ratio juris Regis in Orcades aſſerta ſit, omiſſa tamen ejus rei diſceptatione concedi, qvod Dominus Comes Legatus precatus eſt, ut ſcilicet Rex ex gratia patiatur trium annorum & qvatuor menſium, nec amplius ſpatium reſtitutioni intervenire, qvo tempore Scotiæ Reginæ pupillaris ætas, & Domini Gubernatoris tutela finietur, his tamen conditionibus.

I. Qvoniam exempla diplomatum, qvibus juris ſui illuſtria documenta continentur, antea miſſa ſint, eademqve nunc denuò mittantur, ut itidem ab hujus ſcripturæ die, intra annum unum, disqviſitione apud omnes Ordines Regni ac regiminis Scotici facta excutiatur, ſi qvid juris a qvoqvam, contra petitionem ſuam in Orcadenſibus inſulis prætendi, aut allegari poſſe videatur, ut ejus documenta, deſcriptis bona fide publicarum tabularum, ſi qvæ extent, exemplis, præſtituto anni ſpatio ad manus ſuas perferri curentur. Porrò ſi nulla reperiantur contrarii juris documenta, qvibus jus ſuum elidi aut infringi poſſit, ut hoc caſu, intra prædicti temporis ſpatium, de Sereniſſimæ Reginæ, Illuſtris Domini Gubernatoris, & univerſi publici Conſilii Regni Scotici ſententia, & omni auctoritate & ſolennitate juris vel conſvetudinis munita cautio mittatur & præſtetur, qvod finitis annis tribus, & menſibus qvatuor, non amplius Orcadenſium inſularum legitimæ reſtitutioni adverſabuntur, obſiſtent, moram aut impedimentum afferrent, neqve per ſe, neqve per alios, nullo qvæſito colore, prætextu, aut fuco qvin conſtituto ab ipſis loco & die, vel â ſe denunciato, pecuniam juxta diplomatum tenorem recepturi, & Orcadenſium inſularum poſſeſſione ſibi bona fide & legitime reſtituta ceſſuri ſint.

II. Ut ſimul cum dictis documentis, vel cum dicta cautione Sereniſſimæ Reginæ viduæ Illuſtris Domini Gubernatoris, & univerſi Conſilii Regni Scotiæ ratificatio & certificatio, omni item juris & conſvetudinis firmitate & ſolennitate munita, eodem tempore ad ſe feratur, qvod interea dum reſtitutio in pendenti eſt, nondum finem legitimum ſortita, ſtatus, conditioqve inſularum Orcadenſium, in qvibus ſuum jus Rex aſſerat, in nulla re, qvæcunqve nominari poteſt, fiat deterior.

Poſtremo ſi hæc intra præſcriptum tempus non fiant, neqve ad Regem perferri curentur, ut tunc jus ſuum integrum, absqve ulla imminutione, aut præjudicio, tanqvam nulla dilatione conceſſa, intelliga-

tur conſtitiſſe, ſalva ejus, qvod intereſt, poſtulantibus rectè non fuiſſe reſtitutum, ratione. Qva de re, ſe qvidem ſolenniter proteſtatum in præſentia profitetur, ac qva poteſt, optima juris & conſvetudinis ſolennitate proteſtatur.

His adjicit Rex ſe de pace pro Scotis apud Imperatorem interceſſurum, idqve qvoniam lagatos in præſens in aula Cæſarea non habeat, literis tum ad Imperatorem, tum ad ejus Conſiliarios diligentiſſime ſcriptis.

Ejusdem anni (1550) XXVI. Junii Rex Chriſtianus III. ad Regem Galliæ ſcripſit, ſignificabatqve acceptas literas ejus XXVI. Aprilis datas per nuncium ab ipſo miſſum, qvem iterum remittat.

Ex eo & Legato Danzæo ritè cogniturum, qvid legatis Scoticis de negotio Orcadenſi, in ejus gratiam reſponſum ſit, petitqve ut cauſſam illam, qvæ non modo ad Regni ſui jus, atqve utilitatem, ſed etiam ad ſuam fidem, dignitatemqve Regiam pertinet, ſibi pro amicitia, neceſſitudineqve mutua, diligenter commendatam eſſe velit.

Ejusdem menſis XXIX die, alias Rex ad Gubernatorem Scotiæ cum eodem Legato ſcripſit, ubi longiorem moram, nulla illius culpa protractam excuſat, cùm ipſe Rex arduis ſui Regni negotiis occupatus, partibus imperii ſui, etiam diſſitis ditionibus perluſtratis, occaſione illius cum reſponſo remittendi planè deſtitutus fuerit. Jam verò cum æqvas conditiones impetraverit, ſe viciſſim petere, ut rationem æqvi juſtiqve Gubernator habeat, in primis autem, ut reſponſum, qvantum fieri poſſit, maturet.

Anno MDLI Octavo idus Junii Edenburgi, reſponſum eſt Regi à Gubernatore Scotiæ Jacobo, tunc non ita pridem Ducis Caſtellerotii titulo inſignito, qvem ipſe reliqvis ſuis titulis hac epiſtola præfigit, qvem eodem anno, *teſte Buchanano Lib. XVII pag. m. 374* indeptus videtur. Exponit autem ad præſcriptum a Rege diem, non eſſe reſponſum, qvod è Gallia nihil adhuc reſponſi acceperint. Se enim poſtulatorum capita, ad Regem Galliæ ſuamqve Reginam miſiſſe, ſine qvorum auctoritate nihil hac in re concludere decreverint. Viſum tamen ſibi univerſoqve Scotiæ Collegio, ad mandatorum Regis poſtulata reſcribere, datasqve Haraldo ſeu Feciali ſuo literas perferendas, qvæ qvoniam æqvitate & officii ſui ratione nitantur, impenſè rogari Majeſtatem ſuam, ut æqvi boniqve conſulat. Reſponſum autem tale erat.

Utrumqve petitionis caput, nimirum ut ſi qvid juris a parte Scotorum prætendi poſſet, pro retinendis Orcadibus, ejus documenta, de ſcriptis bona fide exemplis in Daniam mitterentur. Poſteriori, ut ſi nihil tale reperiretur, qvod Orcadum redemptionem excludere poſſit, hoc caſu ſolennis cautio præſtaretur, fore finita Reginæ pupillari ætate, ut numerata juxta diplomatum tenorem pecunia, Sereniſſimus Rex Orcadas, ſine ullo impedimento in poſſeſſionem ſuam recipere poſſit. Viſum Gubernatori & univerſo Conſilio Scotico, aſperum magis, qvam ut officii partes pati poſſent, ut conſentirent. Nam ut omittatur, qvod, hoc tempore, qvo Regina minor eſſet, nec ſuæ poteſtatis, nulla habita ratione belli perpetui, qvo ſic afflicta fuerit, ut ab incunabulis vix unum qvidem lætum diem videre potuerit, velle eam Orcadum poſſeſſione à Majoribus pacificè relicta, etiam privari, paulò alienius videri ab amicitia & ſangvinis neceſſitudine, qvæ utriqve Regum

gum communis ſit. Cum conſtet tutelarem Principis ſuæ curam â ſe ita geri, ut adminiſtrationis ſuæ reddenda ſit ratio. Nec inficiandum, qvin male adminiſtratæ tutelæ jure accuſari poſſint, ſi adverſæ parti, earum literarum copiam faciant, qvibus jus pupillæ nititur, aut ſi ullo modo cum adverſa parte tranſigant.

Cum autem poſt triennium, plus minusve elapſum liberum ſit Sereniſſimo Danorum Regi, jus ſuum amicè perſeqvi, rogare ſe & obſecrare ſuam Majeſtatem, per ſangvinis & antiqvorum fœderum neceſſitudinem (qvæ non eò recenſeatur, ut hac commemoratione ſuæ Majeſtati qvidpiam perire poſtulent) per officioſam illam benevolentiam atqve animi perpenſionem, qvam erga Majeſtatem ejus geſſerint, ſemperqve geſturi ſint, ut ne exigui temporis mora rem differre gravetur, neqve ſe eò adactos velit, ut id feciſſe videantur, cujus perfuncti officio, rationem reddere non poſſent. His annectunt cognoviſſe ſe Daniæ Regi à qvibusdam Scotis relatum eſſe, apud ſe nihil eſſe juris, nullaqve extare documenta, qvibus vitari aut defendi poſſit, Orcadum redemtio. Precari ſuam Majeſtatem, ne ejusmodi palponibus fidem adhibeat, futurum enim eſſe finita tutela, ut omnibus innoteſcat Reginam ſuam, Orcades jure optimo tanqvam ſuas retinere, & in hac re Sereniſſimo Danorum Regi abundè ſatisfacturam.

His in Senatu Regis Daniæ recitatis paucis poſt diebus Legati hoc reſponſum tulêre.

Regem Daniæ Chriſtianum nondum immemorem jurisjurandi, qvo ſe Proceribus Regni de redimendis Orcadibus, obſtrinxerit, ultra præſtitutum triennii tempus, in cujus conditiones utrinqve priore anno conceſſum fuerat dilationem reſtitutionis neutiqvam laturum. Indignum qvippe fore Regia Majeſtate, ſi datam fidem frangat, & juramento velut aſtragalis ludat. Proinde poſtulare de tanti momenti negotio conſultent adhuc impenſiùs, ne fallacibus promiſſis, alia capiendi conſilia ſibi neceſſitatem imponant.

Anno MDLVIII. Primo vere Lutetiæ Pariſiorum Nuptiæ Franciſci Delphini Henrici Regis Gallorum filii natu majoris, cum Maria Stuarta Jacobi Qvinti Scotorum Regis, & Mariæ Gviſianorum ſororis unicâ filiâ, ſumptuoſâ & verè Regiâ pompâ celebratæ ſunt. His ut intereſſet Rex Chriſtianus, miſſis ſub initium anni, per Carolum Danzæum Oratorem Gallicum literis, enixè petierant, ſed obſtante valetudine Regis, qvæ extremâ ætate, haud adeò proſpera fuit, aliisqve intervenientibus impedimentis, decernere in Galliam legatos placuit, qvi & Regias obirent vices, & commiſſa ſibi negotia diligentiùs conficerent, inter alia etenim hæc ejus injuncta fuere mandata, ut poſteaqvam novis Nuptiis fauſta qvævis nomine Regis apprecati eſſent, cum Delphino Rege Scotiæ deſignato agerent, partim de veteri ſocietate & amicitia, qvæ Daniæ Regibus cum Regiâ Scotorum domo interceſſit, renovanda & confirmanda; partim de reſtituendis Orcadibus, qvas oblato pretio redimere ſæpius, at fruſtra, Rex Chriſtianus conatus fuerat. Delphinus Legatos, comitèr exceptos, cùm habuit magnificentius, tum largiſſimis promiſſis oneratos dimiſit. Cæterum mors fato propera, qvæ inſeqvente mox anno, optimæ ſpei Principem in florida ætate (vix enim annos octodecim natus erat) ex hominibus amolita eſt, tanta promiſſa irrita fecit, Orcadumqve reſtitutionem in plures prorogavit annos.

Initio

Initio Seqventis anni ipſis Calendis Januarii Regum, Principum imò privatorum cujusqve Ordinis ſexus, ætatis, piiſſimus Chriſtianns Tertius, de exitu vitæ per Cœleſtem nuncium prænonitus, fato functus, controverſiam de Orcadibus Succeſſori filio jusqve ſuum nulla ex parte imminutum, ſed planè integrum, reliqvit.

Is erat FRIDERICUS ejus nominis SECUNDUS, qvi anno MDLX: XXIII. Octobris è venatione Cimbrica ad Gubernatores Scotiæ ſcriptis literis per Legatum, oblata pecunia, reſtitui ſibi Orcadas poſtulabat, Exemplum literarum ad manum eſt, cumqve nihil ſpecialius eo contineatur, illi tranſcribendo ſuperſedemus.

Ad eas Proceres & Conſiliarii Edinburgo pridie Calendas Februarii reſponderunt, facile, Serenitatem ipſius perſpicere, rem, qvæ poſtuletur, majoris eſſe momenti, qvam de qva à ſubditis, abſente Principe, non modò conſtitui aut decerni, ſed etiam deliberari qveat, ipſa præſertim in Gallia peregrè procul patria degente. Hanc eſſe compendiariam viam, ut ad fontes ipſos recurratur, ejusqve Serenitas de tanta re per Legatos adeatur. Se pro ejus Majeſtate recipere & polliceri, eam officio nunqvam defuturam. Subſcripſêre Zames Hamylton. Zames Stewart & cæteri.

Ejusdem anni XXVIII. Aprilis ipſam Reginam Scotiæ, de eodem negotio, per literas interpellabat, præmiſſaqve amicisſima ſalutatione exponit ſe, vivo adhuc marito ejus Chriſtianisſimo Galliæ Rege ad Proceres Scotiæ literas dediſſe, de jure ſuo in Orcades petiviſſeqve, ut numerata, pactis definita, pecunia, ſibi reſtitueretur. Illos autem reſcripſiſſe, initia tractationis ab illius Serenitate, tanqvam fonte petenda. Id cum ipſe decreverit, tamen ambigi, an iſta Legatio in Galliam, an Scotiam dirigenda ſit, cum per recentem ex morte mariti luctum, non ſatis conſtet ubi potisſimùm Regina vidua moretur, petere itaqve, ut de illa re, utpote idoneo loco & tempore, ſe certiorem per præſentem ſuum nuncium faciat.

Anni ejusdem IV Menſis Junii Regina ſcriptis Rhemis ad Regem Literis, promittit ſe ad certum tempus, nimirum poſt duos aut tres menſes in Scotiam redituram, cauſamqve Orcadenſem cognituram, arbitrio Regis committit, an tum Legatos ſuos eò mittere velit.

Extant binæ ejusdem Reginæ literæ ad eundem Regem datæ Edinburgi Anno MDLXIX. XXXI Maji, qvibus ſignificat, ſe illius literas nuper accepiſſe, indeqve cognoviſſe relatum ei, Svecos tum hoſtes ejus ſe de auxiliis contra illum ſollicitaſſe, acceptasqve literas eodem momento, qvo Orator ſuus ad eum miſſus in procinctu eſſet, atqve ideo paucis diebus detentus. Is autem erat Gvilielmus Douglas a Witergame Reginæ Conſiliarius & Eqves, cui primo Junii literæ Commendatitiæ, qvas credentiales appellant, datæ ſunt Edenburgi, verùm cùm inter complura, qvæ in mandatis habuerat, ne mentio qvidem Orcadum facta ſit & Regina nihilominus ſcripſerit, eo fine eum miſiſſe, ut de rebus, qvæ ad antiqvi fœderis confirmationem facerent, occaſionesqve omnes, qvæ vetuſtam illorum amicitiam aliqva ex parte labefactare poſſent, in poſterum tollerent, conferret. Rex per Conſiliarios ſuos die Johanni Baptiſtæ ſacro reſpondit Legato: Planè ſibi probari Serenisſimæ Reginæ judicium, eò verò pertinere cauſſam inſularum Orcadum, aliarumqve ad Norvegiæ Regnum pertinentium, qvæ Scotorum Regibus partim pignori datæ, partim LOCATÆ, Legibus Regnorum tandem recuperari debeant. Si enim loco & tempore idoneis,

doneis, omnium inter has gentes fœderum proferantur utrinqve diplomata, cumqve eorum verbis res eæ, qvæ contrariæ videntur, conferantur, bonæ fidei videri ea, qvæ adversus fœdera suscepta sunt, hinc vel tolli vel emendari. Itaqve compendiosissimum tractationis genus futurum, eoqve maximè conducturum, ut non de uno atqve altero solùm, sed de omnibus universis in rebus controversis posit ad perpetuum deinceps fœderum atqve amicitiæ cursum simul & semel, ut ajunt, agi & definiri. Id qvod facile fieri potuisse, si Serenissimæ Reginæ Legatus mandatis etiam ad memoratarum insularum tractationem necessariis non destitueretur, id enim si de fœderum confirmatione seriò agi debeat, necessarium esse, ne scilicet qvid relinqvatur, qvod aliqvam tam concordi pacis & amicitiæ studio in posterum labefactationem inducat. Offerre autem suam Regiam Majestatem Serenissimæ Scotorum Reginæ, in negotio insularum memoratarum, & si qvæ sint alia, conditiones tractationis æqvas & honestas, fœderumqve tabulis, qvàm maxime consentaneas. Rogareqve ideo, ut diem locumqve, haud nimium dissitum, sed rebus istis agendis idoneum præscribat, qvo cum mandatis idoneis suos [si idem factura sit Domina Regina] commissarios mittat, de negotiis omnibus diligenter invicem collaturos acturosqve. Tametsi verò ad conventum istum, non incommodè, & hæc qvæ jam proposita sunt gravamina Scotica suspendi potuerint, visum tamen esse Serenissimæ Regiæ Majestati nonnihil qvantum qvidem jam possit ad ea respondere.

Eodem die Orator Scotus scripto respondit, *videri Serenissimum Regem responsa ad propositos articulos in alium conventum prolaturum, arrepta occasione, qvod simul de insulis Orcadibus transigi possit. Id vero qvò fiat, se non videre, qvum qvid ad Orcades attinet, se ingenuè suæ Reginæ nomine audere polliceri, eam qvicqvid Serenissimus Rex de iisdem, seu per literas, seu Legatos, petierit, directè responsuram.*

Datis ad singula ejus postulata responsis, ad extremum gratiæ, pro negatis Svecis auxiliis impensè actæ. Intervenienre deinde inter Regem & Svecos decennali bello, mox minore Jacobi Scotiæ Regis ætate negotium Orcadense protractum est.

Anno enim MDLXXXV. splendida legatio in Scotiam directa est, cui illustres viri Regni Consiliarii summo loco nati, *Mandrupus Paßberg*, *Henricus Belovius* præfecti sunt, qvibus adjunctus est Doctor *Nicolaus Theophilus*, cum mandatis qvarto Maji ejusdem anni ad Scotiæ Regem perferendis, qvibus omnis ordo repetitarum insularum hucusqve traditus concisè repetitur.

Post salutationem, captandæqve benevolentiæ solennitates, breviter commemorat, qvam utræqve gentes Danica, Norvegica & Scotica fœderibus invicem necessitudinibusqve devinctæ ab ultima memoria fuerint, ex historiarum, repositisqve in Archivis monumentis adundè patere. Confirmatam deinde, renovatamqve ortam illam conjunctionem sanctiore nexu contracto, inter Serenissimum Scotiæ Regem Jacobum Tertium & Margaretam Serenissimi Daniæ Norvegiæ Sveciæqve Regis Christiani Primi filiam unicam matrimonio. Adjecta pacta dotalibus tabulis comprehensa, dataqve in dotem sexaginta millia florenorum

norum Rhenenſium, qvorum decem ſtatim ſolutatum dicebantur, pro reſidua autem pecunia inſulas Orcades cum adjunctis inſulis, & qvæ ad illam pertinent jure antechreſeos, cum omnibus fructibus, emolumentis & commodis, conſenſu ordinum Daniæ & Norvegiæ pignori vel hypothecæ datas, mox etiam traditas, ea lege, ut qvocunqve tempore Chriſtianus Primus, ejusve hæredes ſucceſſoresqve Daniæ & Norvegiæ Reges iſtam pecuniam ſive Regi Jacobo Tertio, ſive ejus ſucceſſoribus, ſolverint, inſulæ iis reſtituantur, cum omnibus iis adhærentibus, de qvibus extent documenta, omni fide majora, procul dubio perinde in Sereniſſimi Scotiæ Regis Archivis ac ſuis, qvorum Exempla cum ſuperioribus annis in Scotiam miſſa ſunt, jam ſuperfluum videri ea iterum mitti. Sereniſſimos autem Reges Chriſtianum & filium ejus Johannem, illum Regis Scotiæ ſocerum, non qvidem dotem repetiiſſe, partim neceſſitudinis vinculo, naturaliqve caritate motos, partim utrisqve Regnis Daniæ Scotiæqve novis periculoſisqve bellis implicatis impeditos, non tamen ideo poſteris, eorum ſucceſſoribus qvicqvam de jure reluendi pignoris demptum. Id enim ex Documentis prius memoratis perſpicuum. Hinc laudatiſſimæ memoriæ Daniæ & Norvegiæ Reges longa ſerie in Regnorum læto auſpicio & coronatione Ordinibus Regnorum ſemper fidem dediſſe, de redimendis & reluendis oppignoratis inſulis, tanqvam parte Regni Norvegici indubitata. Hac jurisjurandi religione obſtrictum ſanctæ memoriæ patrem ſuum Chriſtianum Tertium anno MDXLIX datis ad Henricum Secundum Chriſtianiſſimum Regem Galliæ, in cujus poteſtatem Scotiæ Regnum tunc venerat, item ad Gubernatorem Scotiæ Jacobum Araniæ Comitem literis, oblata pecunia dotali inſulas repetiviſſe, qvibus motam Reginam utramqve, ut & Scotiæ Gubernatorem, ablegaſſe in Daniam Magnificum & Generoſum Dominum Georgium à Rothes, qvi belli difficultates, qvibus tunc Scotiæ Regnum laborabat, & Reginæ, Delphino Galliæ deſponſatæ, minorem ætatem & abſentiam excuſans, negotii iſtius tractationem petiverit in aliud tempus differri. Petitas deinde anno MDLI à Gubernatore per literas ab Haraldo Scotico oblatas trium annorum & totidem menſium inducias, at nullo effectu. Defuncto Rege Chriſtiano Tertio ſucceſſiſſe ſe in Regnum anno MDLIX & admonitum ab ordinibus inclyti Regni Danici, ut præſtiti juramenti memor, de recuperandis Orcadicis inſulis cogitationem & curam ſuſciperet, exemplum Patris ſecutum idem feciſſe. Datisqve literis anno MDLX ad illuſtrem Regni Gubernatorem, & oblatis qvinqvaginta millibus florenorum Rhenenſium memoratas inſulas repetiviſſe, ſine ullo profectu, qvod prædictus Gubernator negotium totum ad Sereniſſimam Reginam, tum in Gallia degentem rejecerit. Et ipſa Regina paulò poſt anno videlicet LXI. interpellata literis, cauſſæ hujus tractationem differri, qvoad in Regnum Scotiæ rediret, reſponſo amanter ſcripto petiverit. Superveniſſe Bellum Svedicum, qvod in decimum ferè annum duraverit, eo

ipſo

ipso tempore, anno videlicet LXIV. intellexisse ex relatione Magnifici Wilhelmi Douglas Oratoris in Daniam missi, Serenissimam Reginam probasse consilium, ut pro decidenda hac & aliis caussis controversis utrinqve Commissarii eligantur, sed isti etiam consilio, bellum moram & impedimentum attulisse, qvo sopito, postqvam cognoverit Serenissimum Regem Jacobum fasces Regni accepisse, tamen se sanctioris amicitiæ & sangvinitatis respectu noluisse in minori ejus ætate de hac caussa molestias creare, licet non defuerit sibi, nec parenti suo occasio, insulas toties frustra repetitas vindicandi, instigantibus præsertim nonnullis forte ex aliorum incommodis sua commoda qværentibus. Patiente itaqve animo tulisse longi temporis moram, qvoad Serenissima illius Majestas Regno inaugurata, ejus administrationem & gubernationem suscepisset, idqve eò magis, qvod eas causlas, qvæ pro excusanda mora afferebantur, commiseratione dignas judicaverit. Jam verò his obstaculis remotis, postqvam suscepto diademate, ad justos annos pervenerit, non amplius dubitasse legatos de toto illo negotio, ad ejus Majestatem dirigere. Petere itaqve, habita ratione diuturnæ patientiæ, qva & ipse & Serenissimus Pater suus usi fuerint, insulas Orcades cum adjunctis insulis & pertinentiis olim Majoribus Serenissimæ Majestatis suæ pignori datas, earumqve incolas benevolè restituat, & de tempore, qvo pecuniam definitam, qvinqvaginta scilicet florenorum Rhenensium millia acceptare, & insularum memoratarum incolas juramento solutos, ad obedientiam sibi præstandam remittere, deqve toto hoc negotio, cum legatis hujus rei, mandatum habentibus, tractare, concordare, & ita mentem & animum declarare velit, qvò spe sua lapsum se minimè qveri possit. Postulabat autem ut proximo vere ad certum diem Pentecostes, sive alium in Orcadibus, inter utriusqve Regis Legatos, absoluta potestate instructos, res universa decideretur. Hæc palam & publicè proponenda legatis commissa erant, data autem alia peculiaria mandata, de iis, qvæ incidere possent, qvorum hæc series lingvâ Germanicâ descripta.

I. Post expositum Legationis scopum si uberior explicatio literis consignanda postularetur illius copiam faciento, & vicissim expetunto, ut responsum itidem per literas reddatur. II. Si longi temporis præscriptio, aut centum annorum usucapio obtendatur, respondento, ut improvisum Regi suo fuerit, uliam, in re tam manifesta, qvæstionem moveri posse, ita & sibi illicitum de ea disceptare, tamen qvasi inter se disputando replicanto, si vel maxime centum anni & qvinqvaginta à tempore oppignorationis interfluxerint, eos tamen ad usucapionem referri non posse. Patre nempe & fratre, ex peculiari affectu, ad caussam filiæ & sororis conniventibus, præsertim alieno Scotis tempore, cum periculosis bellis affligerentur. Jam verò à morte Regis Johannis, usqve ad tempus, qvo Christianus Tertius controversiam de Orcadibus moverit, tantùm triginta sex annos intercessisse, non itaqve tempus possessionis, sed titulum, considerandum. III. Originem hujus possessionis & titulum non Empti dotis aut donationis, sed meri pignoris aut hypothecæ hic spectari, neqve enim insulas in dotem datas, sed certam pecuniæ summam, pro qva ipsæ oppignoratæ sint. Nec Reges Scotiæ, qvantumvis longo tempore eas tenuerint, titulum immutare potuisse, aut caussam possessionis, qvin pignoris antea, pignoris hodie nomine dignoscantur, eoqve jure præscriptionem vel ultra centum annos excludi, redemtionis autem facultatem prædecessoribus Regis Daniæ semper illibatam mansisse, ipsi qvoqve nulla ex parte imminutam suppetere. IV. Si fortè pars adver-

adversa opponant, insulas prædictas Scotiæ prius subjectas fuisse, aut inter Norvegos & Scotos juris controversi, Regemque Christianum Primum omne illud jus dotis nomine remisisse, inque Regem Jacobum & successores ejus transtulisse, ut Buchananus nugatur, regerunto, sibi non permissum ejusmodi intricatioribus disquisitionibus se ingerere, nihilominus quasi invicem de his conferendo, replicanto, nunquam se legisse insulas sive Orcades sive Hetlandiam (quam Scetlandiam vocant) ullius aliàs Principis ditioni obnoxiam fuisse unquam, illud vero certum, non solum illas, sed etiam Manniam cum insulis Sudurensibus, & omnibus aliis, ex parte australi & orientali Magni Hafne (seu portus Sancti Magni) in Regni Norvegici ante trecentos & quinquaginta annos ditione fuisse. Quod autem Scotis adeò vicina fuerint, id demum causam bellorum inter eos & Norvegos præbuisse. Reges autem Norvegiæ, Magnum Quartum & Scotiæ, Alexandrum Tertium, controversias omnes inter se amicè composuisse ea lege, ut Alexander ejusque successores, Magno ejusque successoribus, quotannis certam pecuniæ summam penderent, pro insulis Sudurensibus & Mannia, quas Magnus in ejus dominium transtulit, retentis sibi suisque successoribus Orcadibus & Hetlandia, cum omni jure, reditibus, commodis & servitiis, id quod certis instrumentis, fideliter obsignatis, quæ præsto essent, facile probari possit. Nec dubitandum, quin alia authentica in chartophilacio Regum Scotiæ etiam extent. Unius exemplum quo Regni Norvegici jus in præfatas insulas asseritur, sibi in proprium usum traditum, innumerabilia ejusmodi in Danicis Norvegicisque archivis Regiis suppetere, si produci necesse esset, id autem nihil referre, cùm vel solum dotale instrumentum sufficienter probet, Orcades & Hetlandiam jam illo tempore juris Norvegici fuisse, secus cùm privatio præsupponat habitum, Regem Christianum alienare aut oppignerare non potuisse, quod suum non erat, sed nec Regem Jacobum pignori accipere potuisse, aut opus habuisse, cujus ipse Dominus erat, pignus enim rei suæ neminem contrahere, id enim omnium juris consultorum consensu constare, tum etiam rationi consentaneum esse. Omittendam itaque superfluam de his argumentationem, cum sola litera sensusque dotalium tabularum, ut justus judex, de his accuratissimè decernat. V. Si forte obtendatur, oppigneratas jam antea insulas, subsecuta donatione in Regum Scotiæ dominium & proprietatem transisse, fide Hectoris Boetii & Buchanani, aut aliorum idgenus Scoticorum scriptorum, oratoribus replicandum. Traditionibus eorum vel id fidem maxime derogare, quod ne vestigium quidem talis donationis, nec litera in Regum Daniæ cancellariâ appareat. Donationem autem, ut quæ facti sit nequaquam præsumi posse, sed alleganti liquidissimè probandam esse. Desiderari etiam solennitates in talibus consuetas consensum Procerum & ordinum Regni, quæ non minus in donatione, quam pignoratione requirantur. Sigilla etiam instrumento affixa, in minoris momenti negotiis, nedum in tantæ omnino necessaria, haud secus quam in tractatibus de Mannia & insulis Sudurensibus factum sit, qui ad manus sint. Quod ad Hectorem Boetium, Buchananum aliosque idgenus Scriptores attineat, fuisse illos homines privatos, parum in Archivis Principum versatos, eorum arcana ignorare, dum tamen de istiusmodi rebus divinare satagunt, manifestæ falsitatis convinci, ideoque, si quis locus in eorum libris se offerat, qui juri Regis sui præjudicare videatur, statim matrimonialem contractum opponendum, utpote cui longe major fides & auctoritas. Quod si contra omnem spem, aut allegatas hucusque rationes aliquid diploma pro donatione producatur, injungitur oratoribus, ut illud summa cura perlegant, sigillaque accuratissime examinent, deinde exemplum ad referendum, publica fide munitum expetant. VI. Si forte Rex Scotorum hæc sua postulata ad publica Regni commitia remittat, Legati obniti prohibentur, saltem sub discessum commemorare jubentur, quanta patientia Divus pater suus, tum & ipse Rex, moram a Scotis, his rebus injectam, usque præsens tempus, quo Serenissimus Scotiæ Rex sceptris admotus fuerit, sustinuerit, tantum ut omnibus constet, antiquas amicitias, fœdera, sanguinis & vicinitatis jura a se nulla ex parte neglecta, verùm magno suo damno, nec ad se solum, sed posteros quoque redundatura, sincerè, sanctè, pieque culta & observata. Quod si Serenissimus Scotiæ Rex ulterius contra manifesta juris sui documenta, novis argumentationibus obnitatur, causamque sigillis probatam diutius prolatet, palam profiteri jubentur, suum quoque Regem se, quam de ejus æquita-

æquitate conceperat plane frustrari. Verendum itaque ne sincerus ejus amor, fides & longa patientia, haud pari studio repensa, apud multos contemptum ejus ingeneret, magnaq; tandem incommoda (quod Deus clementer avertat) causentur, illum itaque, ut communis pacis amicum & conciliatorem impensè petere, velit Serenissimus Scotiæ Rex tam justam caussam postulataque sedulò perpendere, & quâ decet æquitate examinare, quod si illo tempore convenienter fieri non possit, tamen operam dare, ut post peracta comitia, quam primum eorum cognitio suscipiatur, inque eum finem comitia accelerare. VII. Urgendum sedulò Oratoribus, ut caussa producatur, ob quam contra allata evidentissima instrumenta, legitimè consignata, restitutio insularum non procedat. Deinde si quædam contraria documenta afferantur, quibus adversæ partis jus innitatur, ut eorum inspiciendorum sibi copiam faciant, exemplumque communicent, ut de iis suum Regem pro officio certiorem faciant. Ex quo ipsi constet, non ad differendam causæ cognitionem, sed certis rationibus tempus protrahi. Quod si obtinuerint, inque iis aliqua dubia observent, non tamen sibi permittant in harenam disputatoriam cum adversa parte descendere, sed quasi invicem de iis ventilando publica documenta in caussæ suæ subsidium in medium proferant. VIII. Quod si nec hac via quicquam proficiant manifestare, jubentur mandatum sibi a Rege ut referant, si negotium hoc, nec in Legatorum suorum præsentia, nec proximis comitiis, nec per literarum commercium decidi aut componi queat, ut Serenissimus Scotiæ Rex ex Consiliariis suis, tres, quatuor, aut quinque ad maris Balthici urbium unam, sive Bremam, sive Hamburgum, Lubecam aut Rostochium, aut quamlibet aliam, controversiæ pro utraque parte tractandæ, qua situm idoneam anni proximi LXXXVI ejusdem seculi vere velit ablegare, cum absoluta potestate, ad expendenda utriusque partis documenta, jura & rationes pro singulis militantes. Suum quoque Regem, suos Oratores pari potestate eò missurum. IX. His forte insuper habitis, postremò Legati protestari jubentur, Regem suum, tritam Principibus viam ad pacem & concordiam stabiliendam monstrasse, nec per eum stetisse, quo minus singula componerentur, deinde incommoda, quæ inde sequi possent commemorare, quodque omnibus innotuerit, illum viam, quæ ad pacem & concordiam, amicitiamque colendam spectat sectatum, illos ad æquitatem flectere nequivisse. His peractis Legati, qualicunque tandem responso impetrato reditum in patriam maturare jubentur. Data sunt illis in Scotiam profecturis Exempla, unum contractuum inter Magnum Quartum & Alexandrum Tertium Norvegiæ Scotiæque Reges, aliud tabularum matrimonialium, inter Jacobum Tertium Scotiæ Regem & Margaretam Christiani Primi filiam: Tertium epistolarum, inter Christianum Tertium, suumque Regem Fridericum Secundum, & Ordines Regni Scotici ultro citroque missarum, in ipsorum usum, & si poscerentur, ut monstrarent, legendique copiam facerent. Debeant & ipsi, quæ in legatione egissent, scriptis consignata ad Regem referre.

Eodem anno die IX mensis Augusti Jacobus Sextus Scotiæ Rex, scriptis quàm amicissimis literis ad Regem Fridericum, testatur, quod se de legatione ad eum dirigenda meditantem Legati ejus anteverterint. Expositio deinde Magnificos & Generosos Oratores Regios, ea, quæ in mandatis habebant, summa humanitate & viva voce prosecutos sibi scripta exhibuerint, quorum singulis capitibus scripto respondere mandaverit. Si quæ, inquit, in iis de Orcadibus insulis repetendis, durius interpretari possunt, ea tamen comitate & benevolentia condiebantur, iisque tot insignes amoris notæ usque adeo prælucebant, ut importunorum potius instigationibus extorta, quàm ab aliqua in nos acerbitate proficisci viderentur, perviciseque, avitæ amicitiæ recordationem & cognationis jura instigantium oportunitatem, suis commodis inhiantium facile perspicere potuimus. Nos vicissim non committemus, ut ullum amici officium, nedum fides aut studium erga Serenitatem vestram desiderari possit. Decrevimus itaque, ineunte æstate,

noſtro nomine Lagatos ad Serenitatem veſtram transmittere, per qvos, & qvid indubitati juris in inſulas Orcades habeamus fuſiùs edocebimus, & teſtatum apud animum Serenitatis veſtræ relinqvemus, qvanto amore, qvantaqve benevolentia Serenitatem veſtram proſeqvamur, nec non, qvid nobiſcum volutemus, ut inter nos fœdera arctiora & amicitiæ firmiores, & animi conjunctiores eſſe poſſint.

Legati deinde eodem anno cum tali reſponſo dimiſſi ſunt, ut Regia Scotorum Majeſtas contractus inter Serenisſimos, piæ memoriæ Principes Jacobum Tertium Scotiæ, & Chriſtianum Primum Daniæ qvidem & Norvegiæ, ſed ut Norvegiæ Regem, & cum Norvegiæ Ordinum conſenſu initi ex Archivis ſuis meminiſſe poſſit, ita ægrè ſibi perſvaderi poſſe, alia, qvæ non ita multò poſt intervenêre documenta (qvorum memoriam in Archivis Danicis extare non temerè opinetur) Regiam Danorum Serenitatem tam diu latere potuiſſe. Qvorum intuitu, ut Serenisſimi Daniæ Reges, piæ memoriæ prædeceſſores ad Chriſtiani Tertii tempora ab iſtarum inſularum repetitione abſtinuiſſe, non ſit à fide alienum, ita curaturam eſſe Serenisſimam Scotiæ Regis Majeſtatem, ne qvid per ſe admittatur, qvo minus majorum ſuorum, optimorum Regum veſtigiis inhærere non debeat Serenisſimi, Daniæ Regis Majeſtas. Qvòd autem Chriſtianus Primus ejusqve filius Johannes de redimendis inſulis nunqvam cogitarent, feciſſe qvidem nonnihil generi ſororiiqve reſpectum, ſed cui non parvam acceſſionem attulerit memoratarum inſularum (qvas jus civile adjacentium regionum partes nominat) huic regno vicinitas, eademqve tam ante matrimonium, qvam ipſo matrimonii tempore à Scotis hominibus occupatæ & poſſeſſæ. Præcipuè verò Majeſtatis Regiæ prædeceſſorum erga Sereniſſimi Daniæ Regis prædeceſſores, omnibus teſtata officiis, multoqve ſuorum ſangvine confirmata ſinceritas, qvæ etſi non ignoraret Sereniſſimus Rex Chriſtianus Tertius, Norvegorum tamen ſuorum dictas inſulas Regno ſuo arrogantium importunis precibus conceſſiſſe, videri poſſe, ut & ipſe Henricum Secundum Galliarum Regem, in cujus aula Sereniſſima Regina mater ſua Franciſco filio ejus deſponſata tunc educabatur, ut & Jacobum Araniæ Comitem tunc Regni Scotiæ Proregem, Et Rege vitâ functo, Sereniſſimus ejus filius hodiernus Daniæ Rex, ſub Regni ſui auſpiciis Reginam ipſam memoratæ oppignerationis per literas admonuerit, qvibus ita tunc temporis ſatisfactum fuerit, ut nulla amplius in eum diem, de iis redimendis, mentio facta ſit utcunqve non defuiſſe conſtet, qvi iniqvioribus Scotorum rebus, eorum repetitionem ſæpius urgere, non deſtiterint, ut ex duorum iſtorum Regnorum diſſidiis, ſuum compendium facere poſſent. Cujusmodi ſanè hominibus, laborante Danorum Regno, Scotiam ipſam non caruiſſe, qvi Regiæ Majeſtati, Regniqve ſui Proregibus auctores eſſe cupiverint, ut iis privilegiis & immunitatibus, qvibus mercatores Scoti, per freta Danica negotiantes, non ita multo ante exuti fuiſſent repeten-

dis

dis recuperandisqve incumberent. Unde tametsi census Danicus multo auctior locupletiorqve ullo Regio ex Orcadibus insulis emolumento evaserit, & bella, qvibus Dania tunc implicabatur iisdem vindicandis non importuna viderentur, maluisse tamen Regiam Majestatem, sangvinis & necessitudinis intuitu ad tantam mercatorum subditorumqve suorum jacturam connivere, qvam rebus Danicis alioqvi afflictis Serenissimo Danorum Regi, ejusqve Regno negotium facessere certum, eundem amicitiæ cursum fructumqve à Serenissimo Daniæ Rege sibi expectandum, præsertim in hac sua minori ætate, potentissimis Europæ Principibus veram, qvam ipsi profitentur religionem, conjuratis armis, & aperto jam Marte, impetentibus, cujus conservatione, cum nihil Principe verè christiano carius esse debeat, satius ducere Regiam Majestatem, idqve qvanta possit animi contentione à Serenissimi Daniæ Regis Majestate petere, ut privatarum rerum in tempus magis oportunum seposita & rejecta cura in eam secum cogitationem incumbere velit, qva via, atqve ratione tantorum Principum conatibus obviam eundum sit, qva qvidem anxietate expetita, exactaqve Serenissimi Scotiæ Regis Majestatis minori ætate, privata illa tutius tractari & disceptari possint, qvod cum Serenissimus Rex Scotiæ Serenissimi Daniæ Regis Legatis hac abeunte æstate significare pararet, sævientis pestis luem, urbem, ubi Archiva asserventur, misere depopulatam, nullo ad eam tuto aditu relicto, hoc ipsam instituto ac proposito divertisse. Ita tamen ut qvod nunc assequi non possit, sub proximæ æstatis initium, Deo præeunte perficiat, missurum qvippe per qvem Daniæ Regis Majestas, & Regium in has insulas jus intelligat, qvi causa disceptata, qvicqvid æqvitas, qvicqvid ratio aut consangvinitas à cognito Principe expectare possit, id Regio nomine Serenissimo Daniæ Regi ingenuè polliceri debeat, & secretiorem ipsius in aliis non levis momenti negotiis mentem Serenitatis suæ perferat & communicet.

Anno MDLXXXVI. die XV. Junii Illustris Legatio à Rege Jacobo Sexto in Daniam missa est, Præside Illustrissimo viro Petro Junio à Setoun Sereniſſimi Regis hærede, magno Eleemosinario, Legato & Consiliario Regio, cum literis, qvas vocant credentiæ, qvarum Exemplum ad manus. Attulit, & alias ad Sereniſſimam Daniæ Reginam Sophiam, qvæ etiam extant, tunc enim filiam ejus conjugio sibi sociare decrevit. Legati propositiones Cronoburgi expositæ, tales erant.

Salutem Benevolentiamqve præfatus, Regem suum excusat, qvod licet nihil ex iis, qvæ de Orcadum negotio superiori anno fuerit pollicitus omiserit, id tamen ad optatum finem perducere, neqviverit.

Cùm enim illustrem Legationem super hac re in Daniam mittere meditaretur, gravissima & maxima impedimenta interveniſſe, nimirum statim post Legatorum Danorum abitum, sed paulo ante coortam, tum vero acriùs sævientem pestiferam luem per varia Regni loca late grassantem, sublatis commerciis, rebus etiam forensibus tristi institio inducto, nullos Ordinum Regni conventus permisisse, adeo ut de nullo majoris momenti negotio à Rege suo tractari potuerit. Qva remittente cum iterum de mittendis Legatis actum esset ex Consiliariis Magnatibusqve iis, qvi tum ad aulam redierant, isti muneri maxime idoneos delectos, iisqve datum negotium, ut ea, qvæ ad rem Orcadicam pertinerent, studiosè perqvirerent, atqve investigarent. Qvod dum ipsi sedulo præstiterint, inqve eo non parum operæ posuissent, tamen repente rerum omnium conversionem factam,

factam, ut istis proceribus & consiliariis ab aula domum rejectis, aliis vero diversarum partium ex prima etiam nobilitate, qvi exulaverant Orcadici negotii prorsus ignaris in patriam, atqve adeo aulam redeuntibus, inqve priorum vicem succedentibus, omnia consilia Regia rursus perturbaverit. Nec hanc Procerum discordiam ex civilis & intestini belli, Rege puero gesti reliqviis exortam, adhuc ita compositam esse, ut in unum locum sine discrimine cogi possint, qvorum tamen omnium, nec non caterorum Regni Ordinum consensus ad hoc negotium conficiendum requiratur. Ut enim has insulas consentientibus Regni Norvegiæ Ordinibus eppigneratas fuisse, & iisdem monentibus nunc repeti, Rex Daniæ asseveret, ita easdem a Rege Scotiæ suisqve Majoribus tanto tempore possessas, & publico Regni statuum decreto patrimonio Regio adjunctas, absqve eorum auctoritate alienari, nec consultum illud tolli aut antiqvari posse. His incommodis haud aliud minus accedere, Regiam nimirum ætatem, non ante completum annum vicesimum primum ad capessendum Regnum legitimam, qvem cum sua Serenitas ingressa sit, proximoqve XIX Junii impletura, tunc rectius & ex auctoritate Regia Ordines convocari, & de his omnibus tractari. Polliceri autem Regiam ejus Majestatem, idqve verbo Regio sanctissimè cum id tempus adveniat, se in hoc negotio statuturam, ac re ipsa præstituram, qvicqvid jus, æqvitas, ratio, amicitia aut sanguinis fœderumqve arctissima necessitudo postulet, Legatosqve ac commissarios, magnæ auctoritatis viros, cum omnium ordinum unanimi consensu, se missurum, qvi de omnibus tractent & transigant. Nec Serenissimum Scotiæ Regem dubitare, qvin Deo propitio, sua opera & diligentia Procerum inter se dissidia, aut prorsus tolli, aut componi saltem possent, ne in incertum aut infinitum tempus Regis Daniæ Serenitatem ducere videatur. Cumqve ultra omnem culpam ipse sit, rogare atqve obtestari, ne hanc dilationem, tergiversationem aut frustrationem interpretetur, neve hanc exiguam paucorum mensium moram, iniqviore animo ferat, sed Majestati ejus, qvæ cum tot incommodis conflictata est, avitæqve amicitiæ, Sacrosanctisq., atq, hactenus inviolatis fœderibus, arctissimaq, consanguinitati ac vicinitati vel ipsius etiam temporis iniqvitati, hoc breve temporis intervallum non illibenter condonare velit, sibiq, persvadeat veterem illam & vere auream fiduciæ formulam, ut inter bonos bene agier, *suo Regi semper summopere placuisse.* Subscriptio talis

Ego Petrus Junius a Setoun Heres Serenissimi Scotorum Regis, Legatus, Consiliarius ac magnus Eleemosinarius hæc mea manu scripsi idemq, subscripsi

His acceptis, per deputatos suos Illustrissimos viros Rex Fridericus Legato tale responsum Regi suo referendum curavit Croneburgo anno MDLXXXVI. XXII. Augusti.

Præmissa resalutatione, votis, gratulatione, officiorumqve promptissima delatione, qvod ad Orcades attinet, meminisse suam Serenitatem, qvæ & verbo & scripto suis Legatis promissa essent superiori anno, ita ut nihil aliud sperare potuerit, qvam hoc ipso anno Legatos ad se cum amplissimis mandatis missum iri, qvi totum hoc negotium pro caussæ seu postulatorum justitia & æqvitate tractaturi & definituri essent. Qvia verò nunc intellexerit ipsius Majestas a Legatorum suorum discessu ê Scotiâ, tum sævissimæ pestis, tum aliorum, inter provinciales intestinorum tumultuum impedimenta incidisse, deinde qvod horum negotiorum discussio & transactio in proximum annum necessariò rejicienda fuerit, eo qvod Serenissimus Scotiæ Rex ætatis Legitimum annum non compleverit, interpositam hanc excusationem pro constanti sua ergo Scotorum Regem benevolentia, proqve ea, qvæ utrinqve Majestatibus ipsorum intercedit conjunctione, amanter admitti, satisfactionemqve accipi, neqve tamen ulla ratione dubitare, qvin Serenissimus Scotiæ Rex posthabitis omnibus & qvibuscunqve impedimen-

mentis, ita Reipublicæ ſuæ negotia directurus ſit, ut ante omnia, tum tandem ea, qvæ de Commiſſariis ſeu Legatis, qvi unanimi omnium Ordinum conſenſu, de toto hoc negotio publica auctoritate plene tractent, & omnino pro juris æqvitatisqve ratione tranſigant, ſub menſem Junium proxime inſtantis anni mittendis, verbo Regio ſanctiſſimè pollicetur, citra longiorem moram, prout ipſum jus, fides, æqvitas, ratio, amicitiæ, ſangvinis fœderumqve neceſſitudo poſtulant, re ipſa ſit præſtiturus, idqve ut conſiderata ipſius Majeſtatis hactenus uſurpata amicitia ac lenitate fiat, amanter peti, ne alienis alienioribusqve cogitationibus anſa præbeatur.

Adeo autem ſtricte Rex Fridericus certum Legationis tempus a Scotiæ Rege mittendæ definiri voluit, ut præſens Legatus deputatorum Regiorum Nicolai Kaas & Henrici Ramel ſcriptum teſtimonium datum Croneburgi XXV. Auguſti exegerit, impetraveritqve ſe cùm mandata Regis ſui exponeret, non definiviſſe menſem Julium ſeqventis anni Legatis mittendis, ſed tantùm retuliſſe Sereniſſimum Scotorum Regem proximo menſe Junio vigeſimum primum ætatis annum completurum, atqve ita ad ſtatum ſuum perventurum. Tempore autem iſto completo, ſtatim Ordinum Regni ſui conventum indicturum, ac præhabita deliberatione, qvamprimum Legatos ac Commiſſarios magnæ auctoritatis cum omnium ordinum unanimi conſenſu miſſurum. Eoqve ipſo tametſi Julius expreſſè nominatus non ſit, tamen tempus illud circa, ſeu paulo poſt, vel ante Julium tacitè deſignatum eſſe. Itaqve eâ de cauſſâ Sereniſſimum Daniæ Regem, menſem iſtum, qvem Dominus Legatus nominatim non expreſſit, expreſſè & nominatim inſeri juſſiſſe, cùm non tam verba qvam ipſe ſenſus verborum & mens agentium in omnibus actionibus reſpiciendus ſit.

Anno MDLXXXVIII, die IV. Aprilis, Sereniſſimus Fridericus Secundus fato functus, glorioſam ad poſteritatem ſui memoriam reliqvit, ſucceſſoribus, juris in Orcades, ſubjectasqve inſulas perſecutionem, cujus inexſpectata mors legationem Scotorum Regis Jacobi nonnihil tardaſſe videtur, qvam anno ſeqvente ad Sereniſſimam Reginam Viduam, Sophiam & Sereniſſimum Chriſtianum Qvartum, tunc temporis electum Regem, ſed ætate minori, Vir Illuſtriſſimus Comes Georgius Kieth menſe Julio, in Daniam delatus, obivit: De dote filiæ Regis, Principis Annæ, actum eſt. Sed Proreges Illuſtriſſimi, Nicolaus Kaas Cancellarius, Petrus Munchius Admiralius, Georgius Roſenkrantz & Chriſtophorus Valkendorphus, omni tractationi negotium Orcadenſe præmitti voluerunt. Id cùm Scotiæ Legatis placuiſſet, viſum eſt Senatoribus Danicis Rege nondum ad eam ætatem provecto, qvæ ſceptri capax eſſet, nihil Scotorum poſtulatis, in illa re indulgeri poſſe. Verborum formulam adſcribam, In ipſo tractatus limine, ac priusqvam ad alia Legationis capita progreſſus fieret, Illuſtres Domini Proreges (Daniæ) petierunt & urſerunt, ut negotii iſtius Orcadici primum omnium tractatio ſuſciperetur, ac ex æqvo & bono finiretur. Poſt multos itaqve, ea de re ultro citroqve ſermones habitos, cum Illuſtres Domini Proreges judicarent, ac evidenter demonſtrarent ſibi minorenne adhuc Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principe Domino Chriſtiano Qvarto Daniæ Norvegiæ Electo Rege, Domino ſuo Clementiſſimo, nulla ratione qvicqvam de Orcadibus conſtituere, licere, tandem utrinqve, actum, transactum & concordatum eſt, ut durante dicti Sereniſſimi minorennitate, hæc diſceptatio ſuſpendatur. Deinde vero hanc tractationem ſeu poſtulationem utriqve Regiæ Majeſtati liberam permanſuram, neqve hanc

moram alterutri partium, ullum præjudicium allaturam. Interim qvoqve Sereniſſimum Scotiæ Regem Dominum noſtrum Clementiſſimum, in qvieta poſſeſſione relinqvendum eſſe, Ita tamen eaqve conditione, ne hæc ſuſpenſio, ſeu moræ indulgentia, juri, qvod Daniæ & Norvegiæ Reges in dictas Orcades inſulas prætendunt, ulla ratione præjudicare, vel poſſit vel debeat. Sed utriqve parti jura ſua ſarta tectaqve & illæſa, non minus ac ſi hæc ſuſpenſio nunqvam interveniſſet, conſerventur. Hæc Legati Proregum Daniæ rogatu, nomine Sereniſſimi Scotiæ Regis à ſe acceptata, manuum ſuarum ſuſcriptione, ſigillisqve appenſis teſtati ſunt. Helſingöræ die XX. Auguſti anno MDLXXXIX.

Datum Legatis Scoticis hujus autographi Exemplum eodem die & loco, ipſi Proreges & Senatores manuum ſuarum ſubſcriptione teſtantur.

Qvod itidem ex reſponſo ſeqvente, ad art. VI. poſtulatorum Illuſtriſſimi Comitis Georgii Kieth, tempore eodem ſibi à ſenatoribus Regni dato, uberiùs dispaleſcet:

Ad ſextum, Orcades qvod attinet: Meminerunt Sereniſſimum Regem inclytæ momoriæ per Legatos ante qvadriennium eas repetiiſſe. Itaqve Regii Senatores hoc tempore ad petita conſentire non poſſunt. Sed ut ſuam erga Sereniſſimum Scotiæ Regem obſervantiam declarent (qvod ſi hi tractatus ad debitum finem perducantur) promittunt ſe remiſſuros ab hac poſtulatione, donec Sereniſſimus electus Rex noſter ad maturam ætatem pervenerit, tunc ipſius Majeſtati integrum erit cum ejus Majeſtate agere. In qva actione ſe qvoq; æqviſſimos præbebunt, ſalvis & reſervatis tamen juribus ad Regnum hoc pertinentibus.

Ex qvibus conſtat, Senatoribus Daniæ pro hoc tempore commodum non viſum cauſam Orcadicam diſceptare, etiamſi tum demum Legatis Scoticis ex mandato placuiſſet, qvi oportunum ſe jam nactos eſſe tempus perſentiebant. Venerunt enim in Daniam, ut Filiam Regis bene dotatam Regi ſuo in Conjugem adducerent, ſperantes, ſe eò faciliores Proreges & Senatores Daniæ in ſua deſideria, qvæ Orcades attinebant, habituros eſſe. Satius ideò duxerunt Proreges & Senatores Regni Daniæ, ut à poſtulatione Orcadica deſiſterent, donec Rex eorum ad maturam perveniſſet ætatem. Prævio hinc reſponſo conditionem inſeruerunt hanc: Qvod ſi hi tractatus ad debitum finem perducantur, ſe tam diu à poſtulatione hac remiſſuros eſſe.

Tandem de Principis Annæ nuptiis doteq; , auri, ut vulgò dicitur, tonnâ, cum dictis Legatis ex ſententia transactum eſt. Principem itaq; Sponſam ut claſſe Danica in Scotiam duceret Comes de Marſchal à Scotorum Rege miſſus, ſed tempeſtate ſingulari coactus eſt portum cum eâ apud Norvegos qværere. Juvenis interim Rex de eo certior factus, in Norvegiam amore accenſus claſſe ſtatim trajecit & amplexam ſponſam in arce Opsloæ pompis ſplendidiſſimis ſibi matrimonio jungi fecit, terrâq; deinde, hieme intendente, cum eâ in Daniam profectus eſt, ut ex connubiorum nexu arctius cum Rege Daniæ, affine cariſſimo totâq; Domo Regiâ præſens necteret neceſſitudinis vinculum, qvod tantos amoris contraxit amplexus, ut etiam anno ſeqvente nuptiis Domini Henrici Julii, Ducis Brunsvicenſis, qvi Principem Eliſabetham duxit, Coronæburgi in Dania intereſſe voluerit. Hinc & Regis Chriſtiani IV. in Angliam magnificè ſuſcepta itinera Anno 1606. & 1614., ut mutuum conteſtaretur amorem. Reges, certè uterq; , magni, qvi non hoſpitio tantùm, ſed ſinu & pectore ſe invicem mutuò excepêre & ſummæ in terris poteſtati etiam ſummam adjunxerunt familiaritatem. Qvod ergo jure obtinere non potuerat Jacobus Britanniæ jam univerſæ Rex, qvi, modò literarum tantùm apices ex archivis Scoticis protrahere potuiſſet ad jus dominii in Orcades Hetlandi-

amq;

amq; asserendum, facilem in sua vota Regem Christianum IV. habuisset, affinem utpote multis modis sibi addictum, amore tamen expetiit, ut negotium Orcadicum pro suo & tempore Regis Christiani IV. indecisum seponeretur. Conventum igitur sic fuit, confœderatione Steinburgi d. 20 Julii Anni 1621. initâ, art. 19.

Qvia etiam Insulæ Orcades & Schetland absq; præjudicio successorum ab hac tractatione excludi neqveunt, conventum ideò, concordatum & conclusum est, qvòd omnis inde tractatus, durante utriusqve vel alterutrius Regis vita qviescet, neq; de eâ re qvicqvam movebitur, omni tamen jure successoribus semper & in totum salvo manente.

Promissis uterqve Rex, dum viveret, non tantùm addidit amicitiæ perpetuitatem, sed etiam Glorioſissimus Rex Christianus IV. in alterius defuncti genero, Domino Friderico, Electore Palatino, haud indemnis continuavit: Orbi Christiano res admodum nota est. Nec minus sangvinis propioris nexus oblitus est, qvi illi cum Rege Carolo, universæ Britanniæ post Jacobum patrem moderatore, intercedebat; Pactis & promissis stare etiam voluit usq; ad annum 1640., qvo Scoti Regis Caroli imperio se subduxêre. Ne ergo Orcades subjacentesq; insulæ Daniæ & Norvegiæ Regi & regno hoc modo abalienarentur, justam causam Rex Daniæ se habere ratus est, jus suum in insulas has per Legatos Corneficium Ulfeld & Georgium Krabbe, in Anglia degentes, repetendi, qvibus d. 6. Augusti eodem anno perscripsit, ut peterent se in hoc negotio audiri, oblatis in reluitionem pecuniis debitis, vel earum loco copiis auxiliatricibus à Domino King, nomine Regis Caroli, cujus militiæ præfectus summus erat, è Dania tum desideratis. Juvit deinde Prudentissimus Rex Daniæ opibus non modicis, juvit qvà licuit armis, etiam in propriis Regni procellis. Et sciverunt, qvi rebus ipsi interfuêre, negotiationem Orcadicam adeo cœpisse movere lacertos, ut in Daniâ de Gubernatore, qvi insulis hisce è senatu præesset, prospectum sit; Sed rerum in Britannia indies aucta convulsio & metamorphosis insecutâ moram huic struxit negotio minus exspectatam.

Regi deinde Potentissimo Friderico III. jus hoc sartum tectumq; à Patrê Magno relictum est, qvod data occasione perseqvi haut neglexit. Filio enim Regis Caroli I. justo universæ Britanniæ hæredi, solium jam inscendenti felix & perenne diadema legatione amplissimâ congratulatus est, & inter summa, qvæ Legato suo, Domino Friderico ab Ahlefeld in mandatis anno 1660. d. 5. Julii dederat, apud Regem Britanniæ Magnæ ut exponeret, fuit, qvòd Orcades Hetlandiamq; Regi Scotiæ qvondam dotis loco cum jure reluitionis oppignoratas, qvà decet observantiâ repeteret, qvoniam tempus certum in tabulis matrimonialibus non determinatum, intra qvod pignus reluendum erat. Commissariis Britanniæ Regiis illustrissimus Legatus anno 1661. d. 12. Januarii ferè ejusdem tenoris pro memoriâ posthac exhibuit postulatum. Angli verò rem iterum protelarunt, nihil habentes qvod in causâ tam justâ dicerent, nisi qvòd Orcades insulasq; illas in mari Deucalionæo perpetuas, thalami in Scotiâ regalis pignus (haud sanè pretium) annorum præscriptione usurparent. Jure an injuriâ toties laudatæ nuptiales tabulæ decident, ad qvas Potentissimi Daniæ & Norvegiæ Reges tantâ patientiâ, tantis benevolentiæ & necessitudinis officiis, ne dicam beneficiis, provocarunt. Orbi certè innotuit, qvantum studii & sollicitudinis, aliqvando etiam præsidiorum, contulerit Rex Fridericus III. ad juvandam Regis Caroli II. innocentiam, ut avitum inscenderet thronum, magno rerum suarum ob Cromvellianorum machinationes nocumento.

Tandem tamen ubi de pace inter Danos Anglosq; sancienda Mediatores Potentissimi, Christianissimus Galliæ Rex & Ordines Generales Belgii confœderatarum provinciarum Bredæ anno 1667 agere cœperunt, Anglicani Legati, pro more solito, Danis restitutionem Orcadum Hetlandiæq; urgentissimè postulantibus ex

ad-

[a]dverſo iterum repoſuerunt, qvod ſuper hac re non eſſent inſtructi, itaqve precibus obtinuerunt, ut articulus hic indeciſus ſeponeretur, Danis ſic Mediatoribus morem gerentibus, ne tam ſalutare pacis negotium hac ex parte in totum retardaretur. Interim ſanciræ paci hæc addita fuit conditio, ut ſuſpenſio reſtitutionis dictarum inſularum citra præjudicium Sereniſſimi & Potentiſſimi Daniæ Norvegiæq; Regis fieret, ne qvidqvam eidem prætenſioni hoc ipſo derogaretur, ſed eadem integra, infracta patensqve perſiſteret, donec melior occaſio præberetur. Prout Mediatorum Plenipotentiariorum atteſtata manibus & ſigillis munita in Archivis Regiis præ ſe ferunt d. 31. Julii Bredæ anno eodem data.

Qvæ verò hunc in finem tempore Sereniſſimi & Potentiſſimi Regis Chriſtiani V. Domini mei clementiſſimi hucusqve acta ſunt, meliori aſſervantur occaſioni.

In tantâ igitur hiſtoriarum luce, etiamſi per tot obſtacula rerum, cùm verſati ſimus, nihil orbem latere poteſt, qvod Regum Daniæ Norvegiæq; jus in prædictas inſulas ex naturæ gentiumq; corroboret pandectis, qvibus Anglorum toties injecta mora penitus adverſatur. Nec veritas usqvam glorioſius tuetur locum, qvàm in re tam lucidâ & conteſtatâ, omnium oculis & judiciis expoſitâ. Cauſſam ideo coram ampliſſimo Orbis terrarum tribunali ulterius diſceptare ſuperſedemus, & confiſi æqvitati remedia à tempore ſperamus.

INDEX.

A.

Adalsteinus Angliæ Rex Pag: 22
Adalbertus Episc. Hamburg: ordinat Episcopos Orcadenses 157
Adalbertus Episc. Orcadensis 157
Adaldagus Archiepiscopus 160
— ordinat plurimos Daniæ Episcopos Ibid.
Adami Episcopi Catanesiæ avaritia 154. 155
Adamus à Cork comes 173
Atheling & Adeling s: clito 66
Akursborg 126
Alanus Gallovidianus Mannia infestat 160. 162
Alexander de Ard administrator Orcad. 174
Alexander II. Scotiæ Rex 163
— Hæbudas ab Hacone Rege Norvegiæ auro redimere cupit Ibid
Alexander III. Scotiæ Rex Stuartus primus 170
Alfiva Knuti M. pellex dominatur in Norvegia 57
Almutium sive almucium quid denotat 89
Allodia civibus Orcadum Sigurdus restituit 27
Andbiornus Episcopus Hamarensis 187
Andreas Glascuensis Episcopus 187
Angantyr Comes Orcadum 8
— pervigil, ejus excubitor Ibid
Angliæ Rex Haraldus Godvinius 67
Angelseyam possidet Haraldus Pulchricomus alijq. Reges Norvegiæ ante eum 72
Animâ unâ duos vixisse antiquitus creditum est 67
Anni proventus ex Scypho Div. Magni augurio præcipitur 2
Anna Princeps Daniæ Scotiæ Regi Jacobo VI. desponsa 226
Annulus sigillaritius aureus cum corvo & nomine Rafni 144
Antrum ingens opum possessione famosum in Dolliseya 95
Aqua in peram crebrius infusa 107
Arbote s: annonæ remedium 19
Arnfinnus Thorfinni filius 24
— ejus uxor Erici Blodoxii filia Ibid
— uxoris insidiis occiditur Ibid
Argisel Comes Orcadensis 173
Arnfinnus, Arnvid, Arsel &c. Comites Orcadum creantur 26
Archibaldus Comes Orcadum 181
Arnkel Comes Orcad. prælio occiditur 22
Arma sumere contra inermes inter septemtrionales non decorum 42
Arsal s: felix annonâ 24
Arthuro Angliæ Regi parent Orcades 8
Artes, quæ antiquitus pretiosissimæ 94
Aschatinus Episcopus Bergensis 171
Aslacus Archiepiscopus Nidrosiensis 183
Audunus Episc. Stavagriensis 183
Auduris fœminæ magnificæ sepultura 17
Aulici in locum eorum, pro more recepti quos occidebant 42
Auri immensum pondus in septemtrione 64
Aurum signatum 162
Auripedum factio in Norvegia 149
Austreni sive Orientales vocabantur Norvegi & Islandi pro Ethnicis 13, 14, 16
— Austmanni & Ostmanni 15
Autor hujus historiæ ignoratur in præf.

B.

Baglorum factio in Norvegia 153
Banus (Donaldus) s: albus 78
Barbati insulares seu Insulobarbi Orcadenses sunt 8
Barbaria Serklandiæ nomine intelligitur 125
Barbari mores tempore Sigurdi Comitis 27
Bardus Episcopus Hiberniæ quomodo factus 32
— ejus fabula 27
Belius Sogniæ Rex in Norvegia 7
Bernhardus Scaniæ Episcopus 169
Berserchus s: furiosus athleta 8
Bertramus Episcopus Orcadum 157
Biadmonia seu Hiadmonia Haraldi Imperiosi filio Sigurdo, Regi Orcadum, despondatur 73
Biarnii Orcadum Episcopi indoles 144
Biornus Curvimanus Poeta celebris 72
Birkebeinorum in Norvegia denominatio 149, 167
Blot-Sveinus Rex Sveciæ 68
Botolfus Begla poëta celebrù 134
Bojanus Rex Scotiæ occiditur 33
Bragius Poëta carmine vitam liberavit in præf.
Brendanus Orcadenses convertit 9
Breidmagius s: obesi ventris 115
Bretlandia s: Anglia 72, 114
Brianus Rex Hiberniæ occiditur 27
Brioströip (Sveinus) seu pectoralis restis à robore denominatus 101
Britania aquilonarù fuit Norvegicæ ditionis 9
Broderi piratæ potentia &c. 27
Broderus Poeta potens 34
Brusii Comitis æquitas, pietas, moderatio 45
Brusius Orcadum trientem in feudum ab Olafo Sancto accipit 50
— deinde duas partes, tertia Torfinno traditur 52
— moritur 58

— ejus filius Rognvaldus Olafo S. obſes datur 55
Buchananus conciliatur 60
Budſtikke Norvegis armati conventus indicium 26
Burra inſula Orcadum montes habens altiſſimos 3
Byrdinga navis antiquitus quæ annonam portabat 106

C.

Cædes cruenta à Kario perpetrata 43
Capitis tegmen ſigulare è pilis equinis 115
Cameli ſeu Ulfaldi cognomen 66
Cammorus Scotiæ Rex megalocephalus 65
Canutus Epiſcopus Viburgenſis 183
Canutus Rex potens Daniæ & Angliæ 55
— multos Epiſcopos in Daniam adducit 157
— ejus Sacellarius 157
— Reges Scotiæ in deditionem recipit 55
Canutus opulentus mercator 131
Canutus Sanctus Rex Daniæ Angliam ſubigere conatur 79, 80
Cantiria olim Sitiria 73
Caſtrum Lambaburgum ſeu agnorum caſtrum naturâ munitum 117
Carini & Catini Orcadenſes 4
Caprearum venatus 140
Carolus Scotiæ Rex Scriptoribus Scoticis ignotus 54
Cataneſiæ acceſſione Haraldo Svaviloquo conceſſa potentior fit 91
Cataneſiæ dimidium Erlendus Haraldi Svaviloqui filius à Scotiæ Rege jure impetrat 129
Cataneſiam Haraldus Comes invito Rege Scotiæ ſubigit 146
Chriſtianus I Daniæ &c. Rex & Jacobus II. Scotiæ Rex, diſcordes 183
— Scripſit Jacobo II. ibid.
— Legatos miſit ad Carolum VII. Galliæ Regem ibid.
— huic Regi Daniæ Wilhelmus Epiſc. Orcad. juramentum fidelitatis præſtitit 186
— Scripſit Supremo Judici Orcadum ibid
— perſcripſit Jacobo II. Regi Scotiæ, ut Epiſcopum Wilhelmum defendere vellet 187
— ejusdem tenoris ſcripſit Jacobo III. 188
— Orcades ſubjacentesq; inſulas in dotem filiæ oppignorat 188
— ſubditis ſuis Orcadum & Hialtlandiæ ſcribit 188
Chriſtianus III. Orcades pacificè repetit 207
— propterea ſcribit Gubernatori Scotiæ ibid
— Regi Galliæ Henrico II. ideo ſcribit ibid.
— plura acta ejus tempore vide 211, 213
Chriſtiani IV. Regis Daniæ in Angliam ſuſcepta itinera 226
— Negotium Orcadicum pro ſuo tempore differt 227
— Orcades juſta de cauſa repetit &c. ibid.
Chriſtiana Religio prima in Norvegia quando 16
— in Svecia 68
— in Orcadibus, quando 157, 31
— in Islandia, quando 21
Chriſtiani Orcadenſes 8, 9, 31
Claudius Cæſar Orcades ſuperaſſe dicitur 7
Clientelares ſunt Comites Orcadum ſub Regibus Norvegiæ 32 &c.
Clypeus pratioſus 132
— elevatus eſt pacis ſignum 137
Color candidus atq; ruber pacis belliq; ſymbolum apud veteres 63
D. Columba ſigno Crucis Dominicæ aperit fores 8, 9
Columba Apranienſis Epiſcopus 183
Comitum Mater Ingibiorgis dicitur 65
Comes Orcadum primus fuit Sigurdus 11, 12
Convivium Auduris ante obitum 17
Cornu cereali liquore plenum 8
Cornua tum Deorum tum Heroum memoriæ bibendo dicantur 104
Cormacus Monachus commendatur Orcadenſibus 8
Corvus in vexillo Sigurdi 27
Corium bovinum contra vim ignis facit 41

D.

Dani Orcades diu poſſederunt 2
Dani Chriſtiani adhuc Thorem invocant 15
Danicam linguam in aulis vicinorum Regum familiarem fuiſſe probatur in præf.
David & Jon Orcadum Comites 154
Davidis Sculii comitis Novegiæ obitus 154
Dialectus Norvegica Britonibus uſitata 45
Dolgfinnus Epiſcop. Orcadenſis 172
Draconis inſtar naves antiquæ 121
Dreingur ſ. Servus mercenarius & ſtrenuus vir 127
Dromundi ſunt naves magnæ 125
Dublinum de improviſo intercipit Sveinus 143
Dublini Rex Olafus Huit 13, 14
Ducatus Orcades dicuntur 5
Dungalsbainſi nomarchiæ præfectus eſt à Sveino Comite Margadus 117

E.

Edeling ſ. clito 66
Edmundus Rex Angliæ 22
Einar Comitis Rognvaldi filius 18
— ſervâ natus, oculo captus & facie turpi 18
— piratas fudit ibid.
— Orcadas poſſidet ibid.
— ejus pugna cum Halfdano 19
— Multam civium ſolvit 20

agros

— agros civium sub hypothecâ sibi hinc obligat 20
— Insulas vasalli titulo recepit ibid.
— ejus filius Robertus, Rollon aliis dictus, Dux Normanniæ fuit 20
— ejus Progenies per Norvegiam & Islandiam sparsa 18
Einar distorto ore, ejus ingenium, gravamina in plebem & clades 45
— ejus insidiæ, cædes 45
— XV. in ordine comitum 49
Einar cognomento Skeifus 132
Einar de Cespite poëta in præf.
Eire est uncia 169
Eiricus Blodoxius à suis destitutus 22
— Regno Norvegiæ excedit 22
— Angliam petit 22
— Christianus cum omni familia & exercitu fit 22
— Northumbriam ab Adalsteino jure clientelari accipit ibid.
— Provincias Edmundi vastat 23
— cum fratre Hacone de Regno Norvegiæ certat 22
Eiricus Eymunius seu Eymund Rex Daniæ 99
Eirici Divi Danorum Regis filia Ingibiorgis 171
Eiricus Pomeranus Rex Daniæ verus successor in Regnum Norvegiæ pronunciatur 177
— orcades Præsuli Thomæ concredidit 178
— Meynero præfecturam comitatus Orcadum commisit 178
— Gvilielmum de S. Claro Comitem Orcadum creat 183
Eiricus Lamb seu Agnus Rex Daniæ 66
— Spaki seu sapiens dictus 66
Eirici Boni Regis Daniæ filia Ragnhildis 66
Eysteinus Rex Norvegiæ expeditionem in Occidentem movet, & Haraldum capit 128
— Haraldo liberationis pretium expressit 129
Eysteini filius Sigurdus primus Orcadum comes 11
Eisteinus Rex provincialis Daniæ in præf.
Eyvindus Urarhorn seu Uricornu satelles purpuratus 4
Endridius Jungius Constantinopole reduxstatum Græcorum &c. Rognvaldo exprnit 119
— huic se adjiciunt Comites Norvegiæ 120
— eorum eligitur Dux 121
— ejus fastus & jactura ibid.
— perfidia, constantia & animus in hostes 124, 126
Episcopi Septentrionis primi ærtam non habuerunt sedem 160
Ermingerdis virgo & filia Comitis Gallæciæ Geirbiorni 123
— carmina in virginis hujus memoriâ 124, 125
Error de genere Steinkelis 70
Ericus Slagbrellerus 137, 139
Erlendus Thorfinni filius ejusq; filii duo Erlingus & D. Magnus 66
Erlendus Haraldi Svaviloqvi filius 129
— Comes dimidiæ Cataneſiæ à Rege Scotiæ creatur ibid.
— Orcadum partem repetit à comite Haraldo ibid.
— Matrem Haraldi abducit 131
— piraticam cum Sveino aggreditur 132
— cum Rognvaldo fœdus facit contra Haraldum 133
Erlingus Skakius 3: distortus, unde dictus 126
— statura præstans ibid.
Evenus II. Rex Scotorum 6
Excubitor Agantyris 8

F.

Fabriles artes olim smid vocabantur 94
Factio Auripedum 149
— Baglorum in Norvegia 153
Fatidicus in Svecia 68, 69
Fereyenses Scotorum Rege oriundi 16
— Thorsteini proles 14
Festum translationis D. Magr 90
Feudum orcadense masculinum 47
— est Regis Sogniæ in Norvegia 5
— est Frothonis III. Regis Daniæ 6
— Regum Norvegiæ deinde constanter 10, 52, 54, 59, 98 &c.
Fifa 3: herba lanugo plustris, est nomen navis 120
Finleicum Comitem vicit Sigurdus 27
Flosti Cariiq; adventus causa in Orcades 39
Fridericus I. Rex Daniæ Orcades non repetens 190
Fridericus I. Rex Daniæ restitutionem Orcadur postulat 216
— Legationem ideo dirigit in Scotiam &c. 217
Fridericus III. Rex Daniæ restitutionem Orcadum per legatos urget 227, 228
Fotho III. Daniæ Rex rectius primus censetur 6
— Orcadibus donat ibid.
Frodius alius Rex Daniæ ex affinitate Thorsteini Rufi 15

G.

Galin 3: furiosus 153
Gamelus D. Andreæ Episcopus 173
Gautia Danorum imperio paruit 23
Geirhildarvatn 5
Genius mirus vexilli 27
Gerbrandus Episcopus Selandiæ 160
Gerhardus Episcop. Eboracensis 158
Gibon Comes Orcadensis 165
Gilli-Christus (Haraldus) Magni Nudipedis Regis

Regis Norvegiæ filius 94, 99
Gillius Magni patruus regni jus abdicat 99
— dimidii Regni creatur Rex ibid.
— conciliatur Nepoti ibid.
Gilbertus Hamarensis Episcopus 165
— Archidiaconus Hialtlandiæ 171
Godredus Crovan 74
Goes mensis nomen, posterior Februarii prior Martii pars 106
Gothicè loqvuntur Orcadenses 4
Gouskeggorum seu Gotubarborum familia ex Thorsteini Rusi filia Olafa 16
Græorum status Endridio notus 119
Græciam petit Rognvaldus 126
Grim filius Margadus 117
Gudridus cum Halfdano Rognvaldum occidunt 19
— Patrise dedit 18
— Orcades cum Matre Gunhilda petit 24
Gunnhilda Eyrici Blodoxii uxor cum filiis profugo Orcades, deinde Daniam adit 23
Guttormus Sigurdi Eysteini filius Comes Orcadum 12
Gurguncius } Britonum Rex 6
Gyngvir }

H.

Habitatio olim non sparsa erat 114
Habitus singularis Episcopi Jonis de Atjoclis Scotiæ 113
Hacon Norvegiæ Prorex Ragnfrodum Orcadum comitem fugat 26
Hacon Haconis filius Norvegiæ Rex coronatur, ejus epeditiones 164, 165
— — moritur & sepelitur 169, 170
Hacon Magni filius Rex Norvegiæ Henricum de S. Claro comitem Orcadum creat 174
Hacon Pauli filius vatem in Svecia consulit 69
— ipsius concubina Helga Maddadi filia 90
— Vestro Gothiam & Vermalandiam jure clientelari accipit 68
— Jordanis fluvio ablutus 9
— comes Orcadum creatur 81
— fraude circumvenit Magnum 82
— Insulas omnes possidet 90
— in amicos Magni sævitia & pænitentia 84
— leges reformat 85
— Romam & inde Hierosolymam proficiscitur 90
— qvamdiu rexit 90
Hæbudæ Comitibus Orcadum & Norvegiæ tributariæ 29
— Regibus Norvegiæ subjectæ ab anno Christi circiter 700 29, 30
— earum Manniæq; transactio 198
Hakyrkia 9: templum editum 154
Halfdanus Altipes Rex Orcadum 18
— ejus pulmones Odino ab Einare dedicantur 19
Halfredus periculosus Poëta Islandus 72
Hallus & Rognvaldus poëma faciunt 115
Halladus Rognvaldi filius Orcadum Comes III. 17
Haraldus Pulchricomus Orcades invadit 10, 18
— Hæbudas & Manniam domat 10
— Comitem Orcadum primus creat 11
— unde Pulchricomus dictus 11, 74
— ejus filii 18
— Poëta fuit in præf.
Haraldus Cærulidens Rex Daniæ 23
— ejus bellum cum Hacone 23
— provincias Norvegiæ possidet 29
Haraldus Graafeld in Dania educatus 23
— occisus in Dania 26
Haraldus Olafi S. frater in Regni consortium à Rege Magno accipitur 63
— cum Magno in Daniam classe trajecturus ibid.
— Septemtrionis fulmen 57
— constantinopole redit 63
Haraldus Godvinus Angliæ Rex 67
— Godvini 74
Haraldus strenuus Rex Norvegiæ expeditionem in Angliam movit 67
— Cæsus ibidem & qvo anno 69 & 67
— fuit poëta in præf.
Haraldus Svaviloqvus cum fratre Paulo discors tandem Orcades cum eo dividit 91
— potentior fit accessione Catanesiæ ibid.
— venenato indusio exstinctus 92
Haraldus, aliàs Gillius & Gilla-Christus Rex Norvegiæ creatur 94, 99, 100
— Regno profugus 99
— Magnum Sigurdi filium victorem capit 99
— castrat, exoculat 100
— Rognvaldo Orcades titulumq; Comitis confirmat 100
Haraldus Maddadius filius Comitis de Atjoklis Maddadi in societatem imperii Orcadum recipitur, tutore Rognvaldo 113
— deducitur in Orcades ibid.
— curam imperii suscipit 122
— capitur ab Eysteino & se liberat 128, 129
— oppugnatur à Sveino 130
— obsidet Erlingum Jungium ibid.
— se jungit Rognvaldo 133
— fugat hostes suos 134
— ægrè evadit cum Rognvaldo 135
— Sveinus reconciliatur Haraldo 136, 138
— succedit Rognvaldo in universis provinciis 142
— ejus Uxores & liberi 142, 145
— catanesiam, invito Scotiæ Rege Wilhelmo, subigit 146

Sup-

— Supplex fit Svereri Regi Norvegiæ ob ſuppetias, quas Sigurdo Magni Erlingi filio tulit 151
— Hialtlandiâ multatur & media Orcadum parte 152
— ejus ætas, potentia, ſucceſſores & filia Langalif 153
Haraldus Junior Erici Slagbrelleris filius à Magno Erlingi Norvegiæ Rege media Orcadum partis Comes creatur 145
— ab Haraldo Maddadi filio rejicitur & occiditur 145
— Sanctitatis opinio de eo invaluit 145
— Templum ornat locum in Catanesia ubi concidit ibid.
Harkioftus ſ: duri oris 25
Hauldicus ſtatus eſt Nobilitatis 17
Hauſakliufus ſ: calvariarum ſector 24
Havardus Arſelius ſeu annonâ felix 24
Havardi filii Magni conſilium, fortitudo & pietas 141
Helgius Sumarlidius caditur 140
Helgius & Halfdan Sognæ in Norvegia Reges 8
Henrici VI. Regis Angliæ legati in Dania 182
Henricus de S. Claro Orcadum Comes 174
— ejus obligationes 176
Henricus Sinclar Comes Orcadum 178
Henricus Regis Knuti Magni Sacellarius 157
— poſtea Scaniæ Epiſcopus ibid
Heraudur Comes Orcadum 7
Herſii & Herſer, qui 17
Hethlandiæ deſcriptio, Hialtlandia vocatur 3
Hethlandorum victus ratio, ſermo Gothicus valetudo & ſenium 4
Hialp ſ: auxilium eſt nomen navis 120
Hialtlandia eſt Thule 5
— ejus etymon ibid.
Hibernia à Norvegis ſubacta 9
Hlodver Comes & ſucceſſor Lioti 25
Horda-Knutus Rex Angliæ 57
— nominis ipſius etymon ibid
Holbodius Habudenſis 114
Hroaldum occidit Margadus 117
Hugones comites, alter Groſſus, alter Generoſus 72
Hundius ſeu Huelpius filius Sigurdi Craſſi in baptismate vocatur Lodoveris ſeu Ludovicus 33

I.

Jacobus VI. Scotiæ Rex Legatos in Daniam mittit Orcadum cauſâ 223
— ejus in Norvegiam, deinde in Daniam ſuſcepta itinera 226
— Principem Daniæ Annam in matrimonium ducit 226
Jacobus Hepburnus Dux Orcad. 5
Jarlaskald ſ: comitum poëta, honoratur 54
Idola Septemtrionalia veſtiebantur 39, 40
Illiteitt ſ: pura malitia 161
Imber ſanguineus 34
Incolæ Orcadum primi, quo ſeculo 6, 7
— cum Comite ad ſacra Chriſtiana concedant 31
Induſium venenatum, quo Haraldus Comes exſtinguitur 92
Ingebiorgis mater Pauli & Erlendi filiorum Thorfinni 66
Ingebiorg locata Jariſleifo Ruſſiæ Regi 70
Ingius Steinkelis filius Rex Sveciæ 68
— ejus bella cum Ruſſis, Danis &c 69
Ingimundus Inſularum omnium Rex à Magno Rege Norvegiæ conſtitutus 79
Ingius Norvegiæ Rex invitat Rognvaldum 119
Inſulobarbi vocantur Orcadenſes 8
— eos & Auripedes colligit Sigurdus 149
Jofreir Epiſcopus Orcadenſis 164
Johannes Glasguenſis Epiſcopus 173
Johannes Rex Daniæ cur Orcades non reluit 190
Johannes Epiſcopus Osloenſis 183
Jon Comes Hialtlandiæ 160
Jon Magni filius Comes Orcadum 172
Jonis Pedis cum Kalio amicitia ejusq. labes 94
Jon Pes iter flectit Conſtantinopolim 127
— occiditur ibid
Jon Epiſcopus Maddadi de Atjoklis legatus ad Rognvaldum mittitur 113
— dimidiam inſularum partem poſtulat Haraldo Maddadi filio ibid.
Jon Wangus, ejus res geſtæ 138
Jon & David Comites Orcadum ad obſequium ingii Regis Norvegiæ redeunt 154
Jon Epiſcopus Catanesiæ lingua & oculis orbatus, invocatâ Divâ Trolhenâ reſtituitur 146
Isleifus Epiſcopus Islandiæ primus cenſetur 160
— quamvis multi vagabundi ante eum docuerint ibid.
Islandia occupatur à Norvegis A. C. 888 15, 16
Islandi Chriſtiani facti 21
— eorum laus in præf.
Islandiam Thorſteini, Einarii & Rognvaldi progenies inhabitat 16, 20
Itineris monumenta antiquitus recta 95

K

Kalfo Arnino Rognvaldus ſuperior 60
Kalii geſta in juventute, ejusq. artes 94, 95, 96
— fit comes Orcadum 97, 98

Karii Flosſiij Islandorum adventus cauſa in Orcades 30
— ejus affinitas & pacificatio 43
Karolus Rex Scotiæ è ſerie Regum â ſcriptoribus expunctus 54
— ſuccedit Melcolmo, ejus bellum cum Thorkele Nutritto 52,53,54
Karl Haconis eſt cognomen & denotat virum vel ſenem 81
Ketil ſimus Thorſteini avus 13
— piratas Hæbudas occupantes domuit 14
— princeps Hæbudarum ibid.
Kircua oppidum Orcadum 2
Kirkiuvog idem 5
Kolbein Hruga ſ. acervus & ejus progenies in Orcadibus 118
Kolus & Rognvaldus ad Comitem Paulum legatos mittunt, vincunt Paulū &c. 100,101
— inſulas dividunt 100
— diſcordiam movet inter Orcadenſes 107
Kolus Hæbudarum Epiſcopus 154
Krokauga ſ. oculus angularis, fortè & fallax Thorſteinus quidam dicebatur 93

L.

Labores veterum, quando 142
Legibus Norvegicis orcadenſes uſi ſunt 109
Lambaburgum caſtrum 117
Langaliſa filia Haraldi 153
Langhals minus rectè redditur longum collum 65
Linguæ error brevem portendit vitam 61
Lioti comitis Orcadum conflictus cum fratre Sculio 25,26
— primi & ſecundi fratris uxorem Ragnhildam ducit 25
— moritur vulnere ibid.
Lodhuſa expugnata 71

M.

Maddan ſeu Maddadi filii & filiæ 90
Maddadi Comitis de Atjoklis Legatus 109
Magbragdus Comes Scotiæ 25
Magia in Svecia 68
Magnus bonus Rex Norvegiæ proclamatur Anno 1035. 57
— adverſus Svenum Eſtritium bellum gerit 62
— in Daniam claſſe trajicit 63,64
— ipſius Patruus Haraldus regni ſit conſors & ſucceſſor 64
— familiaris ipſius fit Thorfinnus 63
— moritur in Dania 64
Magnus Nudipes Rex Norvegiæ, an filiam Ingii duxerit 69,70
— æra, quâ vixit 69,70
— Hæbudas occupat 71
— Angelſeyam infeſtat ibid.
— Hugonem comitem ſagitta transverberat 72
— occiduas Scotiæ inſulas lucratur 78
— Sigurdum filium inſularum Regem creat 74
— Hiberniam occupat, occiditur 78,79
— expeditiones ipſius plures fuerunt 80
Magnus Olafi Manniæ Rex
Magnus Haconis filius Rex Norvegiæ 171
— inter eum & Alexandrum Scotiæ Regem pax Hæbudas & Manniam concernens 171
Magnus Comes Orcadum 163
— ejus mors & Succeſſores filii tres 81
Magnus Erlendi comes Orcadum creatur 81
— ejus concordia cum Hacone Pauli filio 81
— Haconis fraude circumventus 82
— occiditur, & quando 84
— Locus ſepulturæ & miracula 87,88
— pro Sancto & numine tutelari cultus 66,88
— ejus reliquiæ in Islandiam transportatæ 90
— templum ei Rognvaldus ædificat 112
D *Magnus* primus Orcadenſes convertit 2
— ejus ſcyphus ibid.
— ejus ſepulcrum 5
Magnus Sigurdi filius caſtratur & exoculatur 100
Magnus Havardi filius 141
— ejus fortitudo, conſilium, pietas ibid.
Magnus Erlingi filius Rex Norvegiæ Haraldum Slagbrelleri filium comitem orcadum pro media parte creat 145
— ei bellum facit Sverir 148
— eum vincit Sverir & occidit 148
Magnus Gilberti filius Comes Orcadum 172
Magnus Gibbonis filius Orcadum Comes 172
Magnus Magni filius Orcadenſis Comes 172
Marcus Hæbudarum Epiſcopus 172
Marca terræ octo eyrer continet 169
Marca Anglica 146
Margadus Grimi filius Nomarchiæ Dungalsbæenſis præfectus 117
— Hroaldum occidit ibid.
Matrimonii contractus inter Regem Scotiæ Jacobum III. & Daniæ Principem Margaretam 191
Melcolfus III. Scotiæ Rex cognomine Langhals 65
— Cummorus alias dictus & Megalocephalus ibid.
Menſis nomen Goes 106
Mortuorum tumulos conſulebat indeq; noctu reſponſa petebat Sveinus Brioſtreip 101
Myrkiafiord ſ. ſinus tenebricoſus 140

N

Navis Judæorum in Orcadibus periit 163

— alta Dromundus vocatur 125
Navium nomina Hialp & Fisa 120
Navis viginti loculorum cum 80. viris 128
Nialinum incendium cadesq; 41, 42
Nicolai Dantæ Regis conjux 70
— ejus æra ibid.
Nobiles nati antiqvitus dicebantur Hauldi 17
Nomina navium 120
Nomina & cognomina in historiis confusionis sunt origines 91
Nomina Ethnicorum in baptismate variantur 33
Normanni & Habudenses in Scotia perierunt 162
Northumbriæ Rex Ericus Blodöxe 22
Norvegi Scotos tributarios faciunt 9
— eorum receptaculum in exilio Orcades 10
— Austreni, Ostmanni & Austmanni dicuntur 13, 15
— Christiani facti 16
Norvegiæ Regis jus in Orcades 33, 50, 51
Nutritii antiqvitus Fostri dicebantur 47

O.

Odino dicantur pulmones Halfdani Alipedis 19
Oedlingum vertunt Clitonem 66
Olaus Tryggvinus Rex Norvegiæ auxiliante Sigmundo subditis Religionem Christianam promulgavit 16
Olafi Tryggvinii clientelam petit Comes Sigurdus Crassus 32, 33
Olaus Tryggvinus Sigurdum comitem creat 33
— Sigurdum convertit ibid
— poëta fuit in præf
Olafi Sancti Norvegiæ Regis in aula educatur Regnvaldus 56
Olafus Sanctus Orcadum trientem sibi adjudicat 51
— ejus somnium ante pugnam Stiklestadensem 56
— ejus in honorem templa Constantinopoli, in Hispania & Norvegia ædificata 56
— fuit poëta in præf
Olafus Huit Dublini Rex Thorsteini Rusi pater 13, 14
Olafus Kuaran Rex Hiberniæ frater Gidæ Uxoris Olafi Tryggvini 33
Olafus Qvietus seu modestus 69
— Haraldi Imperiosi filius 67, 69, 70
Olafus Rex creatus patri successit 70
— decessit 70
Orcadenses Gothica lingva utuntur 1
— Picti perperam dicuntur ibid.
— eorum convictus qvotidianus 2
— barbati insulares dicuntur 8
— Christiani fiunt 8, 9
— natione Norvegi 10
— eorum mos fuit vestimenta defuncti carnifici dare 83
— eorum Comes primus Sigurdus creatur ab Haraldo Pulchricomo 11, 12
Orcadum comites sub Regibus Norvegiæ clientelares, eorum successio 32, 50, 51
— divisio 45, 46, 49
— primi inhabitatores & Reges 6, 7
— Ducatus & Nomina 4, 5
Orcades à Comitibus rectæ 8
— in feudum datæ 7
— tributa pendunt 8
— Organa vocantur 4
— etymon Orcadum est Danicum 4
Orcades Oddo Multivago & Hialmari piratis subjiciuntur 8
— ante Christum natum Anno 268 cultæ fuerunt 7
— Ostrogetis deinde subjectæ 8
— Saxones insederunt iis 7
— ad Christum conversæ 8, 9
— à Norvegis subactæ Ao. Christi 600 9
— Danis subjiciuntur 9
— ad Paganismum relapsæ 9
— Proprios iterum Reges habent 9
— Scotis subjiciuntur 9
— ab Haraldo Pulchricomo Rege Norvegiæ subactæ 10
— Comiti Rognvaldo donantur 11
— Fratri Rognvaldi Sigurdo redonantur 11
— regimen Orcadum suscipit Halladus 19
— in feudum accipiuntur à Skulio 25
— sunt Masculinum tantùm feudum 47
— ad parochiam Hamburgensem pertinebant 159
Ordalium, quo fides meretur, septem vomeres ignitii 99
Orka, Danicè robur 4
Orkahaugur s: tumulus Orkii vel Orcadii 4
— villæ nomen 111
Osleya est urbs Norvegiæ, nunc Christiania 98

P.

Pacis signum est clypeus elevatus 137
Paganismum Orcadenses retinent 9
Palmarii, qui 90, 126
— eorum mores 126
Paskahd vel Paskahelgi s: Pascha, quot dies durabat 81
S. Paulus convertit Orcadenses 7
Paulus Orosius triginta tres tradit Orcadum Insulas 3

Pau-

Paulus Mutus Haconis filius Comes Orcadum 90
— *cum Frakaurke congreditur* 100
— *prælio Victor* 101
— *Hialtlandiam petit* ibid.
— *inde Redux* 102
— *pyras per insulas erigit* ibid.
— *æstu intercipitur à Sveino* 110
— *ad Maddadum transfertur* ibid.
— *quousq; imperavit* 90
— *privatus deinde an vixerit aut occisus ignoratur* 110
Pening & eigu, quid denotant 147
Petrus Episcopus Orcadensis 172
Picti non insederunt Orcadibus 7
— *lingvâ sunt originis Gothicæ* 7
Piraticam quo anni tempore veteres exercebant 142
Piræ erectæ & incensæ in signum 105
Ploglond 9 agri spatium 112
Pluvia sanguinea 38
Poëtæ sunt purpurati in aulâ 54, 120
Poëseos antiquæ artificium 120
Præsagium ex sternutatione 140
Primogenituræ privilegium 113
Prodigium singulare in catanesia 36
Progenies Einaris per Islandiam sparsa 7
Pulchricomi filii Halfdanus & Gudriodus Rognvaldum occidunt 19
Pulmones Halfdani Odino dedicantur 19
Purpurea expeditio a pano anglico velis assuto denominatur 143

R.

Radulphus Novellus Episcopus Orcadum 158
Ragnar Lodroch filium Fridleifum præficit Orcadibus 9
— *ejus Prosapia* 11
Ragnfrodus Blodoxii filius profugus 26
— *bello Haconem Norvegiæ Proregem adoritur* ibid.
— *fugatur* ibid.
Ragnhildis Erici Blodoxii filia maritos, tres fratres, æstu interfici curat 24, 25
Ragnhildis Eirici Boni Daniæ Regis filia 66
Rangiferorum venatus 140
Ranarikia est provincia Bahusensis 99
Religio Christiana in Svecia recens, quando 68
Rex Orcadum Sigurdus Magni Nudipedis filius 74
Regum filii in Norvegia legitimi & illegitimi jus suum in Regnum renunciare debebant, prius quam ad Ordalium admittebantur 99
Robertus I. Rognvaldi filius dux Normanniæ 18
— *Rolfus Rollo pedestris aliàs vocabatur* 18
— *ejus navalium rudera in Norvegia, unde in Galliam solvit* 28
— *ejus Neptis Nidbiorg nupta Biolani Scotiæ Regi, Scotis ignoto* 21
Rognvaldo Eysteini filio Orcades donantur 18
— *ejus gesta* ibid.
Rognvaldus Einaris filius IV. Orcad. Comes 20
— *altero oculo captus* ibid.
— *facie turpi* ibid.
— *occiditur ab Halfdano & Gudriodo* 19
Rognvaldus Brusii filius Comes XVI. Orcadum 56
— *Olafo S. Regi Norvegiæ Obses datus* ibid.
— *pro Olafo S. pugnat prope Stiklestad* 56
— *ejus cum Thorsinno bellum* 59, 60, 61
— *Mors, sepultura & eulogium* 62
Rognvaldi Kalti in juventute res gestæ 94
— *cum Jone Pede amicitia* 95
— *Comes Orcadum Rognvaldus confirmatur ab Haraldo* 100
— *ad Comitem Paulum legatos ideo mittit* 100
— *expeditiones* 101, 102, 106, 107, 108
Rognvaldus Kalius omnium consensu Orcadum insulas in ditionem accipit 112
— *templum Divo Magno ædificat* ibid.
— *recipit Haraldum Maddadium in imperii consortium* 113
— *ad Ingium Norvegiæ Regem accedit* 120
— *ejus fortitudo & constantia* ibid.
— *poëtas Hialtlandenses in aulam adsciscit* ibid.
— *Hierosolymam proficiscitur* 122
— *curam Imperii Haraldo mandat* ibid.
— *virginis memoriam in itinere carmine celebrat ob lautum convivium* 123
— *quæ in absentia ejus gesta sunt* 128
— *obitus ipsius* 142
— *corpus miraculis coruscans* ibid.
— *in divorum numerum relatus* ibid.
— *sanguis ejus in Saxo clarus, ac si nuper profluxisset* ibid.

S.

Sacrificia ethnica in Svecia restituuntur 68
Satellites Sigurdi Crassi sunt Islandi 28
— *eorum gesta & scuta* ibid.
Saxones insederunt orcadibus 7
Saxa tumulo excitanda 20
Samundus Islandiæ Crvis filiam Haraldi Uxorem postulat 153
Scoti Norvegii tributarii 9
— *iis ignotus Rex Scotiæ Karolus* 52
Scotiæ provinciæ comitibus Orcadum subjectæ 12, 27, 28

— *Regum ſeries imperfecta* 55
— *hiſtoriæ defectus ſuppletur* 54
— *Rex creat comitem Erlendum* 129
Sculii conflictus cum fratre Lioto 25
Scuta Satellitum comitis Sigurdi craſſi 28
Scyphus divi Magni 2
Senicobardus Rex in aula Sigurdi 42
Senium Hethlandorum 4
Servanus Epiſcopus ad Orcadenſes convertendos mittitur 8
Serklandiæ nomine quid denotatur 125
Sermo Hethlandiæ eſt Gothicus 4
Sedes in aula antiqua, quæ ſuprema 54
Sigurdus Eyſteini Comes primus Orcadum creatur 10, 11
— *Scotiam vaſtat* 12
— *inter triumphandum moritur* 12
— *ſepelitur* ibid.
— *ejus ſocius Thorſteinus* 13
Sigurdus Angvioculus Rex Daniæ ex majoribus Thorſteini Ruſi 13
Sigurdus Craſſus XII. comes Orcadum 27
— *ejus ſatellites* 28, 29
— *ejus conflictus cum Finleico* 28
— *ejus ſpectrum* 35
— *ejus fatalis pugna & mors* 35, 44
— *civibus reſtituit allodia* 27
— *barbari mores ipſius tempore* 29, 50
— *moriens quatuor filios reliquit, Sumarlidium Einarem, Bruſium & Thorfinnum* 45
— *inter ejus filios contentio de hereditate oritur* 46
— *in clientelam Olafi Tryggvini Norvegiæ Regis concedit* 33
Sigurdus Hieroſolymipeta Rex Norvegiæ Kalium comitem Orcadum pro dimidia parte creat 98 *moritur* 98
Sigurdus Magni Erlingi filius Norvegiam invadit cum Auripedibus 149
— *Bergis hiemat, occiditur* 150, 151
Sigurdus Magni Nudipedis filius Rex Orcadum 74
Sigurdus Slembir vel Slembi-Diaconus Torkellem Nutritium occidit 92
— *Hieroſolymam proficiſcitur & ſe in amne Jordane abluit* ibid.
— *Magni Nudipedis filium profeſſus* ibid.
— *capitur, inter media tormenta hymnos Davidicos abſq; hæſitatione recitavit* ibid.
Simon Hæbudarum Epiſcopus 161
Sirricus Manniæ Rex 78
Skackius ſ: *diſtortus* 126
Skilius Comes 163
Skulii Thorfinni filius cum fratre Lioto pugna 25
— *in feudum accipit Orcades à Rege Scotiæ* 25
— *in Cataneſiam profugus* ibid.
Skulius Comes 161, 154
Slembi-Diaconus, quid denotet 91
Smid artes omnes fabriles antiquitus vocabantur 94
Snogius Rex ſubegit Orcades 7
Solmundus Quæſtor Tunsbergenſis 95
Spaki ſ: *ſapiens ſeu mitis* 66
Spitulangur ſ: *gracilis* 121
Stanfiordenſis (Stainfordbrige) pons 67
Stuartorum primus qui Scotiam rexit 170
Svedicæ hiſtoriæ error 69
Sveni Admorſæ barbæ Regis Daniæ verus dies mortalis 44
Sveno Canuti Magni filio Norvegiæ Rege Alfiva mater res civium pro lubitu verſat 27
— *ille regno excedit* ibid.
Svenus Ulfius ſive Eſtrithius Prorex Daniæ dicitur 62
— *in Scania ſe continet* 64
— *Alaburgi convivio excipit Thorfinnum* ibid.
— *Henricum Scaniæ Epiſcopum conſtituit* 157
Sveinus Valthiofi frater Sveinum Brioſtreipem occidit 104
Sveinus Asleifis filius ad Maddadum proficiſcitur 100
— *ſororem ipſius Thorbiornus Klerkus in uxorem ducit* 113
— *eam repudiat* 116
— *Lambaburgum caſtrum occupat* 117
— *variæ res geſtæ* 129, 130, 132, 134, 136, 137, 138 139, 142, 143
— *ejus eulogium & Mors* 144
Sverer Rex Norvegiæ 5
— *Sigurdi Bronckii Regis Norvegiæ filius naturalis, presbyter* 148
— *bellum Magno Erlingi facit, eum vincit & occidit* 148, 153

T.

Tabulæ matrimoniales inter Scotiæ Regem Jacobum III. & Daniæ Principem Margaretham 191
Tannius ſ: *dentatus* 12
Textura ſingularis 36
Thanus Argathelia ſ: *Regulus Argilæ in Chronico Manniæ* 139
Thingmannorum cohortes in Anglia 65
Thomas Bodius 188
Thomas Stubs Archi-epiſcopus Eboracenſis 158
Thomas de Tholæ Epiſc. Orcadenſis 179
Thomas Comes Aranie 187
Thor (idolum) ab Islandis etiam Chriſtianis

nis invocatur, item â Danis 15
Thorbiörni Klerki ingenium & res geſtæ 113, 114, 115, 116, 133, 139, 140, 141, 142
Thorgilſis Stafagrienſis Epiſcopus 105
Thorkelis Nutricii mors 92
Thorkel Hamarſkald 72
Thorolfus Epiſcopus I Orcadum 157
Thorſteinus Vikingi filius Regis Belii potius Satrapa, quam Orcadum Comes 7
Thorſteinus Rufus qualis, ejus proſapia 13, 14, 15, 16, 17
— Scottiam dimidiam domuit 14, 15
Thorfinnus Hauſakliufus 24
Thorfinnus Haraldi Comitis filius obſes oculis privatur 147
Thorfinnus Sigurdi filius 45, 157
— navigat in Norvegiam 50
— Comes XV. Orcadum 40
— cum fratre Bruſio Inſulas in feudum accipit 51
— ejus bella 54
— ejus magnificentia 55
— familiaris Regis Norvegiæ Magni 63
— Romam proficiſcitur 64
— ejus filii Paulus & Erlendus 65
— Angliam vaſtat Horda Knuto abſente 57
— vincit Rognvaldum 62
— Orcades Univerſas poſſidet 62
— animo corporeq; ingenti fuit 65
— Servatoris Templum, in quo conditus, exſtrui curavit in Byrgisherrad ibid.
Thule Hethlandia eſt 5
Thurſteinus Archiepiſcopus Eboracenſis 158
Tigna ɔ. nobilia 91
Tricliniorum veterum habitus 42
— ingens 103
Trolhæna Diva, numen tutelare in Cataneſiâ 186
Tunicæ pretioſæ antiquæ forma 148

V.

Varingi, qui ſunt 127
Valdimar Jarusleſi & Ingebiorgis filius 70
Valdimarus Daniæ Rex Erlingum Skackium Comitem creavit 127
Valthiofus filius Olafi undis perit 103
Vaſalli titulo Einar recepit inſulas Orcades ſine penſionis onere 20
Vermalandia 68
Veſtimenta defuncti carnifici dare Orcadenſibus in uſu fuit 83
Veſtis nivea linea, quæ venenata 92
Veſtes pretioſæ quo nomine olim veniebant 138
Vexilli Comitis Sigurdi mirus genius 27
Vexillum Regis Svereris, dictum eſt Sigurfluga ɔ. muſca victorioſa 151
Vilhelmus Rex Scotiæ Cataneſiam recuperat per Regem Habudarum Rognvaldum 146
Vilhelmus primus Orcadum Epiſcopus 159
Vilhelmus initiatus Epiſcopus Orcadum 173
Vilhelmus Epiſcopus S. Andreæ 179
Vilhelmus Comes de Duglas 176
Vilhelmus Epiſcopus Orcadum juramentum præſtitit Chriſtiano I. Daniæ Regi 186
— capitur & in carcerem conjicitur 187
Vinoldus Nidroſienſium Archiepiſcopus 177
Virginum habitus antiquus 123
Ulfaldas ɔ. Camelus, cognominis loco 66
Unvanus Archiepiſcopus Hamburgenſis 160

Errata.

Pag. 10. lin. 2. omnibus pro omnibus ordinibus. pag. 12. lin. 14. eqvites pro eqvis equites. p. 32. l. 7. omneq; pro omnesq; l. 50. confeſtim pro aut confeſtim. p. 34. l. 26. inere pro itinere. p. 36. l. 21. tanqvam pro tanqvam non. l. 26. meroratur pro memoratur. p. 42. l. 9. ſuperioribus pro parem ſuperioribus. p. 48. l. 26 ornatas pro ſubornatas. p. 51. l. 12. aula pro in aula. p. 57. l. ult. Thorfinnus pro Thorfinnus & Hyberni. p. 63. l. 47. ibidem pro ibidem feci. p. 93. l. 30. inſtituorum pro inſtitutorum. p. 111. l. 36. dederent pro ſe dederent. p. 154. l. 37. Tandem pro tantundem. p. 176. l. 5. Maſculum pro Maſculos tamen vel Maſculum. l. 45. deeſt Dominus Walterus de Halybirton. l. 46. deeſt Dominus Johannes de Edmonſton. p. 181. l. 4. deeſt ſine cauſa. p. 192. l. 37. imperio pro in imperio.